6
39-b
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
14 F
26

Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

23 F 56

23
F
54

6-39-b-23

DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS, DES. ERASMI ROTERODAMI OPUS.

Ioannis Ludouici Viuis Valentini Libellus uerè aureus.

Conradi Celtis Methodus.

Chriſtophori Hegendorphini Epitome.

Omnia nunc demum in ſtudioſorum gratiam & utilitatem uno libello comprehenſa, & longè quàm antea emendatius excuſa.

BASILEAE PER NICOLAVM Brylingerum, Anno M. D. LXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERASMVS RO- TERODAMVS NICOLAO BERALDO S. P. D.

Postea quã Holonius ille deſierat eſſe apud ſuperos, eruditiſſime Beralde, nõ putabã mihi quenquã alium metuendũ, qui nænias quas iuuenis, uel exercendi ſtyli gratia, uel obſecundãs amicorũ affectibus ſcripſiſſem, in uulgus æderet, in quiduis potius quàm in hoc natas. Et ecce de repente apud Britãnos exortus eſt alter Holonius, qui librũ de cõponendis epiſtolis excudit, quem annis ab hinc ferme triginta Lutetiæ ſcribere cœperã, cuidam amico parũ ſyncero, cui ſimili munere gratificari uolebam: uidelicet ut haberent ſimiles labra lactucas. Lectioni ſimul & compoſitioni non plus temporis tributum eſt, quàm dies uiginti. Atq; adeo nõ erat tum animus hoc opus abſoluere, ut archetypũ illi tradiderim auferendũ (nam adornabat longinquam profectionem) nullo antigrapho apud me ſeruato. Aliquanto pòſt amici quidã, qui, neſcio quo caſu nacti, nugas eas deſcriptas ſerant, precibus adegerunt me, ut operis rudimentũ abſoluerem. Erat enim non ſolũ rude, uerumetiã truncũ ac mutilum. Receperã in manus, ſed cum ne retractanti quidẽ arrideret, in totũ abieci, nequaquã fore ſuſpicans quenquam tam effrontẽ, qui me uiuo & reclamãte ſchedas meas euulgaret. Verum (ut uideo) nihil iam pudet typographos, poſteaquã experiuntur nihil auidius rapi, quàm nugaciſſimas quaſq; nænias, neglectis interim priſcis ac probatis autoribus, perfricta fronte ſequũtur illud è Satyra: Lucri bonus eſt odor ex re Qualibet. Proinde nos tametſi ſic eſſemus affecti, ut nunquã antehac æquè ſenſerimus, quo modo fuerit animatus Flaccus, cũ ſcriberet carmen illud: Vt nox longa quibus, &c. nam agnoſcis reliqua: tamen ſepoſitis operis ſacratioribus, quæ ut magis decẽt hanc ætatẽ, ita magis iuuãt hunc animũ: dies aliquot in recognoſcendis quæ iam exierant perdidimus: neſcio quãta iactura ſtudiorũ grauiorũ, certe maximo meo tædio. Quod ne mihi ſæpius accidat, etiam atq; etiam te rogo mi Beralde, effice quouis pacto, ut iuuenis iſte nimium (ut apparet) amans mei, librum, quem (ut ſcribis) à callido uenditore magno emit, aut aboleat, aut certè tibi tradat ad me tranſmittendũ, quò mihi liberum ſit de eo ſtatuere. Typographis quid imprecer, niſi mentem meliorem ipſis dari? Ceterùm iuuentutẽ ſtudiorũ cul-

Holonius Leodienſis Typographus, qui Colloquia primus formulis excudit.

Iuuenalis Saty. 14.

Epiſt. 1. lib. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tricē, lubens admonuerim, ut hiſce nugis quàm minimū operæ perdat. Video, diſcrutiorq́ animo, bellum hoc inter Germanos & Gallos indies magis ac magis incaleſcere. Quāta totius rei Chriſtianæ calamitas, duos potentiſſimos orbis monarchas, ſic fer alibus diſsidijs inter ſe cōflictari? Tolerabilius eſſet, ſi res eorum, quorū intereſt, monomachijs finiretur. Sed quid cōmeruere ciues & agricolæ, qui ſpoliantur fortunis, exiguntur ſedibus, trahuntur captiui, trucidantur ac laniantur? O ferreos principū animos, ſi hæc perpendūt, ac ferunt: ô craſſos, ſi non intelligunt: ſupinos, ſi nō expendunt. Erat nōnulla ſpes in hoc uno pontifice, primum theologo, deinde ſpectatę à primis annis integritatis. Verum haud ſcio quo pacto fit, ut Pontificum autoritas longè plus ualeat ad excitandū inter principes bellum, quàm ad cōponendum, ſed hi tumultus non dirimunt Muſarum fœdera nec hæc cōmercia nobis intercipere poſſunt bellorū leges. Non cōuenit Cæſarianis & Gallis, ſed pulchrè conuenit honeſtiſsimorū ſtudiorum ſodalibus. Quare ualebis uir humaniſsime. ſimulq́ quum dabitur opportunitas, Budæum, Deloinum, Brixium, ac reliquos amicos meo nomine ſalutabis diligenter. Baſileæ VIII. Calend. Iun. Anno M. D. XXII.

DES.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS, DE RATIONE CONSCRIBENDI *epiſtolas.*

BIBLIOTEC. NAZ. ROMA VITTORIO E.

QVIS EPISTOLAE CHARACTER.

QVI *in epiſtolis unū aliquē characterē uel requirūt, uel præſcribunt, id quod ab eruditioribus etiā quibuſdā uideo factū: ij mihi nimirum de re tā multiplici, propeq; in infinitum uaria, nimis anguſtè atq; arctè uidentur agere. Neq; ſanè ita multo minus abſurdè facere eos exiſtimo, quàm ſi ſutor omni pede ad eandē formam crepidā uelit conſuere: aut ſi pictor quoduis animal iiſdem lineamentis, iiſdemquè coloribus conetur effingere: aut ſarcinator conſimilem ueſtem pumilioni ac gigāti tribuere ſtudeat. Negant epiſtolam ferendam eſſe, niſi quæ intra exilem dicēdi figuram ſeſe contineat: niſi quæ illaborata diſſolutaq; fluat, & omnibus contentionis neruis careat: niſi quæ uulgò mutuatis uerbis contexta: niſi deniq;, quæ breuitate ipſa epiſtolæ nomē mereatur potius, quàm uoluminis. Hanc formā ſi quis ſuo quodā inſtituto ſequi maluit: ut ſæpenumero pro ingeniorū uarietate, aliud ſcribendi genus alij magis arridet: cum hoc equidem non admodū pugnabo. Sit enim per me ſuum cuiq; pulchrū. Verùm ſi eam*

De ijs qui in unā regulam epiſtolam coſtringunt.

Simplicē epiſtolę tenorem non ſemper probandum.

nobis ita præſcribit, ut uel ſolam uel optimā haberi
uelit, cùm argumentorum ſpecies non minus ſint in
numerabiles, quàm mundi illi Democritici: & nul/
lum ferè argumenti genus non recipiat epiſtola: &
nuſquam oporteat orationis habitū cum argumenti
genere diſsidere: quî quæſo poteſt tam infinitæ rerū
uarietati, ſimplex ſermonis character accōmodari?
Quem quidem, ut uel maximè alioqui per ſe optimū
deligas, fieri tamē non poteſt, ut idem ubiq; optimus
eſſe uideatur. Ego tum unamquāq; orationis figurā
optimam exiſtimo, cùm maximè in loco adhibetur:
tum peſsimā, quoties iuxta priſcum Græcorum ada/
gionem, τὸ ἐν φακῇ μύρον, hoc eſt, in lente unguentum
admiſcuerimus. Atq; hæc quidē eruditis abunde ſa/
tis in ſumma dicta fuerint. Cæterū literatoribus iſtis
quibuſdā triuialibus, ut multò indoctioribus, ita non
paulò magis importunis, pinguiore (quod aiunt) Mi
nerua, & per partes ſatisfaciendū eſt. Quibus etiam
ſi (ut ſolent eſſe pertinaces) fieri ſatis non poterit, ta
men eos coargui uel puerorum intereſt, ne horum au
toritate decepti, ea rudibus annis diſcant, atq; imbi
bant, quæ grandes tam dediſcere, aut pudeat, aut no
lint, & ut maximè uelint, non poſsint. Atqui hoc in/
doctum doctorum genus, & illiterata literatorū tur
ba literarijs in ludis hodie præcipue regnat, & tan
quam in ſua tyrannide Phalariſmum quendam exer
cet. Illic mihi blatero quiſpiā arrepta cenſoria uirgu
la, Solonis leges dictabit, clamabitq; delendā eſſe epi
ſtolā, quæ non intra duodecim uerſiculos cōſtiterit:
hanc

hanc enim epiſtolari modo præfixā eſſe metam. Obliteremus igitur hoc cenſore pleraſq; Platonis, Ciceronis, Plinij, Senecæ, Diui Hieronymi epiſtolas, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδώσας, & contemptis iſtorū limitibus, in iuſtum uſq; uolumen porrectas. Quid ſi argumentum uarium & amplum obiectum erit, tu nihilo minus me cohibebis, & circulū iſtum tuū magicum egredi uetabis? Ageſilaus haud quaquā probum cerdonem ſibi uideri dicebat, qui paruo pedi magnū induceret calceum: at quanto moleſtior, qui magnū pedē arctiore calceo ſtringit, torquetq́; ? Recte Fabius ſcribit abſurdū fore, ſi quis Herculis perſonā, & cothurnos infanti tribuat: uerum multo uidetur abſurdius, ſi infantis faſciolas calceoloſq́; Herculi coneris accommodare. Neq; paulo grauius eſt tum flagitiū, tum etiā periculū, in re copioſa contrahi, quàm in re non ampla copioſiorē fieri: propterea, quod ſuperuacua fortaſſe cum tædio legūtur: certe neceſſaria nō niſi magno utriuſq; diſpendio prætereūtur. Porrò ſi omnino propoſitum eſt, delicatis quorundā ingenijs conſulere, quibus omnis epiſtola longa eſt, nihil eſſe ſcribendum præcipiamus. Neq; rurſus hæc dixerim, quod eos probem, qui ridicule copiam affectantes, emendicatis uocabulis & male conſutis ſententiarū centonibus, epiſtolam infarciunt: quiq; cùm omnino ſcribere neſciant, tamen ſcribendi finē inuenire nunquam poſſunt. Nihil enim infantia loquacius. Sed ut puerorum cauſa eorum ſtultitiam refellam, qui ſuam infantiam laconiſmi nomine prætexūt, cum interim

Hoc eſt, ultra ſepta tranſilientes.

Lib. 6. ca. 2.

De centone lege Prouerbiū Farciri centones.

nec ipſa breuitatis ac copiæ uocabula, quid ſibi ue-
lint intelligāt, cū unius atq; eiuſdē artificis ſit utrūq;.
In Hippia minore. *Etenim quemadmodū apud Platonē Socrates, eum*
demum optime uerum dicere poſſe colligit, qui ſit
idem artifex mentiendi optimus: ita nemo breuitatis
nomine rectè laudabitur, qui non idem quàm copio-
Breuiter dicere. *ſiſſime ſcribere poſſit. Nam quid tandem eſt, breuita-*
tem præſtare? Nempe maximam rerum uim, quoad
fieri poteſt, in pauca conferre: non pauca ſcribere,
quod alioqui uel indoctiſſimus quiſque, deſidioſiſſi-
musq; facilime poſſit. Omnem igitur ad copioſe di-
cēdum ſupellectilem in animo præparaeris oportet,
ſi laconiſmi, hoc eſt, breuiloquentiæ laudem auferre
uoles. Ea autem pro argumēti oblati modo, utq; ſeſe
dabit ocium uel ſcribenti uel lecturo, ita utemur: mo-
dò rei ſatis fiat. Neq; interim ulla epiſtola nō breuis
uidebitur, in qua præter argumenti diſpendium nihil
adimere queas: quæ ſic eſt ſcripta, ut iterum atque ite-
rū relecta, tamē non ſatiet, cùm tua interim, uel in-
tra duodecim uerſiculos conſiſtens, adeò breuis non
Prouerbium. *ſit, ut Iliade quoque uideatur prolixior. Quandoqui-*
dem in hac, tametſi longiſſima, nullus ex tot uerſuū
millibus redundat, cùm ex tuis illis undecim uerſicu-
lis, ſeptem poſſint reſecari: atq; ita ſanè reſecari, ut
reliqui quoque ob ſermonis ineptiam, immenſæ pro-
lixitatis nauſeam faciant. Quare ſi quem in ſcriben-
dis literis impendiò delectat hic laconiſmus, per me
quidem licebit, ſi rei ocijq; modo, nō chartarum ſpa-
cijs ac uerſiculorum numero breuitatem metiatur.

Nec ita ſcribat pauciſſima, ut ex ijs ipſis ſuperſint quædam, ſed ut, uelut è diuite rerum aceruo, optima quæq; decerpta fuiſſe appareat. Meminiſſe tamẽ debemus, nonnihil intereſſe inter uolumen & epiſtolam, propterea quod hæc ad temporis, rerum, perſonarumq; præſentem rationem, quantum licet, eſt accommodanda. Volumen quoniam omnibus ſcribitur, ita temperandum eſt, ut optimis atque doctiſſimis placeat. Epiſtola.

DE ILLABORATA EPISTOLA.

SVnt qui non ferant epiſtolam niſi inelaboratam, et hac de cauſa figuratam eſſe nolint: ne ſi quid in ea phaleratum fuciue appareat, lucernam olêre dicatur. At ego citius feram epiſtolam, quæ lucernam oleat, quàm quæ temetũ, quæ myrothecia, quàm quæ hircum. Quis porrò tam iniquus cenſor, qui non eas ueterum epiſtolas optimas iudicet, quæ ſint omni cura arteq; elaboratæ? Quid unquam exquiſitius accuratiusq; ſcripſit Cicero, quàm illam prolixã ad Lentulum: rurſus illam, qua Curioni commendat Milonem, & pleraſq; ad M. Varronem, præcipue uerò eam, qua Luceio perſuadere conatur, ut res ab ſe geſtas literis mandet: quam ipſe uelut accurate feliciterq; ſcriptam, Atticum ut legat hortatur? An lector his anteponat eas, quas ſcripſit ad Terentiam, Ciceronem, Tironem, aut Acilium? An Plinius, dum Ariano ſuo ſcribit, quid ſit actum in cauſa Marij Priſci: dum Gallo Laurentianum ſuum deſcribit: dum Minutiano narrat, quid rerum geſſerit in prouincia Bœ-

Myrothecia, pyxis unguẽtaria, quã Cicero narthecium uocat.

tica: dum Appollinari Tuſcos agros ſuos depingit, num decem uerſibus abſoluit epiſtolā? Atq; is teſtatur eas potiſsimū à ſe collectas, quas ſcripſiſſet accuratius, nimirū ut poſteritate digniores. Sed interim habēda ratio, cui ſcribas. Sunt qui neglectam & illaboratam epiſtolam, ſui contemptum interpretantur. Sed ut dicam in genere, quemadmodum incidere poteſt, ut pro perſonæ, cui ſcribis, proq; argumenti ratione, nullum ornamentorū aut dignitatis genus nō deceat epiſtolam: ita ferè congruit ſimplicitas quædam orationis, ſed elegans. Non efflagito phaleras, ſed idem nō fero pannos. Nō deſidero calamiſtros, modò adſit mundicies. Pigmenta negas, at ſordes ut abſint facito. Non requiro curam anxiam ac moroſam, ſed rurſum nolo ſcopas diſſolutas. Poſtremò, ſi libet, ſcribito ex tempore, ſcribito quicquid in buccam Prouerb. *uenerit, ſed ita, ut ad Atticum fecit Cicero.*

DE GRAVITATE EPISTOLAE.

Epiſtolā quādoq; nō infeliciter aſſurgere.

NAm iſtos, qui nuſquam uolūt aſſurgere epiſtolæ phraſim, ſed quotidiano ſermoni proximam eſſe oportere cōtendunt, uel una Ciceronis epiſtola facile reuicerit: nimirum ea, quam ſcripſit ad Octauium Auguſtum: quæ adeo non repit humi, ut nō ſolum attollatur ad orationum procellas, uerum etiam in tragœdiam exeat. Et arbitror atrociſsimā eius epiſtolæ partem eſſe reſectā ab ijs, qui hoc uel Octauij, uel Ciceronis intereſſe putabant. Quid enim illa, Quid illis interrogantibus, quid agat nunc Reſpub. reſpondebit aliquis noſtrū, qui proximus in illam æternam domum

domũ diſceſſerit? à quo accipiẽt de poſteris ſuis nun/ cium ueteres illi Aphricani, Maximi, Pauli, Scipio/ nes, quid de patria ſua audierint, quam ſpolijs trium/ phisq́; decorarũt, & cætera, quæ cõſequuntur. Num remiſsiora tibi uidentur, illa Albanorũ tumulorũ ob- teſtatione, qua nihil in oratione uehementius inueni ri poſſe putat Fabius? Efferueſcet igitur uel in tragi/ cam uſq; uociferationẽ epiſtola, ſi quando res ita po ſtulabit, ſumetq́; ampullas, & ſeſquipedalia uerba. Neq; de bello paceq́; ſimili ſtylo loquetur eruditus magnatibus, quo de macerandis ſalſamentis, aut co- quendis holeribus mandaret famulo. Cæterũ in me/ diocribus argumentis, ſi non incidet quod aliud ſua deat, non diſplicebit Atticiſmus in epiſtola: nec hîc requiram fulmina aut tonitrua Periclis, ſi modo ſer mo uelut è fonticulo lympidis aquis, grato leniq́ue murmure perſtrepentibus fluat, non uelut mortuus, ſtagni in morem torpeat, omnium expers affectuũ.

Ex Milonia na. Li.12. ca.17.

Atticiſmũ Ci cero uocat quicquid ſic- ce, & integre & ample, & ornate, & co pioſe, poſtre- mo quicquid bene dicitur.

DE PERSPICVITATE EPISTOLAE.

Ecce autem maxima pars eorum, qui hoc iuris, uel ætatis, uel fortunæ prærogatiua ſibi uindicant, ut de literis quas non didicerunt, cenſuram agant, ma gnis etiam conuicijs à nobis efflagitant perſpicuita- tem. Graue flagitium eſſe clamitãt, ſi uerbum ullum miſceatur epiſtolæ, quod legentem uel tantiſper re/ moretur. Memini quum ipſe puer annos natus qua- tuordecim, ſcripſiſſem tutori cuidam meo, quem ma gis etiam puer habueram inſtitutorem, & ex lectio/ ne librorum, qui tum ſuppetebãt, admiſcuiſſem non/ nihil:

De Pericle Pli. Iun. li. 1. epiſtola non longè à fine.

nihil:reſcripſit homo,nõ minus ſuperciliosus, quàm indoctus, ut ſi poſthac eſſet animus tales epiſtolas mittere, eadem opera commentarium adiungerem: ſibi ſemper hunc fuiſſe morem,clare,& punctuatim ſcribere:nam his floſculis ſibi placebat. Non hæc dico,quod negem in quauis oratione præcipuam eſſe laudem perſpicuitatis.Quid enim eſt oratio,quæ nõ intelligitur? Sed quemadmodũ pro re non ſolum probanda,uerum etiam neceſſaria eſt perſpicuitas,facilitasq; ſermonis:ueluti,quoties ſerium quippiam petitur ab homine ſemidocto,moroſoúe,aut etiam uehementer occupato:ita incidit nonnunquam, ut non aliud genus excuſatius admittat obſcuritatem : uelut cùm eruditus cum erudito uelitatur literatis iocis, quos nolit à quouis intelligi. Quemadmodum nos olim luſimus cum eruditiſſimo uiro Thoma Linacro, cui ſcripſimus epiſtolam metro trochaico tetrámetro,ſed ita temperata compoſitione,ut aliud agenti non ſuboleret eſſe carmen. Admonuerã in epiſtolæ frontiſpicio,ut ſibi caueret,nã mihi in animo eſſe,ipſum hac epiſtola fallere:et in calce adieci,iã me feſelliſſe,ni fallerer ipſe. Nõ ſenſit homo fraudẽ,niſi monitus à me. Mihi non diſplicet illud Octauij Cæſaris, non aliter in ſermone fugiendum uerbum inſolens, quàm in curſu ſcopulum. Et merito ridentur hoc noſtro ſeculo quidam Apuleiani,& obſoletæ antiquitatis affectatores. Arridet uſitatis uerbis contexta oratio,ſed ab iſtis lubens quæſierim, quæ tandem appellent uſitata?num è compitis,ac triuijs ſumpta?Recte

Vide Gel.li. 10.cap.1.

ſtè ſanè ſi Gallicè, aut Germanicè ſcribendum erit. Verum ſi Græcè aut Latinè, quid minus conuenit, quàm eius ſermonis mundiciem ab his autoribus petere, apud quos præter meras ſordes nihil eſt? Olim hoc iuris erat conſuetudini publicæ, ut quaſdam uoces antiquaret, alijs gratiã nouitatis adderet. Quanquam ne tum quidem omnia placebant doctis, quæ uulgo in conciliabulis, theatris, aut caſtris iactarentur: & erant in libris eruditorum, ad quæ reſiſteret plebeius lector. Nunc uerò latinè loquendi conſuetudo, non à foris aut cõciliabulis idiotarum, ſed à probatis autoribus petitur. Itaq; nullum uerbum inuſitatũ uideri debet, quod extet in elegantis mundiq; ſcriptoris literis. Quid Ciceronis oratione candidius, quid apertius? At hic nonnullis uidetur Cimerijs tenebris obuolutus. Quid Terẽtiano ſermone luculentius? At hunc ne cõmentarijs quidẽ adiuti, cõplures intelligunt. In ſordidis autoribus uerſatus, ſi quando inciderit in Quintilianum, clamat omnia ſibi uideri Græca, aut Arabica. Dãda eſt opera, ut ſimus aperti ſed eruditis. Neq; quenquam cõmoueat obſcuritatis crimen, quod ſit illi cũ Cicerone aut T. Liuio cõmune. Clamitas tenebricoſam eſſe Flacci dictionem, ſed eruditis uel in primis admirabilis eſt erudita perſpicuitas. Proinde colligis, opinor, in te tenebras eſſe, non in autore. Tu in quemcunq; ſcriptorẽ incideris, modo laudatum, noctem iſtã tecum circumfers. Vociferaris ſpinoſum eſſe librum, ſed tui pedes ſpinas habent, non locus: caligas in ſole, & lux ipſa tuis oculis

Prouerb.

noctuinis pro caligine eſt. Mutandus eſt, inquis, ſty- lus: qui quoquo modo accidat, tamen nõ intelligitur. Prouerb. *At quãto iuſtius eſt, et tibi etiã utilius, tuũ mutare ui- tium, quàm eruditos omnes ſuã orationẽ tuo uitio ac commodare. Barbare loquendi mille ſunt ſpecies, ac ſubinde exoriũtur nouæ. Itaq; ſimplicius eſt ac faci- lius, ut unã emendate loquẽdi rationẽ diſcãt omnes, quàm ut omnes barbare dicendi formas ſinguli. An æquum cenſes, ut docti Romanam linguam, cui tot egregiæ diſciplinæ, cui Chriſtiana religio concredi- ta eſt, ſinant intermori, ne quid offendãt iſtorũ indo- ctam arrogantiam. Num par eſſe iudicas cõmittere ut intereant? nõ dicã Cicero, Quintilianus, & huius generis cæteri: ſed Cyprianus, Hieronymus, Auguſti nus, ut pro his legatur, Catholicon, Holcot, Bricot, & Gorra? An luſcinia commutabit cum cuculo mo dulos ſuos, propterea quod aſello iudici planius et in telligibilius canit cuculus? At iniquius ſit, ſi docti co gantur rectum ſermonem dediſcere, ut cum iſtis fœ- de balbutiãt: præſertim cũ eis in manu ſit, imò cum eis tot nominibus expediat ea diſcere, quæ ſuo ma- gno malo faſtidiũt. Ego uerò qui ſemper diſcẽdi ſum cupidus, nec his ſuccẽſere ſoleo, qui priſcas uoces & à Ciceronis etiã conſuetudine ſemotas eruũt. Fortaſ- ſis & his uſus erat Cicero, ſi extaret quicquid ſcri- pſit. Nõ indignor obiectũ eſſe, quod nõ intellegã, ſed oblatum gaudeo quod diſcam. Tu contrà mauis alie nam eruditionẽ reprehendere, quàm tuam ipſius in- ſcitiã uel agnoſcere modeſte, uel mutare prudenter.*

Mauis ſolem in crimen uocare, quàm lippientes ocu los tonſori Licino cõmittere. Ac uide interim, quàm ſtudioſe in nos iniquus ſis: tu qui tuis in literis ſordidiſsimi ſermonis portenta inculcas, quum uere tenebricoſus ſis, ſanis etiam oculis: dilucidus tamen uideri poſtulas, & alios obſcuritatis accuſas. Paria certe facere debueras: & ſi oculis tuis iraſci nõ potes, ſaltem noſtras falſas diſsimulare tenebras, quum tuas, quæ teterrimæ, ueriſsimæq; ſunt, cupias & laudari. Non dignatur tua prudentia Latinam linguam diſcere, quo poſsis D. Hieronymum (nam unum hunc plurimorum uice nomino) intelligere, & nos uis feſcem iſtam ſermonis in tua culina nati, perdiſcere, ut te tuosq; ſodales delirantes, ac miſere balbutientes intelligamus? Nõ uerò hæc optime lector, in hoc tot uerbis diſſerimus, quod eruditam ſermonis ſimplicitatem contemnamus: quæ mea ſententia, ſæpenumero plus habet artis, quàm operoſa ſtructura: ſed ut ueram perſpicuitatem à ueris tenebris ſeparemus. Seruiendum eſt auribus, ſed eruditis: in his dũtaxat, quæ cupimus ab eruditis legi. Quod huic obſcurum eſt, illi dilucidum eſt. Sed hic luſcioſus, ille puris oculis. Eſt tamen aliquid ſuapte natura dilucidũ, ad cuius ſenſum repurgandi ſunt oculi. Cæterùm, ut ad inſtitutum ſeſe referat oratio, quanquam obſcuritas quoties officit, ubiq; uitanda eſt uel dicenti, uel ſcribenti: tamen haud ſcio, an ullo in genere plus inueniat ueniæ, quàm in epiſtolis: modo non indoctis, in quibus uel Ciceronis exẽplo, licet ſubinde Græca miſcere

Tõſor Augu ſti Cæſ. ſuit Licinus de quo Horatius.

In epiſtola quid liceat.

ſcere

ſcere Latinis,obſcuris alluſionibus uti,amphibolo/giis,ſignificationibus,parœmiis,ænigmatibus,clauſulis de repente præciſis.Tantum habenda ratio,qua de re,cui ſcribas.Non damnabitur libertas,ſi non deſtituat nos conſilium,cui decet artem ubiq; cedere.

DE COMPOSITIONE.

De compoſitione lege Fabium li.8.capite 4.

Porrò qui compoſitionem in hoc genere damnăt, equidem non adeo demiror, quum uideam fuiſſe permultos, qui eam ne in orationibus quidem æquo animo tulerint.Quanquam mihi nunc cum iis potiſſimũ res eſt,qui quid ſit in oratione compoſitio,prorſus ignorant.Cæterum quũ eiuſdem ſit artificis,orationis numerum uel adhibere in tempore,uel negligere,& hanc partẽ ſcriptoris arbitrio relinquo: niſi quod uelim adoleſcentem,qui tantũ exercendi ſtyli gratia ſcribit, aliquandiu cõpoſitionem etiam elaborare.Ita fiet, ut ſi res poſtulet orationem numeroſam,apte moduletur:ſin neglectam,tamen uitet illud Ciceronis conuicium,Scopæ diſſolutæ.

DE HABITV EPISTOLAE.

Habitus, ipſa forma ac facies dictionis lib.12.ca. 10.

Magna olim inter eruditos ſententiarum uarietas fuit,quod dicẽdi genus maxime probaretur,Atticum,Rhodiẽſe,an Aſiaticum. At Fabius exiſtimat eum optimũ dicendi genus ſequi,qui pro re,pro loco,pro tempore,pro qualitate auditorum quàm appoſitiſſimè dicit:ut inepte faciãt, qui dictionẽ ad certas leges adſtringunt.Itidẽ & ego eam epiſtolam optimam iudico, quæ à uulgato hoc & indocto literarum genere quàm longiſſime recedat:quæ ſentẽ iis exqui/

exquiſitiſsimis, uerbis electiſsimis, ſed aptis conſtet: quæ argumento, loco, tempori, perſonæ, quàm maxime ſit accõmodata: quæ amplißimis de rebus agens, ſit grauiſsima: de mediocribus, concinna: de humilibus, elegans & faceta: in iocis acumine delectet, ac lepôre, in encomijs apparatu: in exhortando uehemens ſit, & animoſa: in conſolando blãda ſit & amica: ſuadendo, grauis ſit & ſententioſa: in narrando, lucida & graphica: in petendo, uerecũda: in commendando, officioſa: in rebus ſecundis, gratulabunda: in afflictis, ſeria. Deniq; (ne quæ ſunt infinita perſequar) ſit uerſipellis, ac Polypus quemadmodum ſemet ad omnem ſubiecti ſoli habitum, ita ſeſe ad quemuis argumenti, reliquarumq; circumſtantiarum habitum á temperet. Neq; enim rei ſolum obſecundabit epiſtolæ ſtylus, uerum ut dignum eſt egregio quopiã Mercurio (nam nuncij uice fungitur epiſtola) temporum perſonarumq; rationem habebit: nec eadem de re quouis tempore, nec apud quoſuis loquetur: alia ſpecie ſeſe offeret ſenibus, alia iuuenibus, alia tetricis ac ſeueris, alia ijs qui feſtiuiore ſunt ingenio, alia aulicis, alia philoſophis, alia familiaribus, alia ignotis, alia uacuis, alia negocioſis, alia fidis ſodalibus, alia fictis amicis, ac parum beneuolentibus. Sed interim & illud ſpectabit, unde ueniat, non ſolum ad quẽ ueniat, aut quibus de rebus legata. Proinde Mercurium quendam aget, ſemet pro re præſenti in omnem transfigurans habitum: ſed ita tamen, ut in tanta uarietate, unum quendam tenorem obtineat: uide

Ingenijs hominum epiſtolã accommodandam eſſe.

Nam ille nũc nuncij, nunc mercatoris, nunc furis habitum gerit.

licet ut ſemper mũda ſit, ſemper erudita, ſemper ſa-na. Ab his ſi non fuerit receſſum, nullũ eſt præterea delictũ in epiſtola, cui nõ ſit parata uenia. Erit loquacior, ſcripta dicetur tum auido, tum ocioſo. Elaboratior erit, & lucernã olens, ſcripta eſt erudito. Habebit artificium, talem decebat mittere artifici. Carebit artificio, ſcripta putabitur ei, cui placebat ſimplicitas, aut imperitiori. Laconiſmũ habebit, occupatus ſcripſiſti occupato. Fucatior erit, ac picturatior, ſcripta dicetur curioſo: priſcis uerbis, antiquario: blandior, amico: licentior, familiari: aſperior, improbo: adulãtior, ambitioſo putabitur. Deniq; quicquid alibi non uacaſſet crimine, hic uel à re, uel à perſona ſcribentis, uel à maioribus, fortunaq;, uel ætate eius cui ſcribitur, defenſionẽ inueniet. Quin et alias damnanda phraſeos & argumentorum uarietas & inæqualitas, hic uel præcipuam habet gratiam. In Noctibus ac Miſcellaneis argumẽto ſubinde nouo datur uenia, ſtylo ſubinde diuerſo nõ datur. In epiſtolis iuuat etiã uidere, quantum oratio iuuenilis differat à ſenili, quid'ue ætas ſtylo uel adiecerit, uel detraxerit. Quare, qui unam quampiam formam ac faciem huic generi tribuere conantur, hi nõ ſolum inanem, uerum etiam ridiculam operam ſumunt.

Qualia Gellio, & Politiano ſcripta ſunt

PECVLIARIS EPISTOLAE *character.*

Sunt qui ad Libaniũ tanquam ad germanum autorem referunt.

Fortaßis erunt, qui quaſdam epiſtolas ſemouebunt ab hoc ordine: quod genus ſunt epiſtolæ ad exercitationem, uel oſtentationem ingenij confictæ: ueluti

Phala

Phalaridis, quas eruditi tribuunt Luciano: et amatoriæ Philoſtrati ſanè quàm elegãtes, ſi perinde eſſent caſtæ: ad hæc heroinarũ, autore Naſone, aliæq; cõſimiles, quas ſi quis malit appellare declamatiũculas, equidẽ nõ admodũ refragabor. Sunt in quas magis libri nomẽ uidetur cõpetere: quales ſunt aliquot Platonis, Senecæ omnes: pleræq; Hieronymi, Cypriani, & Auguſtini: Tertuliani paucæ. Sunt quas aliquis malit orationes appellare, nimirũ quæ ad principes aut magiſtratus, arduis ac perplexis de rebus prolixe ſcribuntur. Tunc enim epiſtola, nõ confabulonis, aut nuncij, ſed oratoris uice fungitur. Quòd ſi quis non dignatur epiſtolæ uocabulo, niſi quæ priuatis de rebus inter amicos obambulet: quanquã ne hîc quidem certa forma præſcribi poteſt: tamen ſi qua peculiaris eſt huic generi, uideor mihi nõ maiore cõpendio, quæ ſit, indicare poſſe, quàm ſi dixero talẽ oportere eſſe dictionem epiſtolæ, quales ſunt amicorum inter ipſos confabulationes. Eſt enim (quod ſcite ſcriptum eſt à Turpilio Comico) epiſtola abſentiũ amicorum, quaſi mutuus ſermo, quẽ neq; agreſtem, aut aſperum, neque fucatum eſſe oportet, neque una de re, neque ad faſtidium uſque multum. Eoq; ſimplicitatem, candorem, feſtiuitatem, argutiam amat hoc epiſtolarum genus. In his igitur omnia lepôrum genera cõſectabimur, niſi quum res, aut perſonæ diuerſa poſtulabunt. Neq; diu ſermonem eundem urgebimus, & quod ſolemus cum amicis confabulantes, miſcebimus, ſi uidebitur, non ſolum multa, uerumetiam

tiam uaria. Huic generi magis congruet Atticiſmus, ac ſtylus humilior, comœdiæ proprior quàm tragœdiæ, aut ſi quid etiam humilius phraſi comica, modo docta ſit humilitas: meminerimusq́; non inferioris eſſe facultatis, cum laude humi ſerpere, quàm cum Dædalo uolare per aëra: & uicinum littus legere contractis uelis, quàm ſublatis antemnis, medio ferri pelago. Amica eſt huic generi breuitas, maxime ſi uel de multis uel de minutulis negotijs agetur: & ſi aut ipſi qui ſcribimus, aut ij quibus ſcribitur occupatiores erunt. Cæterum quibus rationibus præſtanda ſit breuitas, indicauimus in opere de Copia. Quod ad hoc inſtitutum attinet, breuiloquentiam præſtabimus, ſi quando, ita ut fit in comœdijs, ſtatim mediã in rem aggrediemur: ſi præfationes ſuperuacaneas uitabimus: ſi uerbis quàm ſignificantiſsimis utemur: ſi rerũ exitus ita proponemus, ut ex his conijciãtur ea quæ præceſſerunt: ſi epiſtola, cui reſpondemus, argumentum recenſere ſuperſedebimus, quæ res nõnunquam bonam epiſtolæ partem occupat, ſed hoc è noſtris diuinandum relinquemus. Quod genus ſunt illa: Quid narras? Antonius epiſcopus? Ouẽ lupo quod aiunt. Hæc tẽpeſtas magis deſiderabat Aurelium. Ille quid aliud quàm nullus magnus malus piſcis. Tu uerbo, ſed abſolutius totum hominem depinxiſti. Occideras de ualetudine fratris: ſed optimo medico quãtum debeam, breui re ipſa declarabo. Fœcunditas uxoris mihi iucundior eſſet, ſi res unà cum prole creſceret. Cum Laurentio homine furioſo, maledico, ſatius arbitror

Breuitas epiſtolæ quomodo conſtabit.

bitror nullo pacto contēdere. Quid enim aliud quàm iritabis crabronem, aut ſi quid crabone peſtilentius? Ex his enim uerbo notatis perpendet lector, quid ille ſcripſerit, cui reſcribitur. Sunt qui alienam epiſtolam penè totam recēſent, ac propemodū uerboſius, quàm is qui ſcripſit. Si res poſtulet ut repetatur argumentū, id dextera quadam, et accommoda breuitate fieri conueniet. Qua quidem in re Politianus mirus eſt artifex, qui hoc in pleriſq; epiſtolis facere conſueuit, nimirum lectori conſulens, ne quid deſideraret, ſi forte non extarent epiſtolæ, quibus reſpondet: aut ſi tales eſſent, ut non liberet legere.

ELEGANTIA.

IAm admonere, ut ſermonis uitijs careat epiſtola: tametſi hoc in arte ſua præcipiunt rhetores: tamē mihi uix operæ preciū uidetur. Nec enim tā ad rē attinet admonere, ne fiat, quàm dedocere noſtram ætatem, quæ paſſim id facit. Nihil breuius præcipitur, quam ut ſit elegans epiſtola: at nihil maiore negocio diſcitur, nec uſquam peccatur, aut turpius, aut frequentius. Hoc uitiū intolerabile reddit infælix affectatio. Quid enim tā portentoſum, quam oratio, quæ quum munda non ſit, tamen ornata uideri uelit: & quum ſana non ſit, tamen formoſa uideri geſtiat, purpuriſſimū hulceribus illinens: ueluti is qui noſtra ætate maluit dicere: ſagio quid portendas, quàm, ſentio quid tibi uelis. Multa lectione, multis præſcriptionibus, accurata ſcriptorum obſeruatione, multo ſcribendi dicendiq; uſu paratur ſermonis mundicies.

Elegantia, mundicies, & puritas ſermonis Latini.

Affectatio.

b 3 Erit

BIBLIOTECA NAZ. P.C.A.A VITTORIO EMANUELE

Erit hic igitur primus ac præcipuus labor, ſi ſuppe/tet orationis puritas, atq; etiam ingenij ſanitas. Ar/tem in epiſtola non admodum efflagitabimus: ſin de-erit, riſum etiam mouebit artis affectatio.

EXERCITATIO ET IMITATIO.

A quibus non licet ſine periculo diſcedere

NE illud quidem hominum genus errare ſinemus, quos ipſe non parum multos deprehendi, qui tri bus præceptiũculis, ceu magicis uerbis recte ſcriben di facultatem dari poſſe credant: quorũ ſtultitiæ uti-nam olim non obtemperaſſem. Talis enim erat is, in cuius gratiã ante annos uigintiquinq; opus hoc deli/niaram, non tam ex animo, quàm mea facilitate cu/piens obſequundare efflagitanti: quem mox exper/tus ſum, & ingratum diſcipulum, & perfidum ami/cum. Is in principum aulis meliorẽ ac maiorẽ æta/tis partem contriuerat, niſi quod ſacerdotijs opimis onuſtus, iam ſero ſapere cœpit, et de literis cogitare quæ marſupium non conſequuntur. Sed huius gene ris non parum multos comperi, qui ſimulatq; à pro/phanis negocijs, & à ſordidiſſimis coaceruandæ pe-cuniæ curis, ad literas ſeſe appulerint, huiuſmodi quaſdam compendiarias rectè ſcribendi leges à no/bis flagitare ſolent: quas & ita breues eſſe uolunt, ut tertiam paginam non totam impleant: & ita effica ces, ut intra menſem non totum, è muta pecude red dant oratorem eloquentem. Aiunt ſibi opus eſſe om ni compendio, propterea quod ſunt ignauiſſimi, ut quàm minimum operæ ſumant in rebus honeſtis, & ætatis bonam partem iam alijs in nugis perdiderũt: poſtre/

Alluſum eſt uulgato Hieronymiano/

poſtremò quod ad ſordida illa negocia redire feſti/nant, literas igitur uelut obiter ſecũ rapere ſtudent. Hos ſi ridere libeat, iubeo ſemel ex muſarum fonticu lo bibere, atq; in Parnaſſo ſomniare, quò repente no bis prodeant ex aſinis luſciniæ. Cæterum de quibus aliqua bona ſpes affulgebit, hos admonendos cenſeo, ne errent. Neq; enim committam, ut hæ præceptio nes, quas ſtudioſorum adoleſcentium induſtriæ pro-mouendæ paramus, aliorum ſtultitiam augeant. Au/gerẽt autem, ſi quis tantum his tribueret, ut citra ua riam eruditionem, citra ſtudium uigilantißimum, ci/tra multum uſum ex his ſibi facultatem rectè ſcriben di polliceretur. Cæterum delicatos iſtos, & indoci/les ſenes, quibus plures ſunt pecuniæ, quàm literæ: quibus uacauit tot annis arcas onerare numis, nec uacauit animum onerare honeſtis diſciplinis, in Par naſſum, ut dixi, mittamus, ut poſtquam illic unam no ctem cum Ennio ſomniarint, magno omniũ ſtupore, ſubito pro Midis redeant Cicerones. Aut certè lege-mus illos ad talem præceptorẽ, qualẽ Rhetorices do ctorẽ depinxit Lucianus. Porrò iuuenes induſtrios, ac meliore mẽte præditos, ad uigilias, et exercitatio/nis aßiduitatem hortabimur: quam, quũ in omni re, tum in hac potißimum tenere primas, & à grauiori bus autoribus dictum eſt, quàm ut ſit dubitandum: & ſæpius repetitum eſt, quàm ut hic ſit admonen/dum. Neq; tamẽ inficiabor, bonam laboris partem, doctoris cõmoditate poſſe detrahi: quem ut aßiduũ & indefatigatum, ita quàm doctißimum eſſe uolo: In Rhetore.

ne quod præcipit, ipſe præſtare non queat: & iuxta prouerbium, Sus ſuem docere incipiat. Quod ſi ob noſtrorum temporum infelicitatem, non temerè talis contingit, ut exquiſita doctrina præpolleat, ferendus tamen erit: modo ne ſit ex horum numero, qui falſa perſuaſione doctrinæ turgidi, magna (ut inquit Fabius) confidentia, ſtultitiam ſuam perdocent: illiteratiores, quàm ut alios docere poſsint: elatiores, quàm ut ab alijs doceri ſe patiantur. Cuiuſmodi peſtes procul ex urbibus deportandas curarent ubiq; magiſtratus, ſiquidem aut partes cognoſcerent ſuas, aut ulla omnino reipub. cura tangerentur. Ampliſsimis ſalarijs aluntur tot tibicines ac tubicines: nemo potius erat ampliſsimo ſalario acerſendus, quàm eruditus ludimagiſter. Verum hoc ſalarium nolim eſſe certum ac perpetuum, ne magnitudo mercedis improbos inuitet, & indoctos, quibus ſemper minus eſt frontis, & plus audaciæ, quàm eruditis. Conueniet ſalarium arbitrio doctorum, & ſpectatæ fidei uirorũ, pro merito eius qui aſciſcitur, præſtitui, atq; etiam augeri, minuiue, ſi is ſua doctrina, ſuaq; induſtria uinceret expectationem de ſe, aut contra. Alioqui periculum erit, ne uſuueniat, quod in ampliſsimis ſacerdotijs uidemus accidere: quæ quo ſunt magis opima, hoc ab indignioribus occupantur. Extant apud nos, ſi muſis placet, etiam uolumina non exigua de conſcribendis epiſtolis, ad unamquanq; formã additis aliquot exemplis: ſed ô DEVM immortalem, cuiuſmodi. Sed hæc prodigioſa barbaries illi ſeculo imputanda eſt, quo

Lib. 2. cap. 3.

prorſus

proſus extinctis omnibus bonis literis impune re-gnabat inſcitia, publice ſimul ac priuatim: quũ gra-uis & copioſus autor eſſet Mammætrectus, opulen-tum quondam copiæ cornu Catholicon. Iam apud Ita-los cœperant reuiuiſcere bonæ literæ, quum Louanij magno cum applauſu legerentur epiſtolæ Caroli cu-iuſdam, qui multis annis moderatus eſt pædagogium Lilienſe, quas nunc nemo dignetur ſumere in manus. Apud Hollandos, orbis lumen habebatur Engelber-tus quidã, qui ſuis epiſtolijs nihil aliud docebat pue-ros, quàm inepte ſcribere. At niſi me fallit animi præ-ſagium, breui ueniet ætas, quum nec his monitis erit opus, nec meis præceptionibus iuuentus egebit. Sed interim ut mediocriter literatos didaſcalos induſtria noſtra nonnihil adiuuemus, poſtea quàm ſuis tra-diderit cõpendio artis rhetoricæ præcepta, ſtudebit illos breuibus, & epiſtolaribus argumentis frequen-ter exercere. In his delectum habebit & curam, ut ea potiſſimum proponat, quæ ætati illi amœnitate ue lut illecebræ blandiantur. in his enim pueri ut liben-tius, ita & utilius exercebuntur: id fiet, ſi uel noua ſint, uel faceta, uel alioqui puerorũ ingenijs affinia. Ea uel è poetarum fabulis, uel ab hiſtoricis erunt pe tenda, niſi quid nouæ rei, ut ferè fit, ſuggeſſerit uita mortalium. Frequenter enim & noſtris temporibus eueniunt, indigna quæ neſciat poſteritas. Et primi quidem generis ſunt amatoriæ Naſonis, in quibus fortaſſe tutum nõ ſit, rudem ætatem exerceri. Quan quam heroicarum ſunt caſtiores, neq; quicquam ue

Mammætrectus.

Catholicon.

Epiſtolæ Caroli.

Engelbertus.

Quomodo exercenda iuuentus in epiſtolicis argumentis.

Amatoria themata.

tat & hoc genus caſte uerecundeq; tractarī. Veluti ſi procus blandis literis ambiat nuptias puellæ. Si Helena Paridē ab amore non permiſſo deterreat. Nam Penelopes ad Vlyſſem epiſtola tota pudica eſt, quemadmodum & Acontij ad Cydippen. Si uxor marito peregre ceſſanti ſcribat, uti domum properet. Si Neſtor uir natu grandis & facundus, hortetur Achillem epiſtola, ut Bryſeida ereptam ab Agamemnone magno animo ferat: oſtendens regi etiā improbo parendum eſſe: tum publicum commodum priuato dolori anteponendum: poſtremo, uehemēter indignum eſſe, Achillis uel genere clariſſimo, uel animo generoſo, uel factis egregijs, ob barbaræ ancillæ amorem, uirtutis obliuiſci. Vbi ſimul etiam amœnus ſeſe locus aperit, aduerſus uoluptatem inhoneſtam: rurſum alter pro immortalitate geſtis eximijs apud poſteros paranda. Si Phœnix eidem ſcribat, ut cum Agamemnone redeat in gratiam, & periclitantibus Græcis ſubueniat. Aut ſi Antenor Priamo ſuadeat, ne grauetur raptam Helenam ſuo Menelao reddere, uel quia per ſe iuſtum ſit, uel quia ſtultiſſimi regis ſit cōmittere, ut ob turpiſſimum effœminati iuuenis, & uix uiri Paridis amorem, tot fortiſſimi uiri dimicationem ſuſcipiant: tot populorum fortunæ, ſimul & uita, in extremum diſcrimē pertrahantur. Aut ſi Agamemnō ſuadeat Menelao fratri, ut negligat potius Helenā, quàm ut ob mulierculam uita indignā, tot procerum milia in uitæ periculum adducat, & eam totius orbis tumultu repetat: quæ etiam ſi ultrò rediret, non eſſet

Homerus Iliad. 1.

Phœnix Achillis præceptor de quo Homer. Ili. 11

recipienda. Aut ſi Linus Herculem, duabus conſpe-ctis deabus, utram potius ſequatur hæſitantē, ad uoluptatis conceptū, & uirtutem amplectendam exti-mulet. Aut ſi Menelaus Paridi uiolatum hoſpitium exprobret. Si Amphion fratrem ad muſices ſtudium adhortetur, contrà ille ad ſuum inuitet. In hoc genere pleriq; Græci non infeliciter luſerūt, ſed nemo fe-licius Luciano. Ex his tamen deligenda cenſeo, quæ non omnino ſint ocioſa, ſed habeant aliquid ad uitā communem conducibile. Ocioſa ſunt illa Luciani, de Ioue cerebro prægnanti, et implorante ſecurim Vulcani: de Neptuno per Mercurium non admiſſo, cum recens Iupiter peperiſſet è cerebro Palladem. Nam huius generis quæ ſunt, ut ſunt amœna, & ingenij fe-licitatem arguunt: ita non multum faciunt ad uitam communem. Huc propius conducunt, quæ è comicorum argumentis ducūtur. Quod genus fuerit: ſi Phædriæ ſodalis illi ſcribat, ut Thaidis amorem penitus excutiat ex animo, ac priſtinæ ſuæ ſeueritatis memor, ineptire deſinat: præſertim cum magno famæ, reiq; diſpendio ſit alēda, quæ nec amet ex animo, nec uni ſui copiā faciat. Si quis diuiti illi Plautino ſuadeat, ut Euclionem pauperem probū, potius quā diuitē illum procum aſſciſcat generum: aut cōtra, diuiti potius collocet filiā, quàm pauperi. Si Demea fratrem ad ſuum uitæ inſtitutum uocet, hoc eſt, ab urbana uita, ad ruſticanam: à cœlibatu, ad matrimonium: ab indulgenti liberorum educatione, ad ſeueriorem. Si è diuerſo Mitio Demeā, ad ſuum uitæ genus adhortetur.

Linus Herculem docuit. Lege Xenophontem.

Zetus Amphionis frater.

In dialogis mi-noribus.

tetur. Et hæc quidē pueris gratiora. At illa quæ ab hiſtoriographis ſumuntur, propius etiam ad uerum accedunt, eoq; plus frugis adferunt, nec ita multo mi nus iucunditatis. Veluti ſi Horatius iam capitis dam natus, patris opem imploret, ſuamq; fortunam tam repente mutatam deploret. Si Cicero Milonē, ut for ti animo ferat exilium, hortetur. Si quis Catonem à literis Græcis, quas iam ſenex appetebat, deterreat. Si quis Ciceroni ſecum deliberanti, an mortem ſibi conſciſcat, an fuga ſaluti conſulere properet, an exu/ ſtis Philippicis uitam ab Antonio redimat: quodlibet horum trium, uel ſuadere, uel diſſuadere conetur. Si quis Q. Curtio gratuletur, tam fortem ac pium ani-mum, qui priuatam ſalutem poſthabuerit ſuæ ciuita-tis incolumitati. Si quis Delphicis ſacerdotibus ſua-deat, ut Phalaridis taurum recipiant. Si quis Lucre/ tiam ui conſtupratam à uoluntaria morte reuocet. Si Ionathas Saulis filius, Dauid amicum regis metu la/ titantem, uagantemq; conſoletur, ut promiſsi diuini/ tus imperij expectatione mentem in rebus tam affli-ctis fulciat. Si Plato Dionyſium regem ad philoſo/ phiæ ſtudium adhortetur. Rurſus ſi alius quiſpiā de hortetur. Si Reſp. Romana Cam. Ili exulis uirtutem, aduerſus Gallos extrema moliētes, imploret. Si Ari-ſtoteles Calliſtheni ad Alexandrum Magnum profi/ ciſcenti rationem præſcribat, qua debeat regis con/ ſuetudine uti, docens, cum regibus aut quàm rariſsi me loquendum, aut quàm iucundiſsime: quo uel ſilen tio tutior ſit, uel ſermone gratior. Si Calliſthenes Ariſtoteli

Lege decla mationem Luciani.

Hac de re La ertius in uita Ariſtotelis.

Ariſtoteli reſpondeat, conſiliũ futurũ fuiſſe philoſopho dignius, ſi potius autor fuiſſet, nõ proficiſcẽdi in eiuſmodi principis aulã, in qua philoſopho uel ſerui liter eſſet tacendum, uel turpiter adulandum: ſibi ma gis curæ fore, quæ ſint honeſta, quàm quæ utilia aut tuta. Si Alcibiades Socrati ſuadeat, ut uxorem rixo ſam ac procacem domo exigat. Aut ſi Callicratides, ut omiſſo philoſophiæ perenni ſtudio ad mores communes, & reip. adminiſtrationẽ ſeſe conferat. Si Crito eidem ſuadeat, ut elapſus è carcere, uitæ ſuæ cõſu lat. Huiuſmodi copioſiſsimam uim Valer. Maximus, alijq́; ſcriptores, qui res memorabiles ex hiſtoricorũ libris decerpſerunt, citra ueſtigandi tædium ſugge rent. Quin ex una quapiam hiſtoria, uelut è uita Catonis aut Antonij, aut Iulij Cæſaris plurima themata duci poſſunt. Quare nos rem, & infinitam, et cuiuis promptam non perſequemur plurimis uerbis. In hoc genere uarie, diligenterq́; conuenit exerceri iuuentutem, quod præter ſtyli fructum, uetuſtas ac memo rabiles hiſtorias, hac ratione uelut aliud agentes imbibent, ac penitus infigent memoriæ hominum et lo corum nominibus aſſueſcent ad hæc decori uim, & probitatis naturã, præcipuas orationis uirtutes ita potiſsimũ cognoſcent. Quare doctoris erunt partes, prius quam epiſtolæ formam proponat, rem geſtam, unde neceſſe erit repetitam, & quemadmodum conueniet, ac curatiſsime pueris exponere, indicatis & temporum momentis, & perſonarũ proprietatibus reliquisq́; circũſtantijs: ne aut aberrẽt à decoro ſcribentes

Lege Gellii 1. cap. 17.

bentes

bentes, aut parum conſentanea dicant. Denique *ut ſint parati fontes, unde ducant uel argumenta, uel argumentorum confirmationes, quam ad rem non uulgariter adiuuat circumſtantiarum cognitio.* Tum *locos aliquot indicabit, ubi ea tractentur apud autores, ut ipſi uerborum ac ſententiarum uim inde uel colligant, uel imitentur, ex alijs ſimilia coniectantes. Item qualia argumenta ſuppeditant hiſtoriæ, talia licebit et confingere: euiuſmodi pleraq; ſunt declamatoria, ueluti* Luciani *de medico abdicato: &* Auli Gellij *de puerpera, cui ſuadet* Fauorinus, *ut proprio lacte nutriat infantulũ, de quo genere mox nonnihil attingemus: Sed eſt & illud breuius ac puerorum ingenijs appoſitius exercitationis genus uarios locos communes, aut excogitatos, aut ab autoribus traditos, arte tractare.* Hi *ferè ſumũtur, uel ab apophthegmatis ueterum celebratis, uel à prouerbijs, uel ab apologis, uel à ſimilibus, ac metaphoris.* Siquidem *ex horum uno quolibet poteſt argumentum epiſtolæ cõpingi.* De *apophthegmate ſit hoc exemplũ:* Socrates *bibiturus cicutam, uxori* Xanthippæ *uociferanti, quod innocens eſſet moriturus:* Quid *ais, inquit, mulier, num me malles nocentẽ mori?* Id *ualebit in epiſtola conſolatoria.* Si *unuſquiſpiã eſſes de turba uulgi, merito grauiter ferres exilium, quod longe aliter pro merito contigit: ſed quoniam ſcio te uirum cordatum, ac philoſophiæ quoq; præceptis non uulgariter inſtitutum, hoc ipſo leniter ferre debes fortunam tuam, quod indigno obtigit.* Ea *demũ grauis & acer*

Lib. 12. ca. 1.

ba

ba eſt calamitas, quæ accidit commerito. Nunc iſta fortunæ procella quid aliud, quàm integritatē tuam, ac in Remp. *merita illuſtrat? Sub hæc narrabitur apte, quod modo retuli, de Socrate. Prouerbij exemplū eſto: Si me audies, deſines cum tam multis coniuratis contendere. Nec tu Hercules es, nec res iſta uirtute geritur: et tamen ſi prouerbio credimus, ne Hercules quidem aduerſus duos: et tu cum tot cancris, cum tot hydris congredieris unus?* Apologi exemplum *erit: Si quē admonebimus, ne periculoſo negocio ſe temere admiſceat, niſi prius perpenſa ratione, qua confici poßit, quod inſtituit, adhibebit apologum de capro, quem ſiti periclitantem uulpes pertraxit in puteum, unde poſtea nō dabatur exitus. Item, ſi quis admonebit amicum, ne pēdeat ex officio quorūdam, qui magnifica polliceantur, ſed ipſe coram ſuū agat negocium, eleganter accommodabit fabulam auiculæ caßitæ, quam in Noctibus ſuis refert* Aul. Gellius. Lib. 2. ca. 29
Parabolæ *uerò ſit hoc exemplum: Si quem admonebimus, ne pertendat obſtinate, quod per ſe quidem optimum eſſe iudicat, ſed præſentibus rebus ſeſe ad commodet: ſimilitudinem adhibebimus de prudente nauclero, qui non ſemper eò dirigit clauum, quo re\cto curſu cuperet ire, ſed frequenter obſequundat æſtui, frequenter uentis: ac uelis flexis, cum portū petit, non quò curſum inſtituerat, ſed quē præſens tempeſtas concedit. Hæc mihi uidētur aliquanto plus cōducere ad parandā orationis facultatem, quàm quædā, quæ in ſuis progymnaſmatis tradit* Aphthonius.

Cæte-

Cæterum quod de apologis diximus, idem habebit lo
cum in poetarum fabulis ad ſeriam rem uel confictis
uel detortis. Veluti ſi quē à negocio maiore, quàm ut
ipſius uiribus conueniat, deterrere pares, Icari aut
Phaetōtis caſum accōmodes. Si quē à ſtudio conge/
rendæ pecuniæ reuocare ſtudeas, in tempore adhibe
tur Tantali fabula. In huiuſmodi thematis præludat
ætas illa rudis, ut, quod diligēter admonet Fabius, te/
neræ adhuc mētes ueluti ſub nutricibus mollius alan
tur, & uberiore quodā iucundioris diſciplinæ, cibo
lacteq; ſaginentur. Cæterū adultiores iam, ad mate/
rias uero proximas paulatim ſunt abducēdi. Eas præ
ceptor uel aliunde ſumptas proponet, uel ipſe cōmi/
niſcetur, ex omni genere cauſarum uarias, maximeq;
fœcundas. Alioqui fiet, ut pueri nihil aliud diſcāt, quā
inepte ſcribere: ſi quem admodū in pleriſq; ludis fit,
literator indoctus pro themate proponet friuolum
ſtulti capitis ſomniū, in quo neq; ſit ulla ſentētia, neq;
quicquam cohæreat, ne ſermonis quidē ulla gratia.
Porrò in caſtigando tantum notantur inſignes ſolœ
ciſmi, ueluti ſi deprehendant, admoneo uobis, pro ad
moneo uos, quū alia quæ diſsimulantur, magis etiam
ad rem faciant. Nam iſta uitia uel uſu dediſcuntur. Il
la neglecta hærens in omnem uſq; uitam.

QVOMODO PROPONENDA
materia.

Argumenta quomodo inueniantur.

AT doctor nec abſolute pertractatam materiam
proponet, ne nihil relinquatur inuentioni puero/
rum, neque nudam tamen, uerum cirſtumſtantijs ali-
quot

quot circumſcriptam, ut aſſueſcant uelut ad certum ſcopum dirigere ſagittas, & ex his ſententias, argumenta & argumentorum probationes, amplificationes, aliasq; figuras cōminiſci: Veluti ſi quis ſuadeat puerperæ, ut ſuo lacte alat quod peperit, addat puerperam eſſe puellam, puerum elegantem, ac patri ſimilimum. Quanquam uix aliud argumentum reperies, quod alienius ſit à circumſtantijs. D. Hieronymus in epiſtola, qua matri reconciliat filiam (nam ipſe propemodum fatetur, hoc argumentum ab ſe ſcholaſtico luſu confictum) nō nude proponit, filiam in decore diuulſam à matre, addidit matrē uiduam, filiam uirginem, cui frater eſſet monachus: filiam adoleſcentulam, corpore uegeto, relicta matre, contempto fratre, in monachi cuiuſdā nulla propinquitate coniuncti, formoſuli & adoleſcentis, domeſticū contubernium conceſſiſſe, cum hoc coniunctiſſimè uiuere: nec aliud incuſare, quàm maternorū morum difficultatem: cognatos ſuſpectum conuictum grauiter ferre, fratrem in primis, nec tamen adduci puellam, ut cum matre redeat in gratiam: fratrem contemptum, ordine rem omnem Hieronymo denarraſſe, qui ſic propoſuit: nónne eadem opera multam orationis ſupellectilem ſuppeditauit? Ad hanc imaginem multa licebit confingere. Quod genus ſit: Lucius et Antonius utriq; adoleſcentes, ſed alter mediocri fortuna, alter beatiſſimis parentibus natus, à primis annis ſeſe nō ſecus ac fratres amarāt. In luſibus, in conuiuijs, in cōpotationibus, in amoribus, alijſq;

uoluptatibus & uitijs, quibus ea ferè laborat ætas, uterq; alterum & conſcium habuit,& ſodalem. Na*tu maior* Lucius,*re male profligata, et infamiæ iam prouulgatæ, & amoris infœlicis tædio, clàm patriæ profugit.* Lùtetiæ *forte fortuna quendam amicum paternum nactus,ab eoq; excitatus, ſimul & adiutus, bonas literas non minus ardere cœpit, quàm antea ſcortorũ amoribus æſtuauerat.* Hic Antonio *ſodali* Brugis *relicto ſcribens, & ſibi de mutato ſœliciter animo gratulatur,& ueterem ſodalem à perdita uita ad literarum ſtudiũ pertrahere conatur.* Sit *hæc propoſitio totius argumēti, non ſine circumſtántijs.* Mox *oſtendet argumenti genus,quod eſt ſuaſorium.* Deinde *demonſtratis partibus, quæ ſolent in hoc genus incidere cōmuniter,quæq; tradũtur ab artis rhetoricæ ſcriptoribus, quæ ſint huic themati peculiares, indicabit.* Admonebit *totius epiſtolæ caput in hoc eſſe,ut corruptæ illius uitæ turpitudinē,infamiã, pericula,incommoda diligenter enumeret,atrociter exaggeret,dilucide ſubijciat oculis* Lucius.Tũ *innociæ uitæ, & honeſtorum ſtudiorum commoda, cum amplificatione recenſeat:quantopere hominem decæant, quàm ad beate uiuendũ conducant:quantum item ornamenti,quantũ ſolatij in utraq; fortuna præſtent:quàm ſolæ nominis immortalitatē, ac nunquã intermoriturum honeſtæ famæ decus largiantur.* De*inde per collationem doceat has ueras & ſolas eſſe opes:in his uera eſſe uitæ oblectamenta:ex his ueros honores proficiſci.* Et *hæc erũt futuræ epiſtolæ, ceu*

liniamēta quædam, ueluti carbone denotata. Addet deinde ad unamquãq; partem diuitē ſuppellectilem rationum, confirmationum, ſimilium, exemplorum, ſententiarum. Oſtendet qua parte poſsint commodè ſuccurrere loci communes, & quomodo tractari. Si quidem hic locus cõmunis eſſe poteſt: Peregrinatione corrigi ſæpenumero, quos patriæ deliciæ corrumpunt. Altera: Nihil homini felicius accidere poſſe, quàm fidum & amicum conſilium. Deinde exordiendi rationes aliquot aperiet: Iucundiſsimi conuictus memoriã cum uoluptate renouabit: Dicet ſuam charitatē ob intermiſſam uitæ conſuetudinē neutiquam refrixiſſe erga ueterem ſodalem, uerùm id optare ſe uotis ardentiſsimis, ut ea charitas quæ puerilibus auſpicijs, & ineptis uoluptatibus alita fuiſſet, quo uerior ac diuturnior eſſe poſsit, adamantinis uinculis adſtringatur. Id futurũ, ſi quam in ſtultis uoluptatibus habuiſſent ſocietatem, & cõiunctionem animorum, eam in honeſtis ſtudijs obtinerent. Et hic ſtatim incidit locus cõmunis de uera falſaq;, de firma & infirma amicitia. Negabit ſe ſatis ſibi etiam felicem uideri, quod ab illa inſania reſipuerit, quod honeſtiſsimis diſciplinis pro turpiſsimis delicijs fruatur, niſi et alteram ſui partem, è ſimilibus malis exemptam, ſuæ felicitatis participē uiderit. Nec id difficile futurũ: ſi quidem ille ſodalem his auribus audiat, de communi ſalute diſſerentē, quibus ſæpenumero audiuit de ſuis flagitijs pueriliter garrientem. Rem agi neq; leuem, neq; ſummis auribus hauriendã, ſed in intima pectoris

Loci communes.

De obliquo ductu multa Trapezitius. ris penitus demittendam. Et huiuſmodi quidẽ exordiendi ratio poterit indicari, quod ſi quid erit cauſæ, cur malit obliquo ductu uti, finget ſe nihil dubitare, quin ille quoq; totus ſit immutatus: atq; illi ueluti ad meliorem frugem immutato pro ſuo in illum amore, gratuletur, prædicans ab eo fieri, quicquid ab eo fieri uellet. Tum ſuaſionis ingreſſus quidã, ac ueluti trãſitus oſtendetur. Negabit Lucius Antoniũ ſuum mirari oportere, ſi quæ nunc ſcribit, longiſſimè à priſtina uita diſſideãt: imò ſi frequẽter in falſis bonis, ueris'q; malis ſodali gratulatus eſt errans erranti: nunc demũ iuſtiſſimã eſſe gratulandi cauſam, qui ſtultiſſimas ac peſtiferas uoluptates, cũ feliciſſimo ſtudiorũ amore permutauit. Deinde tanquam diuiſione proponet, ſe duo quædam in ea epiſtola conari: alterũ, ut prorſus illi perſuadeat, quãta ſit ipſi gratulandi cauſa, id eſt, quantũ effugerit malorum, & quid felicitatis ſit aſſequutus: alterum, utriuſq; intereſſe, ut Antonius, abiectis nugamentis, quibus iam nimium ætatis datum ſit, ad eadem ſtudia totum ſe conuertat, & ipſe ſaluus, Perithoum ſuum tanquam ab inferis reuocatum conſpicetur. Id erit uelut argumentationi ueſtibulum. Sub hæc propoſitiones indicabit argumentationum, ceu baſes totius negocij. Quarum excogitatio, ut longè omnium difficilima eſt, ita cum primis neceſſaria: adeò, ut niſi his repertis, reliqua futura ſint otioſa. Et non aliud eſt quod minus arte præſcribi poſſit. Qua de re peculiaria quædam tradidit Fabius Quintilianus, propoſita cõtrouerſia Thebanorum

Lege Plutarchum in uita Theſei.

Propoſitionũ excogitatio.

Lib. 5.

rum ac Theſſalorum, & nos in commentarijs de Copia,rē,ſi nō erudite,certe craſſe explicauimus. Huic igitur argumento huiuſmodi propoſitiones generales conſtituere licebit: Liberalibus ſtudijs nihil eſſe pulchrius. Ea ſumitur ab honeſto. Nihil glorioſius. Ea ſumitur à laudabili,quod natura quidem ab honeſto ſeparatū non eſt, ſed perſuadēdi cauſa ſeparatim tractatur. Nihil ſuauius. Ea ſumitur à iucundo. Primæ,quæ generalis eſt,huiuſmodi ſecūdariæ ſubſeruient. Maximè ſecundū hominis naturā eſſe ſcire,eoq́; nec hominis uocabulū mereri,qui literas neſciāt. Proinde ſi literæ nihil adferrent momenti ad famā honeſtā,nihil ad uitæ iucunditatē,nihil ad opes aut dignitates parandas,tamen propter ſeſe expetendas. Altera fuerit: Ad perfectā uirtutem, ſolas literas eſſe duces, ac ueluti pædagogas: cuius ut ſemina proficiſcūtur à natura,ita à literis petitur abſolutio. Ab his præſtari cognitionem rerum expetendarum ac fugiendarum: has mederi morbis animorū, tranquillare mentes mortalium: ac his compeſci ſequundis in rebus inſolentiam: ab ijſdem peti lenimen ac robur in rebus afflictis. In priore propoſitione confirmanda adhibebitur argumenti uice, quod puelli quoq; natura gaudemus, ſi propoſito ænigmate ſenſum conijcimus, aut ſi quid nouæ rei diſcere contigit. Contrà, falli,moleſte ferimus: à philoſophis ceu propriā notam tribui,rationalem eſſe: at hæc non in illum competit,qui nihil ratiocinatur, ſed pecudum more ſenſibus & uſu ducitur. Eſſe uerò qui negent hominem à

Lib. 2. de decima dilatādi ratione.

reliquis animantibus differre rationis ſpecie, ſed gradibus duntaxat: ita fieri poſſe, ut paulatim adiectis inſcitiæ ſtultitiæq; incremẽtis, homo deducatur uſq; ad pecudem. In hoc natura finxit hominẽ erectum, & inſeuit cognoſcendi ſtudiũ, ut in rebus à Deo conditis philoſopharetur: ſimulq; et Deum omniũ opificem, & ſeipſum, & reliquã huius mundi machinam contemplaretur. Ad hæc locupletanda poterunt adhiberi, quæ poëtæ, Platonici, reliquiq; ſcriptores de hominis conditione prodiderũt. De luteo Promethei ſimulachro, cui igniculus ille cœleſtis inditus fingitur: de luto, quod Deus ſummus ille figulus, afflatu ſuo animauit: de particula diuinitatis, iuxta quoſdã corporibus humanis addita. Quidam enim arbitrati ſunt animum aliud nihil eſſe, quam ſcintillã ex igni, aut radiolum è luce illa diuina. De mentibus è ſtellis petitis, aut certe è theſauro Dei. Huc pertinebit illud Platonis figmentum, de animabus in terram delapſis, quibus hic ſcire nihil eſt aliud, quàm ceu per ſomnium reminiſci eorum, quæ quondam liberè corporibus uiderunt apud Iouem. Hæc, aliaq; multa, diuinitatem quandam animi declarant. Declarat & illud, quod unus animus exiguo corpuſculo incluſus, tot, tam uarias ac difficiles diſciplinas intellectu complectitur, memoria retinet. Id prodigioſum uidebitur, ſi quis perpendat, quot hominum ac rerum uocabula tenet, qui unam modo linguam didicit, quanto prodigioſius, quo Mithridates unam & uiginti linguas calluit. Et hæc eſt minima portiuncula mentis

Heſiodus in Theogonia.

Plin. lib. 7. cap. 24.

tis humanæ. Addẽdum his, quod Plato negauit, corpus ad hominis naturam pertinere: nihil enim aliud eſſe, quàm inſtrumetum, domicilium, aut uehiculum animi: animum eſſe totum hoc, quod hominem nominamus. Item illud quod dixit Seneca, ni fallor: Vita *ſine literis mors eſt, et uiui hominis ſepultura.* Quid *minus eſt homo, quàm hominis cadauer? Iam enim corpus, non corpus eſt, ſed ſepulchrũ: animũ etiam ipſum à natiuo uigore cohibens: & hinc philoſophi* σῶμα *dictum putant, quaſi* σῆμα, *hoc eſt, ſepulchrũ.* σῶμα γὰρ ἔχομα ψυχῆς.
Nec aliò *ſpectat, quod Plato ſcripſit, philoſophiam nihil aliud eſſe, quàm mortis meditationem.* Nam *ſi abduci à corpore, dicitur animæ mori: & philoſophia abducit animum à rebus corporeis & craßis, ad res æternas & intelligibiles: iam incipit animus uiuere, quum ab hoc ſepulchro emicat.* Ex *hiſtoria ſumi poteſt, quod* Diogenes *accenſa in meridie lucerna, rogatus quid ageret, reſpondit ſe hominem quærere.* Rurſus *aduocata concione populi hac uoce:* Audite *homines, audite homines: quum iam ſatis magna multitudo congregata, rogaret, quid uellet dicere, reſpondit ſeſe homines aduocaſſe, non illos qui nihil haberẽt hominis.* Adhiberi *poterat et illud* Mimi *cuiuſdã dictũ de homine craſſo & indocto:* Nullus, *magnus, malus, piſcis.* Nullũ *appellabat nullius precij, nihilq́; magnũ, onuſtum, obeſo corpore, atq; abdomine pigrum: malum, nulla uirtute præditum: piſcem, infantẽ & elinguẽ.* Huc *referri poteſt, quod uulgo quoq; iactatis prouerbijs, ſtupidis & indoctis*

Plato in Theæteto.

Apud Laertium in Vitis.

Prouerb.

adimunt hominis uocabulum. Quid enim aliud ſibi uult, quòd ſtupidum & indoctum, appellãt ſtatuam, ueluti figuram duntaxat hominis, nõ hominem? Item aſinum ad lyram, Suem Bœoticum, Aſinum Antronium: nihilo diſsimilem elephanto ouem, beluam, pecudem, fungum, ſtipitem, caudicem, plumbum, ſomnium hominis, monſtrũ hominis. Adhibebitur & parabola: ut, auena uitio ſoli in lolium degenerans: ut, triticum ſimili de cauſa degenerans in ſiliginem, nomen ſui generis amittit: ita homo pecus eſſe incipit, ſi neglectis honeſtis ſtudijs, uẽtris tantũ & inguinis curam agere cœperit. Rurſum alia: Et ſicut materia ſculpendo ſimulacro habilis, tamen ſignum nõ dicetur, niſi forma artificis induſtria acceſſerit: ita natiuitas non facit hominem, ſed humanæ naturæ capacem. Quod naſcitur, ceu rudis quædã materia eſt: inſtitutio formã inducit. Tertia fuerit: Vt maximè ſecũdum naturam eſt, ſurculum inſitum, eius arboris referre ſaporem, unde decerptus eſt: ita nõ oportet animũ hominis, cuius eſt origo cœleſtis, à ſuo genere degenerare. Et, ut natiuum eſt igni noſtro ſurſum niti: trabitur enim ui genuina ad fontẽ originis: ita hominis ingeniũ, quanquam eſt his uaporibus corporeis immerſum, tamen principij non poteſt obliuiſci. Rurſum alia ſimilitudo: ut, urſus non eſſet urſus, ſi mens hominis ſub urſi figura lateret: quemadmodum nec Apuleius uere aſinus erat, quũ incolumi mente formam aſini circumferret: ita nec homo diceretur, ſi mens pecudis humanam animaret figuram. Item, ſi

Pli. lib. 18. cap. 17.

ſtatua

ſtatua figurã hominis per omnia repræſentans, qua les ferũt fuiſſe Dædali, nõ ſtatim homo dicetur, quod mẽte uacet: nimirũ figura nõ facit hominẽ, ſed ſcien tia. Hinc eſt, quod poëtæ ueteres, nimirum homines prudentiſsimi, fabulis nõ ocioſis prodiderãt: hos, qui bus nulla colẽdi ingenij cura fuiſſet, ſed pecuniis uo luptatibus ſeſe totos dedidiſſent, in ferarũ naturã ab- ijſſe. Cõtra, qui ſapientia cæteris præcelluiſſẽt, eos ut dijs genitos, in deorũ conſortium à morte reuerti. Et dæmones, quos illi deos inferiores exiſtimãt, autumãt dictos, quaſi δαήμονας, hoc eſt, doctos, aut ſciẽtes. Et Horatius imperitũ hominem appellat corpus ſine pe ctore. Huiuſmodi ſuppellectilis uariam copiã pueris ſuppeditabit præceptor. Nam mihi interim ſatis eſt rationem ijs, qui docent, indicaſſe. Et quod nos in una propoſitione locupletanda tentauimus, id ille fa ciet in ſingulis: & in harum unaquaq; parte, ſi quid erit tractabile: non ut omnes pueri reddant omnia, ſed ut ex multis ſuo quiſq; ingenio conſentanea ra- piat: & ex his, quæ tradita ſunt, ſimilia conſueſcat effingere. Sed iam nunc quoſdam exaudire uideor, præceptiunculis meis obſtrepentes. Hui, inquiunt, næ tu dura mones, & negocij plena: tum autem pue rorum animis atque ingenijs maiora. At ego iam ab initio non aſinum, ſed præceptorem mihi require- bam, nec ineruditum, nec laboris fugitãtem. Nam ſi indoctus eſt, qua fronte doctoris nomen ac locum oc cupat? Si ignauus, cur negocium tam operoſum ſu- ſcipit? Hæc eſt literatoris profeſsio: hæc fabula, quam

Lege Pro- uerb. Dædali ſtatua.

Vide Macro bium in Som. Scipionis

Lib. 1. epiſt. ad Tibul.

In Georg. Redit labor actus in orbē. agendam ſuſcepit. Nemo uinetum colendum ſuſcipit, niſi ſtatim animū ſuū ad inexhauſti, & ,ut inquit Vergilius, in orbem redeuntis laboris circulum præparet. Pueri uerò quid poſſunt audire, uel iucūdius, uel utilius? Ab his exercitamentis prodibūt, qui facunde cōcionentur in templis: qui prudenti eloquentia moderentur ſenatū: qui cum laude obeant publicis de rebus legationes: deniq;, qui quauis in re, & iudicio ualeant, & oratione. At iſta, inquiunt, nondum illis annis ſapiunt. Veſtro ſanè uitio, à quibus bonorum autorum loco, modos ſignificandi, & id genus gloſſemata, non minus ſtolida quàm prolixa didicerūt. At antiquitus pueri à nutricibus in ludū miſsi, ſtatim ab optimis autoribus literarum ſtudium auſpicabantur, neq; detinebātur decem annis in dediſcēdis nænijs. Liceat quæſo per uos, ô moleſti, uel adoleſcentibus diſcere, quod uos pueros docere debueratis: ſinite ut prima ſtatim ætate hauriant, quod ſemper meminiſſe ſit pulchrum. Imbibat teſtula recens ſuccum puriſsimum, quem diu reſipiat. Diſcant iſta in promptu habere, & in uarios uſus, ut res hortabitur, accommodare. Quid enim docendo agitur, niſi ne ſemper ſint docendi iuuenes? Quibus ſi quando optima traditurus es, qur ea nō ſtatim tradis? ſi nunquam, quid doces? An hoc agitur, ut tu ſemper doceas, illi ſemper ſint docendi? Ne pigeat bonum uirum, ac de Republica uel gratis benemereri cupientē, huius operæ, diſcentibus quidē neceſſariæ, cæterū nec ipſis qui docent, ſterilis & infrugiferæ. Ergo poſteaquam to-

Fab. lib. 2.

Idem lib. 2. cap. 5.

tius operis, ad hunc modũ imaginem quandã, ac ſyl uam ſubminiſtrauerit, affectus denique & epilogum oſtẽderit: tum indicabit idem argumentũ alia quoq; ratione tractari poſſe. Quod genus ſit, ne à propo ſito recedamus exẽplo: Si docebit omnem literarum commendationem tractari poſſe per cõparationem, itidem & inſcitiæ uituperationẽ. Huius generis hæc erit propoſitio: Inter omnes res quas mortales tanto pere mirantur, ac per fas nefasq; ſequuntur, nihil eſt quod cum eruditione ſit conferendũ. Nam honores iſtos, in quibus ambitio mortalium finem boni cõſti tuit, multo periculo peti, maiore poßideri, ne hono res quidẽ ueros eſſe: quippe qui peßimo cuiq; ſæpenu mero contingere ſoleãt, nec eſſe perpetuos, etiam ſi ueri ſint, atq; adeo non perennes, ut ne diuturni qui dem ſint: quippe quos fortunæ temeritas, ut interdũ inſperantibus obijcit, ita frequenter inopinatò tollit. Contrà, literas in ocio parari, ſumma tranquillitate poßideri, non niſi ſua cuiq; induſtria contingere, ue rã & immortalẽ parare gloriã. Et hic primus diſſe rendi cãpus, multis locis cõmunibus undiq; amœnus eſt: multa exemplorum ſimiliumq; uarietate fœcun dus. Deinde aperiendus alter: Bonã mortaliũ partẽ, aurum, argentum, gemmas, & alias hoc genus opes, per ſaxa, per ignes, magno capitis & uitæ periculo perſequi, quum iſta ſint aliena bona: quippe quæ & ocioſis obueniãt, et à cæca fortuna paßim ut dantur indignis, ſic etiã dignis adimãtur. Proinde extra ho minẽ eſſe, nec in hominis poteſtate: quippe quæ in finitis

Secunda ratio tractandi hoc argumentum.

Salluſt. in proœmijs.

finitis caſibus intereant, ueluti naufragio, incendio, bello, furto, carie, ſitu: quorum ſi nihil accidat, certe uſu cõſumi. Quod ſi nõ utaris, nihil habere pulchri, quamobrem ſint expetendæ. Ad hæc, ut affatim con tingant, tamen nõ explere mentem hominis, ſed tan tum irritare miſerã cupiditatem. Poſtremò nec ani mi, nec corporis morbo mederi poſſe, ſed potius utri que hominis parti malorum omniũ ſeminaria ſugge rere: & adeò per ſe nõ eſſe honeſtas, ut à uirtute uel in primis auocent: benignitate exhauriri, parſimo nia putreſcere, magno ſudore congeri, maiore cura congeſtas ſeruari, maximo dolore diu ſeruatas amit ti. In literis contrà hæc omnia. Nam alteram conten tionis partem omitto: partim ne ſim æquo longior, partim ut aliquid aliorum inuentioni reliquum faci am. Atq; hic ſecundus porrigitur campus, latiſsime patẽs & uarius, nec inamœnus. Tũ tertio loco pro ponet: Formæ dotem pleriſq; magnum quiddam ui deri, & omnibus uotis expetendum: uerum hanc ne mini ſua cum laude cõtingere, ut neq; culpa negari.

Ariſtoteles. Ab ijs enim, quæ nobis adſunt à natura, neq; laudem meremur, neq; reprehenſionem, neq; etiamnum ſci ri, ſi bona contingat, utrum ab irata natura, an pro pitia detur: propterea quod multis eximia ſpecies corporis perniciem attulit, & ipſis qui poſsident, et ijs qui ſpectant. Nam poſſeſſori quid adfert formæ uenuſtas, præter ſolicitudinem, metum, ſuſpicionem,

Autor Valerius. rumorem parum ſecundum, materiam peccandi, li bidinis fomitem & copiam? Quod ſi hac præditus,

pudi

pudicus eſſe cupiet, hoc ipſo miſer eſt, quòd formo ſus: multas enim pellicit in perniciem, ſolicitatur ab innumeris: atq; hinc eſt quod legimus quoſdam ſibi faciē cicatricibus deſœdaſſe, quod ſentirēt alios ſua forma periclitari. Sin impudicus eſt, qui forma præcellit, quid tandē debet ſuo bono, niſi ut facilius per ditiusq; pereat? Itaq; ſua forma neminem pudicū delectari: alienam qui amet, libidinoſum eſſe. Tum ut hoc magnum ſit bonum, tamē corporis eſſe tantum, fluxum, caducum, & adeo non perpetuum, ut uel ſebricula, uel macie, uel alio quouis caſu ſubitò marceſcat: certe ætatis progreſſu defloreſcere, certe morte perire. Diuerſa in literis, hoc eſt, animi bonis omnia. Vides & hic aperiri campum mirè fœcundū, ſi quis conetur hanc partem omnibus ſuis numeris tractare. Quarto loco proponat, non paucos mortaliū corporis uoluptates, uti præcipuum quoddā uitæ bonum mirè complecti: uerùm iſtas inſanias eſſe falſo iucundas, non uoluptates, nec aliud quàm riſum (ut aiunt) Sardonium. Quur enim ei uoluptatis bonum tribuas, qui ſui ſenſu caret? Ad hæc obſcœnas eſſe, beluinas, ac prorſus homine indignas, quæ nos in feras transferant: tum inſynceras, multo plus aloēs habere, quàm mellis: magno conſtare & rei & famæ diſpendio, quibus admixtum ſit faſtidium, comes pœnitudo: malorum omnium eſcas, laudis ac uirtutis inimicas: infidas his, à quibus adamantur, quos tandem deſerunt, etiamſi non deſerantur ipſæ. Exhaurire loculos, offuſcare famam, corporis ualetudinē attere- Cōcertio.

re

re, ebibere ſuccum uitalem, accelerare ſenium, mor/ borum omne genus adducere, ſui iuſtiſſimas ultrices: deniq; totum hominē in tartara demergere. At lon/ ge feliciores oblectationes ex honeſtis ſtudijs colli/ gi: tanto nimirum meliores, quanto corpori præſtat animus, et homo beluis antecellit: tanto honeſtiores, quanto uirtutis decus turpitudinē ſuperat. Feliciter parari, felicius poſſideri, quæ nobis non eripiant, ſed reſtituant: quæ nos nō ex hominibus in feras, ſed ex hominibus in deos transforment. Ad hæc ſynceras eſſe, nullo fomento uitiatas: quæ omnem animi, ſi qua reſedit, amaritudinem edulcent: quæ reguſtando fru endoq; dulceſcant, quæ liuorem neſciant, hoc ſuauio res, quo cum pluribus communes: quæ nos ad extre mum uſq; rogum non deſerāt: quæ annis, quibus om nia deteruntur & obſoleſcunt, efflorescāt: nauſeam, ſatietatem ac pœnitudinem neſciant: quæ præſtant, ut nō uni aut alteri, ſed omni ſexui, omni ætati ſimus iucundi: quæ præſtant, ut ipſi nobis etiam uoluptati ſimus: quæ faciunt, ut ſenectus etiā moleſtia careat: quæ nos in omnem regionem, in omnem fortunam comitantur. Deniq; quæ delectant eam hominis par tem, qua uerè ſumus homines. Sed parcam hæc lon/ gius perſequi. Neq; enim, hæc ſunt omnia, & innu/ mera ſunt, quib. hæc locupletari poſſent: Neq; nos a= liud in præſentia, quàm uiā indicamus. Poterat hoc genus et alio colore tractari, uidelicet ut literas alijs bonorum generibus anteponamus. Præclara res eſt opulentia, ad quam mortales infatigabili ſtudio con ten/

Ouid. de Ponto. Adde qđ ingenuas &c.

Tertia ratio huius argumēti tractandi.

tendunt: quãto par eſt, acrioribus ſtudijs eniti ad honeſtas literas, quibus diteſcit animus? Et in hunc modum de cæteris partibus, quas propoſui, aut alijs his ſimilibus: cuiuſmodi ſunt, iuuentus, uires, nobilitas, & ſi quid aliud ſit, in hominũ uita uehementer expetitum. Quin & per fictionem tractari poterãt: Eruditionem eſſe rem præclaram ac magnificam, adeò ut ſi nihil etiam adferat emolumenti in hac uita, tamen ſua ipſius cauſa ſit expetenda: quod attigimus in initio. Quis enim nõ optet perfectam omnium rerum cognitionem, etiamſi nunquam eſſet uicturus inter homines? Nunc inſtrumenta ſunt ad iuuandam Rempub. ac priuatim amicos, ut etiã ſi citra doctrinam ipſi poſſemus feliciter uiuere, tamen quoniam uir bonus non ſolum ſibi naſcitur: uel in hoc comparanda ſit eruditio, ut alijs poßimus eſſe ſubſidio. Verum in epiſtola ſeria nolim has partes nimium extare, id quod etiam in orationibus nonnunquam expedit dißimulare. Sed oportebit alia quadam epiſtolari facie obduci, nonnunquã data opera perturbari: ſed tamen hic ordo profuerit animo, magnam rerum ac uerborum uim congerenti: ex quibus licebit optima ſeligere, ſi locus poſtulabit breuitatẽ. Ita fit, ut non ſit ieiuna breuitas. In hoc argumẽto poterit & illud admoneri, blandiorem oportere fingi epiſtolã, quam adoleſcẽs adoleſcẽti, cõgerro cõgerroni, amans ſcribit amanti. Tũ quòd qui ſuadet, inde ſibi pluſculum fidei conciliabit, quo ſuum errorẽ ſimpliciter agnoſcat ac damnet: & ueterum uoluptatum memoriam

Quarta ratio. Vide Fabium in amplificatione: & Eraſ. in copia.

Plato in epiſtola ad Archytam.

ita refricabit, ut declaret animũ etiam à commemo/ratione abhorrere. Ab ætate ſumet occaſionem, quæ ſi grandior eſt, dicat conuenire, ut plus ſapiat, qui uincat annis. Abſurdum fore, ſi qui dux huius inſtitu ti debuerat eſſe, nunc recuſet eſſe comes: ſin minor, dicet nullam ætatem magis idoneam diſciplinis, pro pterea quod ſanguine calente, magis ingenio uige/at, quodq́; tenacius hærent, quæ primis annis hauri-untur. Hoc magis eſſe properandũ, ne pars eius opti ma fruſtra effluat. A forma item: quæ ſi præſtans eſt, dicet minime conuenire, ut in formoſo corpore, ani mus inhabitet deformis: ſin minus, dicet hoc magis excolendum bonis ſtudijs animum, ut cum corporis forma paria fiãt. A genere: quod ſi fingitur illuſtre, dicet olim nullos magis incubuiſſe liberalibus ſtu/dijs, quàm claro genere prognatos. In alijs aut late/re, aut negligi doctrinam, fortunæq́; ſordibus obſcu/rari, in bene natis habere ſuum decus. Tum obſcuri hominis, literas fortunæ adminiculis deſtitutas, per/paucis eſſe præſidio: nobiles, quoniã fere ad ciuiles magiſtratus aut eccleſiaſticas dignitates uocentur, maximam adferre perniciem, ſi ad tractandã Remp. *citra doctrinam accedant: ſi cõtrà, maximam adfer re publicæ ſimul ac priuatim utilitatem. Sin obſcu/ro genere fuerit, excitandus eſt, ut ſibi ſuis ipſius præſidijs pariat nobilitatem, non paulo ueriorem, quàm qua uulgo tument claris orti natalibus. Ab opibus: Si rem familiarem habebit amplam, demon/ſtrabit illi, tanto magis enitẽdum ad honeſta ſtudia,*

Quintil. lib. 1. cap. 1.

ne quũ fortuna cætera ſuppeditarit,ipſe ſibi defuiſſe uideatur,magnũ adiumentum ad conſequendas liberales diſciplinas eſſe diuitias: ſed has tum demũ eſſe ſplendidas ac ſalutares,ſi poſſeſſor his norit uti,atq; hoc præſtare doctrinã. Alios pleroſq; felicibus quidem ingenijs præditos,ſed ob rei familiaris anguſtiam fruſtra cõſectari liberalia ſtudia: ipſi ob rem amplißimã,nec ociũ,nec librorũ uim defuturã, & optimi cuiuſq; præceptoris futuram copiam. Sin erit tenui fortuna,tanto enixius oportet incumbere parandis literis,quæ & rem,et famã pariunt,ſed inſignes. Nã diuitibus ſatis eſt uel infra mediocritatem eſſe doctos. Hæc quidem à nobis fuſius ac loquacius dicta ſunt,uerum in tantum neceſſaria,ut uerear ne multis hæc etiã tam multa nõ ſufficiant. Fateor, ad docendũ ſunt perpauca, ſed ad rationẽ ac uiã indicandã non inerti, nec indocto præceptori arbitror fore ſatis: nã his doctorẽ magis inſtruximus quàm pueritiam. Concluſio.

DE EMENDANDO.

IAm uerò in emendãdis his quæ pueri reddũt,exactißima diligẽtia eſt adhibẽda. Neq; enim ſat habeat doctor,manifeſta ſermonis uitia caſtigare,uerũ ſi quod uerbum parum elegans,ſi minus ornatum,ſi ſordidum,ſi durius translatũ,ſi qua contra ueterum conſuetudinẽ orationis figura,ſi quid abſurdius compoſitum, ſi quid aſperum, ſi quid hiulcũ, id notatum emendabit,mutabitq;. Tum ſi quid alio loco dictum, quod alio magis quadrabat: ſi quid additũ, quod non cohæreat: ſi quid præteritum,quod inſeri oportebat: Quint.lib. 1.cap.4.

ſi quod argumentum futile, uanum, tranſlatum, aut alioqui uitioſum: ſi quod decus parum feliciter affe/ctatum: ſi iocus ſit frigidior: ſi languidius dictum, quod acrius oportebat: ſicubi à decoro fuerit receſ/ſum: ſi tractationis color parum prudenter ſit dele/ctus: ſi uerboſius tractatum, quod oportebat breuius: aut ſi breuius perſtrictum, quod fuſius erat tractan/dum. Neq; ſimul tamen omnia reprehendet praece/ptor, ſed aliàs alia, ne pueri deſpondeãt animũ. Quae ferri non poterunt, ea nõ ſtatim aſpere, & cum con uitio reprehendenda, & his uerbis, eo uultu, quaſi diſcipulũ oderis. Nã ea res teneros animos in odium ſtudiorum trahit, fitq; ut prius oderint literas, quàm norint cuiuſmodi ſint. Verum quae tolerari non pote runt, ea blandius quidem, ſed tamen diligenter corri genda: quae ferri utcũq; poterunt, aut diſſimulanda in terim, aut ingenio collaudato uertẽda in melius. Con tra, quae ſcite excogitata tractatá ue uidebũtur, ea no minatim probabit, & quamobrem placeant, expo/net. Atq; interim iubebit & reliquos omnes attentis auribus accipere thema cuiuslibet, quod recitatur, ac diligẽter obſeruare, ſi quid animaduertãt repreben dendum, aut etiam imitandum: neq; illud inſcite mo net Quintilianus, pueros ipſos percõtationibus ex citandos eſſe, & quid illic uideant uitij, & qua ratio ne mutandum: & quid ſequutus ſit, qui feliciter affe ctauit. Hoc ſatius eſt, quàm ſi non periclitante illo/rum iudicio, tantũ indicet ipſe, quid damnet aut pro/bet. At huiuſmodi percontationibus, uide quantum

Lege Fab. lib 1. cap. 2. lib. 2 cap. 2.

Li. 2. ca. 5.

com/

commoditatum conſequemur. Primum, audientibus
ſecuritas aberit, ut ait Fabius, *neq; perfluent aures*
quæ dicētur, ſimulq́; perducentur ad id quod ex hac Lib.2.ca.5.
re quæritur: nimirum ut aliquando hæc inueniant ci
tra indicem, & intelligant ipſi. Sunt aūt quædam ui
tia, quæ præceptoribus in adoleſcentulis nō debeant
diſplicere, ueluti ſublimior ſpiritus, et orationis luxu
ries, quod hæc indoles promittat perfectam maturi
tatem. Ego *in noſtris et alia pro tēpore ferenda cen/*
ſeo, puta uoculas, aut etiā clauſulas ex autoribus ſub Lege Fab. li
lectas: poëtarū uerſiculos, aut hemiſtichia ſubinde in bro 2. cap. 4.
tertexta: translationū licentiā, apertiorem artis affe Cic. lib. 2. de Oratore.
ctationem: cōpoſitionem curioſe numeroſam, ac pro
pè carmen exprimentem. Hæc enim omnia tametſi Vide Fab.
in adulto ſcriptore uitia ſunt, in proficientibus tamen lib. 9. cap. ultimo.
neceſſaria ſunt. Porrò *ſiue quid laudes, ſiue reprehē*
das, utrunq; & cum modo, & uarie faciendum: in a/
lijs inuentionis nerui, in alijs argumentādi ſubtilitas
probanda, in alijs ſanitas, in alijs grauitas, in his le/
pos, in illis uarietas, in nonnullis diſpoſitio, in nōnul
lis conſilium, ut ad quanque uirtutem quiſq; uidebi/
tur accedere. Hæc laudis ac reprehenſionis diſpenſa Vide Fab.
tio faciet, ut neq; quiſquā de ſe deſperet, neq; deſpi/ lib. 1. cap. 2.
ciat quenquam: tum æmulatio quædam inter omnes
excitata, dū iritatis omnibus, alterius quiſq; laudem
affectabit, dictu mirum, quātum calcar addet ad ſtu
diū Quorundā putidis ingenijs, & ruſtico pudori,
priuatis ac blādis admonitionibus erit ſuccurrendū.
Profuerit & illud, præmiola quædā puerilia propo/

 nere

nere ijs, qui primas tuliſſent. Victores collaudare mo dicè: uictos ad conandũ hortari, quaſi induſtria, non ingenio ſint præteriti. Hic rurſus mihi cachinnum tollet grammatiſta quiſpiam ex iſto ordine, qui Michaëlem Modiſtã pueris ſolẽt prælegere, meq́; clamitabit, è ludo theatrũ facere. Atqui quum ipſe ſuo è ludo carnificinam faciat, mihi concedat, ſi ueterum conſuetudinẽ renouare ſtudeo, apud quos in ſcholis huiuſmodi concertationibus iuuentutem exerceri ſolitam, uel ipſe Diuus Aurelius Auguſtinus teſtis eſt. Siquidem is in libris, quibus titulum indidit Confeſſionum, narrat ſibi frequenter acclamatũ fuiſſe, ubi Iunonis apud Maronem in Troianos ſtomachantis, uerba & affectus cæteris felicius adũbraſſet. Agnoſcis theatricũ uerbum acclamandi in ludos literarios fuiſſe receptum, & tu putas ſcholæ nihil conuenire, niſi plagas & eiulatus? Fabius haud uulgaris formandæ pueritiæ artifex, non uno in loco præcipit, iuuenum ſtudia non aſperitate deterrenda, ſed blandis applauſibus, modeſtisq́; laudibus alenda, atq; axacuenda: uultq́; doctorem in parentis abire affectũ: contrà diſcentes, præceptorem non horrere ut carnificem, ſed obſeruare ueluti parentem. Nec obſcurum, quid ſibi uelit Horatianum illud:

Lib. 1. Aen. Gens inimica mihi, &c.

Lib. 2. ca. 4. & lib. 1. cap. eodem. Lib. 2. de officio præceptoris.

Lib. 1. Ser: Saty. 1.

> Quondam pueris dant cruſtula blandi
> Doctores, elementa uelint ut diſcere prima.

At cõtra hic Arcadicus quiſpiam aſinus, leonis indutus exuuio, quum & indoctior ſit, quàm ut admirationе ſui pueros habere poßit attentos: & inſuauior,

quàm ut

quàm ut à quoquã poßit amari, uel amare quẽquã, tumultuoſa carnificina mentes eximit: puerosq́; ingenuos, quos neq; meliores poteſt reddere, quippe uir ſtultus et improbus, neq; literatiores, ipſe illiteratißimus, flagris excarnificat miſeros, clamoribus et conuitijs obſurdefacit, ut optimis illis annis ſine fruge cõtritis, magnam crudelitatis ſuæ mercedem percipiat. Vtinam tibi, ô ſacrilege (nam barbari leuius ac dilucius eſt uocabulum) dignus iſtis factis honos aliquando contingat, compellarisq́; pileum iſtum, quem ut non promereris, ita nec intelligis, cum cuculla permutare: pro ueſte illa laciniosa, ſagum aut renonem accipere: pro ſoleis ac ſandaleis, perones: pro ferula, ligonem aut ſcuticam: iſtoq́; ornatu è ſcholis in quibus nihil aliud es, quàm canis in balneo, rus extrudaris: aut ſtiuæ, cui natus es, alligandus: aut, quod malim, in cõpedibus foſſurus: aut ſi omnino ſine imperio durare nõ potes, boues et aſinos iſta tua uoce territaturus. Tú ne audies, ô cluuinũ pecus, ut Plauti uerbis utar, docendi literas occupare munus, quum nihil unquã didiceris? túne audes ſtolidè carnifex, bene natos et ingenuos atq; ingenioſos adoleſcentes laniare flagris, quos citius occidere poßis, quàm docere? Tun' in eo loco, quem Græci ab ocio ſcholã, Latini à uoluptate ludum appellandum cenſuerunt, plus quàm Phalaridis tyrannidem exerces? Tun' hominis monſtrum ab his etiã mercedem, ſi ſuperis ita placet, exigis, de quibus peius ſis meritus, quàm ſceleſtus ille Faliſcorũ literator de ſua pube?

A uoto.

In truculento.

Auſonius ad Nepot.

Lege Liuium lib.5.dec.1. Valer. lib. 6. cap.5. Plutarchum in uita Camilli.

Siquidē ille dolo peccabat, tu palàm & cōfidentiſſi/
me perdis bonæ ſpei pueros. Ille clementi hoſti tradi
dit uelut pacis obſides, à quo ſunt citra fraudem re/
ſtituti: tu hoſti crudeliſſimo, teterrimoq; prodis, ui/
delicet inſcitiæ, à quo ferme nullus elabitur, qui ſe/
mel in illius ius uenerit. Sed efferri me uideo longius
dolore iuſtiſſimo quidem, utinā perinde utili. Regna/
re iam paſſim uideas plagoſum hoc & indoctū gram
matiſtarum genus, antra illa de quibus deblaterant,
ceu furiarum regnum, miſero eiulatu undiq; perſo/

Lib.1.ca.6.

nare. Et credimus iſtam uerberandi conſuetudinem
Quintiliano, uiro tum prudenti, tum erudito, adde
etiam, caſtiſſimo, ſine cauſa tātopere diſplicuiſſe. Et
quod uir ethnicus ut ſæuū ac pernicioſum exploſit,
nos Chriſtiani libenter recipimus, ſæuientes non ſo/
lum in pueros, uerumetiam in ætatem penè uirilem.
Quod ſi plagoſo illi compotatio contigerit largior,
iam pueris etiam inſtat uitæ periculū. Rideatur hoc,
niſi noſtra ætate permulta ſint exempla infelicium,
quos doctoris temulēta ſæuitia plagis occidit. Et po
ſtea deligimus equis noſtris idoneum curatorem, li/
beros cuiuis aſino committimus. Sed hanc cædendi,
ſæuiendiq; neceſſitatem in puerorū ingenia transfe/

Prouerb.

runt, qui ceu Phrygum filij, niſi plagis, conciſi non
emendantur. At quo tandem ore, dic quæſo belua, tu
flagris à pueris officium diſcipuli requiris, quum tu
doctoris officium non præſtes? Effice ut merito te a/
met grex tuus: ut miretur, primum ſtudia, deinde te
quoq; ſtudiorū gratia: poſtremò utrūq; alterius cau/

ſa.

ſa. Quod ſi nec amari potes, homo ſtolidus ac ſæ/uus, nec admirationē meretur triuialis iſta, ne dicam, culinaria doctrina, uel inſcitia potius, quid etiam in ludo ſedes impudens? Sin ueterem morem tuo damnas inſtituto, age, profer iſtos egregios artifices, quos tu nouus magiſter ſic inſtitueris, ut cum ueterum uel infimo certare poßint. Quod ſi qui ſunt ad literas indociles pueri, præſtat eos ablegare rus, ac parenti/bus reddere. Sed interim doctori decreſcūt reditus: & ideo bonum uirum oportet eſſe, qui ſuſcipiat erudiendam iuuentutē. Sed iſtis non alia ratio eſt, quàm tyrannis principibus, qui malunt imperio, quàm æquitate retinere populum: non quod illud melius ſit, ſed quod hoc difficilius. Sed iamdudum tempus eſt, ut ad id quod inſtituerat, noſtra recurrat oratio: iamq; finis ſit cum iſtis Bœoticis ſuibus rixandi. Ergo præceptor idoneus, & iſtorum dißimillimus, poſtea quàm annotauit quid in ſcriptis puerorum pla/ceat aut diſpliceat: tum exemplar aliquod à ſe ſtudio ſe elaboratum proponet, aut etiam dictabit: neque pigebit in marginibus, quid ipſe ſit ſequutus, annotare. Indicabitur ordinis ratio, trāſitus cōmodus: ſi quod ſchema ſpecioſius, ſi quod argumentum noue tractatum: ut in eo perinde ac ſpeculo uideant, quid ipſos ſuffugerit, quid aſſequi non quiuerint, ubi dormitauerint, aut cæcutierint. Alioqui quod iſti faciūt, prauā epiſtolæ formā proponere, quid aliud eſt, quàm docere perperā ſcribere? Dicent, quotūquemq; reperias, cui ſit ſtylus? Calceolariā nō docet, niſi calcifex: eo

quũ non inſtituit, niſi coquus: gubernandi rationem nemo tradit, niſi nauclerus: & miraris ſi literas do/ cere nõ queas, quas neſcis? Quid docet grãmaticus, qui loqui neſcit? Expediet aliquoties & nudum the/ ma proponere, ac totũ inuentionis laborem ipſorum ingenijs relinquere, quo uiriũ ſuarum periculum fa/ ciant. Magis autem blandiuntur etiam nobis, quæ ipſi quaſi peperimus ingenio: uerum id raro fieri ue
A ſuo exemplo. lim. Nos olim quum Senæ Alexandrum archiepiſco pum, titulo D. Andreæ, Iacobi Scotorũ regis filium, rhetorum ſtudijs exerceremus, isq; qui ſibi iam uide batur nonnihil profeciſſe, rogaret, ut tantum indica tis propoſitionibus ſummis, reliquam omnem inuen tionem ipſi relinquerem: paruimus adoleſcenti inge nioſo, miræq; ſpei. Adniſus eſt ſumma ui, fortaſſe ſpe rans fore, ut tametſi ſermonis ubertate uinceretur, tamen ob ingenij uigorem, non multum eſſet à nobis relinquendus. Primùm collaudabam hominis indu/ ſtriam, & paſſus ſum illum ſibi aliquandiu placere. Mox ubi indicaſſem, quàm multa illũ fugiſſet, quàm multa non ſuo loco dixiſſet, criſtas demiſit, & ag/ nouit, quantum adhuc abeſſet à meta. Illud in gene/ re meminerit doctor, ut pro ſui quibuſq; ingenij ui/ ribus præeat. Rudibus tota erit epiſtola præforman da: progreßis ſat erit liniamenta quædam prænota re: adultis ſuffecerit nudum indicare thema, ut & hac in parte parentum curam doctor imitetur, qui primum infantibus cibum præmanſum in os inſerũt: deinde ſat habent in manum dare; mox menſis tan/

tum

tum admouent: poſtremo etiã domo extrudũt, ut ſuapte induſtria ipſi ſibi quærere cõſueſcant: &, quod dici ſolet, nare ſine cortice. Cõducet & illud, ſi iam ad mediocritatẽ progreßis, proponemus idem argumentum iterum ac tertio, alijs uerbis, aliaq́; ſermonis figura tractandum. Quæ res potißimum cõfert ad parãdam orationis copiam, ac felicitatem. Id autem commodius fiet in breuioribus thematis. In hoc genere Ciceronem legimus cum Roſcio ſuo certare ſolitum, utrum ille ſæpius eandem ſententiam uariatis geſtibus repræſentaret, an ipſe mutatis uerbis efferret. Extant etiamnum & Maronis in hoc genere progymnaſmata, ueluti de aurora, et anni partibus. Sed hac de re tẽpeſtiuius ac pluribus dictum eſt in libello de Copia. Cæterum ad inuentionis facultatem pertinebit ut palinodijs exerceantur: ut quod modò ſuaſerint, rurſus diſſuadeant: quod in cœlum laudibus tuleris, id uituperando ad inferos deijcias: ad quod ſis adhortatus, rurſum ab eo deterreas. Qua quidem in facultate primum ualuiſſe fertur Carneades. Hæc erunt propemodũ ſimilia locis, quas Rhetores cõmunes appellant, ut pro amore (quemadmodum apud Platonem dicũt, præter Socratem multi) & contra amorem, quemadmodũ apud eundem Lyſias pro literis, contra literas: pro diuitijs, contra diuitias: pro monaſtica uita, & contra: pro linguis, contra linguas: pro matrimonio, contra matrimonium: pro monarchia, contra monarchiam. Eiuſdem generis ſunt, quæ per collationem ſeu contentionem

Autor Macrob. lib. 3. Saturnal.

Lib. 1. ca. 2.

De Carnea de multis in locis apud Ciceronem.

In dialogo de Amicitia.

Lege Fab. lib. 2. ca. 4.

tractantur. Vtra uita præſtantior, ciuilis, quam practicam uocant Græci: an contemplatiua, quam theoricam illi uocãt? Cœlibatus potior, an coniugium? Ad dicendũ utrum ars plus poßit, an natura? Vtrũ recens hoc theologiæ genus præſtãtius, an priſcum illud? Vtrum plus ualeat ad parandam famam militia, an literarum ſtudium? Ad rem parandam utilior ne ſit iuris prudentia, an ſtudium medicinæ? Idem fit in perſonis: Vter dux melior, Hannibal an Scipio? Vter philoſophus excellentior, Plato, an Ariſtoteles? Vter poëta doctior, Vergilius, an Heſiodus? Vtrius facundia mirabilior, Demoſthenis, an Ciceronis? Hæc incident in conſultationibus, uerum quum deliberabit aliquis, utrum Romæ paretur fortuna, an in patria: utrum ſatius ſit literarum gratia adire Italiam, quàm Lutetiam? Præter ea, quæ ſunt locorum communium, ex proprijs circumſtantijs multa ducet argumenta. Vtrum expediat pueros ſtatim admouere ſtudio literarum, an parcere tenerioribus illis annis, donec ætatis progreſſu nõnihil roboris collegerint. Neque ſemper neceſſe eſt, ut præceptor ſe thematis inueniẽdi labore fatiget: ex hiſtorijs, ut dixi, ſumere poterit: ex epiſtolis eruditorum, ſi quas pueri nondũ legerunt, ueluti ex epiſtolis Ciceronis, Plinij, Cæcilij, Symmachi, Apollonij, Angeli Politiani. Cur enim hunc in hoc genere non cum quolibet ueterum conferamus? Sed tamen è Symmacho rem peti malim, quàm phraſin. Promptißimam huius generis uim, epiſtolæ diuerſæ Græcorũ ſuppeditabunt.

Symmachus.

Ex

Ex omnibus deguſtatis, præceptor optima quæque proponet. Semper enim ab abſolutißimis exordien/dum. Proinde Pliniũ illis ſtatim obijci malim, quàm Franciſcum Nigrum: Marium Philelphum, etiamſi pater in epiſtolis nonnihil habet laudis: Aeneam Gaſparinum Campanum: multo minus Carolum Viru/lium Louanienſem, cuius ſcripta cito gratiam exue/runt. Non quod negem in his eſſe, quod aliquis poſ/ſit imitari, ſed quod mediocribus, aut tolerabilibus tantum anteferri malim eximios. Cæterum cui pal/ma debeatur in hoc genere, nõ eſt huius inſtituti plu-ribus uerbis perſequi. Si quis, omißis Græcis, patia/tur quenquam ullo in genere anteponi, M. Tullio, Plinio, & Politiano primas detulerim. Sed hac ſanè in re fruatur ſuo quiſq; iudicio. Sententia Quintil.

DE CONSVETVDINE VNVM MVLTI/*tudinis numero compellandi.*

IAm uerò conſuetudinẽ inſulſißimã quidem illam, ſed aliquot iam ſeculis mire receptã, unum homi/nẽ multitudinis numero cõpellandi, nõ tam dedocen di ſunt iuuenes, quàm animãdi, ut auſint contẽnere: certe quoties cum his agitur, unde nihil ſit periculi. Mea certe ætate iam hæc ineptia magna ex parte ob ſoleuit, paulatim ſubole ſcentibus bonis literis. Quan quam ſuperſunt & hodie nõ pauci uoßiſſatores, qui quod pueri male didicerĩt, nõ ſolũ ipſi mordicus te/nent, uerumetiã ab alijs exigũt. Inexpiabili contume lia ſe putãt affici, ſi quis unum ſingulari numero ſa lutet: ac planè rem putãt iniuriarũ actione dignam,

ac legibus uindicandam. Tu pro tua prudentia quid ſit optimum diſpicito. Hic mihi continuo Tragicum uociferans in re ſnihili: Quid tu, inquit, me tuiſſas? tuiſſa famulos tuos, ego ſum & te, & tuis omnibus melior. Quid ais hominis monſtrum, tu ſic appella-ri dedignaberis, quomodo olim reges ſuos appella-bant paraſiti? quomodo ſummos orbis monarchas olim affabãtur libertini, aut ẽ plebe cerdo quilibet? Deniq; quomodo tu ipſe Deum Optimũ Maximum compellas? Qur nõ ut unum alloquar, quum unum uideã, etiãſi Polyphemo maior eſſes? An ideo Atho nem montes dicam, nõ montem, quod ingẽs ſit? An ideo nõ eſt mare Oceanus, quod uaſte pateat? Adeo qui uix ſunt homines, ijs non ſatis eſt, ſi unius homi nis loco ducantur. Cæſari totius orbis monarchæ lo quimur: Superi bene uertant quod ais Cæſar. Et hic indignatur, niſi dixeris: bene uertant quod agunt ue ſtræ dominationes: perinde quaſi non unum homi nem, ſed Hecaten quanpiam triformem, aut Herme tem triſmegiſtum, aut Geryonem tricorporẽ alloqua mur. Hoc fortaſsis in muliere grauida ſit tolerabili-us, aut etiam, ſi mauis, in ſcropha. Qur à grãmati cis diſtincti ſunt numeri, ſingularis, dualis, & plura tiuus, niſi ut uteremur? Honoris, inquit, gratia abuti-mur: apte dictum, abutimur. Nã iſtud eſt planè abu-ti, perinde quaſi quis ſoleam utrãq; eidem inducat pedi. Sed quis iſtud iuris uobis donauit? An æquum putatis, ut honoris ueſtri gratia, præter ueterum con ſuetudinem, barbarè loquãtur homines? Quod ſi ty

Obiectio. (margin, beside "melior")

Alia obiectio. (margin, beside "tiuus")

ranni-

rannidem occupatis,ut nouæ etiã linguæ nobis ſitis autores,quur non ſaltem conſtatis uobis? Etenim ſi numerus mutatus honorem habet, quur non eadem opera uidetur honorificum, plures ſingulari numero compellare? Quur nõ idem fit in tertijs perſonis? Honorificũ eſt,ſi quis Marcolpho dicat gratulor uobis:qui minus honorificum eſt,ſaluta eos,cum unum iubeas ſalutari, ſed honorabilem? Quur hic honos tantum in pronominibus ſitus eſt? Honorificum eſt, ſaluto uos Domine Epiſcope: qui minus, ſaluto uos domini epiſcopi? Honorificum eſt,uidi uos ambulantem:cur non,uidi uos ambulantes, ſi uni,ſed honorato loquaris? Nimirũ aucta pluralitate creſcit honos. Quur in re diuina, æditurus non hunc in modum reſpõdet ſacrifico: & cum ſpiritu ueſtro? Quur is Deo loquens,audet dicere: præſta quæſumus omnipotens Deus. Quur nos homunculi non ueremur illi dicere:remitte nobis debita,&:ne nos inducas,ſi tantum honoris eſt in abuſu numeri? Certe primus honos debetur deo,quur hunc tanto fraudamus honore, quur huic præferimus homuncionem? Quid hic reſpondebunt iſti? an nobis obijcient heteroſin? Audio:ſed hac non utuntur emendate loquentes, niſi in prima perſona, uel modeſtiæ, uel feſtiuitatis, uel euphoniæ gratia.In ſecunda nunquam, niſi quum genus ſignificamus,nõ perſonam. Quale eſt illud Naſonis: Quæ ueſtra libido eſt. Taxat enim uirorum genus: ueluti ſi quis uni meretrici dicat: uos eſtis pernicies adoleſcentum,non unam notans,ſed totum ordinem. Huic ſimilimum

Dilutio ironica.

In prima epiſtola amatoria.

Teren.in Phormio.

ſimilimum eſt illud in tertia perſona: Quum ad uxo/
res uentum eſt, tum fiunt ſenes. Vnde quod olim mo
deſtiæ erat, aut inuidioſum, nunc repente honorifi/
Horat. lib. 1. epiſt. 20. cum eſſe cœpit? O imitatores, ſeruum pecus, ut mihi
ſæpe Riſum, ſæpe iocũ ueſtri mouêre tumultus. Iſtos
feſellit, opinor, quod ueterum quiſpiam magiſtratu
fungens, hunc in modum ſcripſerit: Cõſiderauimus,
retulimus, ſtatuimus, nimirum munus publicũ cum
ſuis collegis communicans, & poteſtatis inuidiã de
clinare uolens. Hoc, ni fallor, exemplo reges & epi
ſcopi cœperunt & ipſi ſcribere: Nos Ioannes epiſco
pus Cameracenſis: Nos Carolus rex Gallorum. Nec
dubium, quin & hoc qui primi cœperunt, modeſtiæ
cauſa fecerint, uidelicet quo tyrannidis ſpeciem fu/
gerent. Tyrannicum enim uidebatur, poteſtatẽ cum
nullo prorſus habere communem. Verùm is ſcriben
di mos ſimulatq; regius haberi cœpit, à noſtris hono
rificentiæ cauſa certatim uſurpatus eſt. Ridiculè ſa/
nè. Nam ſi modeſtiæ laus eſt, ubi quis pro: Ego Ioan
nes epiſcopus, ſcribit, Nos Ioannes: qui uos Ioannes
dicit, pro, tu Ioannes, contumelioſus ſit oportet.
Nam ſe deijcere, uirtutis eſt: alterum contemnere
atq; extenuare, maligni eſt atque inuidi, ſi id fiat in
abſentem: ſi in præſentem, procacis & contumelio-
ſi. Romanus pontifex in ſuis diplomatis admiſcet
nonnunquam: Hanc Petri ſedem, quam indigni tene
mus. Quis ferat, ſi quis idem dicat illi: Confugimus
ad iſtam Petri ſedem, quam indignus tenes. Quod
ſi hanc ſermonis ineptiam idiotarum ſtulta ambitio
com

ommenta eſt, qui dedignentur orationem habere
um alijs communem, cur eruditi hanc ineptam ac
uliebrem inanitatem aſſentando alunt? Scio debe-
honorem magiſtratibus, parentibus, præceptori- Occupatio.
us Sed hic ridiculus eſt honos, quem præſtat ſolo
ſmus. Verum largiamur interim, ut tantum ualue-
t conſuetudo. Neque enim me fallit in epiſtolis de
imi libri, qui Plinianis per Aldum adiectus eſt, legi
mel atq; iterum ſermonem huiuſmodi: Vt primum
ne domine, ueſtra indulgentia promouit. Quan-
uàm & hic tergiuerſari licuit, eas epiſtolas nõ eſſe
linij: deinde hoc ipſum tam raro fieri illic, ut men
um uideri poßit. Poſtremò cum ueſtra dicit, uoluit
enatus autoritatem cum Cæſaris uoluntate coniun
gere, quod ſciret hoc eſſe gratum imperatori mode
tiſsimo. Sed ut omiſſa tergiuerſatione, largiamur
quod iſti uolunt, ſit ſanè ciuilitatis hoc honore blan
liri maioribus: ſit ruſtici & inurbani, hoc honoris
non reddere: certe nouum inſolentiæ genus eſt, non
eſſe contentum, ſi quis cui decedat de uia, ſi caput
aperiat, ſi genu flectat, niſi ridicule etiam loquatur
honoris gratia. Scripſerit aliquis Traiano, Veſtra in
dulgentia: at idem non offenditur, cum toties repe-
titur, tua pietas, pro, ueſtra pietas. Deniq; non ſic illi
loquitur Plinius, quum conſul illius laudes prædicat,
quam orationem oportuit quàm maxime honorifi
cam eſſe. Iſti tam inſolitum honorem etiã conuitijs,
atq; adeo flagris exigunt à nobis. Domitianus impe Autor Sueto. in Domitiano
rator, uir prodigioſæ arrogãtiæ, ſe deũ ac dominum
ſcri

ſcribere ſolitus eſt in ſuis diplomatis,atq; ita ſe compellari in aliorum inſtrumentis edixit. At is nemini unquam ſuccenſuit,quod ſingulari numero compellaretur. Ferri poterat res,ſi modò ſint unico ſolœciſmo contenti, uix duplicatus iſtorum ambitioni ſatis facit. Nam,oro uos, ſimplex erat ſolœciſmus, quem iſtorum inſolentia iam dudum ut plebeium, nimiſq́; popularem faſtidit ac renuit: Oro ueſtram humanitatem, ſeſquimendum erit, nihil adhuc niſi uulgaris honor: Oro reuerendiſſimas humanitates ueſtras, bene congeminatũ uitium,mediocris honor eſt,& ferendus. Adde tertium ſolœciſmũ,& plenam inieris gratiam: Oro reuerendiſſimas paternitates ueſtras, domine præſtantiſſime. Cumulatiſſimã uis inire gratiam, quadrigam ſolœciſmorum facito hunc in modum: Oro reuerendiſſimas paternitates ueſtras, domine præſtantiſſime,domine præſul. Euge euge. Iſte demum honorificentiſſimus eſt ſermo, dignuſq́; quo ſolenniter adeantur reuerendiſſimi præſules,ac potentiſſimi monarchæ. Magis enim ridiculũ,quod quidam honoris gratia perſonam quoq; uertunt,dicentes: Mandauerat mihi reuerẽtia ſua, pro ueſtra,ſiue tua. Huius ſermonis ineptiam ſi quis non uidet,illiteratiſſimus ſit oportet: ſi quum ſentiat,nõ expuit,patientiſſimus: ſi tam abſurdam aſſentationem libentibus etiam auribus haurit, glorioſiſſimus ſit oportet. Et hæc ſermonis portenta cuiuſquam principis aures ferunt? Et huiuſmodi non ſolum ferunt quidam, uerumetiam efflagitãt Chriſtianæ modeſtiæ columi

a, ac non parentibus homines ſeueriſſimi grauiter
iccenſent: adeò ut quibuſdam hac de cauſa dicam
iiſſe ſcriptam ſciam, non de aſini umbra, quod dici
let, ſed de iniuria nõ adhibiti ſolœciſmi. Nuper etiã
uidam graui nimirum exemplo, ultus eſt huiuſmo/
i contumeliam, ad hũc quidem modum: Ab amicis
iagnis ſtudijs agebatur apud epiſcopum quendam,
t quidam ſpectatis moribus, egregia doctrina uir,
icerdotio, quod tum forte demortuus uacuum fece/
it, inautoraretur. Negabat uigilantiſſimus paſtor, Ironia.
mere ſacerdotia commiti oportere inexploratis.
ſum qui commendabatur, acceſſi iubet, uidelicet
e doctrina, prudẽtiaq; uiri periculum facturus. Ad Ironia.
t ille uir ſanè antiqua literatura probe præditus,
d ſyncerus ac ſimplex, qui nondum nouũ hunc elo
uentiæ florem attigerat: poſtremò, qui præſules om
es putaret didiciſſe literas, ſalutat numero ſingula
, Salue reuerende Præſul. Vix totam ſalutationẽ di
erat, auertit ſe præſul, atq; abit indignabũdus, non
iter, quàm ſi quis in faciem illius conſpuiſſet. Admi
antibus & cauſam rogantibus qui ſalutatorẽ com/
endarunt, negat ſe illos conſpectu colloquioq; di/
iari ſuo, à quibus ſic in os contemneretur. Fruſtra
uidam rem purgare nituntur, planeq; ſurdo cani/
r fabula. Iratus ille, ſacerdocium in aliũ quendam
ſertiorem tranſtulit, qui quadruplicato ſolœciſmo,
manißimas reuerentias domini domini ſalutaret:
r qui unum hominem in multis, rurſus in uno mul/
s uideret. At quanto falſius iſti nobis talionem re/

Id eſt multis pręſtanti alijs

Subiectio.

Perſiana imitatio.

poneret, ſi ipſi ſinguli ſingulariter appellati, nos uiciſsim binos aut ternos ſingulari uoce conuenirent? Etenim ſi honorificum eſt, uni multitudinis appellationẽ tribuere: uelut πολλῶν ἀντάξιῳ ἄλλων, quã erit inſignis contumelia, plures ſingularibus uerbis alloqui: Tibi Paule, nos abbas dicimus, tanquam plures in unum conflati, uix efficiant hominem alicuius precij, ſic erat par pari referendum. Dicis optime lector: Rides tu quidem iamdudum, & nimis uncis naribus indulges. Quid aliud faciã in re tam ridicula? Nam ſi planè contendunt honoris ſignificationem eſſe in catachreſi numeri, cur frequenter unicam rem, eamquè friuolam, nihiliquè, tricas, apinas, quiſquiliasquè uocamus multitudinis numero? Qur unicum inſtrumentum quo uerrimus pauimentum, multitudinis numero ſcopas uocamus? Non inuidendus honos iſtorum, quem cum quiſquilijs & ſcopis habent communem. Hoc etiam intereſt, quod niſi multitudinis uocabulo, nemo ſcopas rectè ſalutauerit, niſi dixerit, ſaluete ſcopæ: quum iſtis interim ſtudioſa barbarie gratificemur, omnibus quidem grammaticis, ac grammaticorum filijs iratis. Quid quod interdum non ſine periculo pluratiue conuiciamur etiam, nimirum aſſueti? Quid enim ſi ſtrabus quiſpiam dubijquè contuitus, uni è multis conuicium dicat, multitudinis numero: nónne quum oculis, quem petit, non diſtinguat, periculum erit, ne tanquam commune maledictum in ſe quiſque rapiat, & pro uno omnes in miſerum

ſtra/

abum conuitia regerant? Id uerò periculoſius
am fuerit cæco. Proinde genus hoc ſermonis,
ibus eſt hoc uicij, magnopere fugiendum cenſeo,
forte oculorum morbo, plures pro ſingulis cer/
re putentur. Sic enim nuper quiſpiam iſtiuſmo/
ſalutatorem aperte deriſit, & aſpere potius,
àm urbane: niſi forte uidebitur recte, malo nodo
ilus quæſitus cuneus. Is enim ſolus cum eſſet in
nclaui, & à ſtrabo quodam multa cum plurali-
e adirêtur, iterum atque iterum circumſpectans,
pondit, cæteros abijſſe, ſe ſolum eſſe, ſi quid uel,
, opportuniore tempore rediret, dum illi adeſ/
nt. Ille uerò negat ſe quenquam præter ipſum u/
m quærere. Tum alter hominem percontatur,
ot illic lectos uideret? Quum unum duntaxat
pondiſſet: Et quæ tandem, inquit, intemperiæ te
tant, aut è qua popina nobis probè potus ades,
go tibi non unus uidear, ſed multi? Et ſunt etiam
rem tam abſurdam tueri conentur rationibus
loſophicis, ut aiunt. Siquidem Ariſtoteles ſcri/
, regem ut cæteris rebus præcellit populum, ita
none quoque differre debere. Itidem par eſſe, ut
s conditio, dignitas, opes, cultus, & inſignia di/
nant, diſcernat & ſermo. Nec prorſus alia no/
ctius dignoſci à priuato magiſtratum, quàm ab
numeri, propterea quod ille unus ſit è multis, hic
ſimplicem ſuſtineat perſonam. Papæ, accipio
mentum: quanquam apud Græcos iſtud fiet
modius, quibus tres ſunt numerorum differen/

tiæ. Ergo cui geminus ſit epiſcopatus, aut cuius epi ſcopatũ abbatia quæpiam opima conduplicarit, huic dicemus, χαίρετον. Quod ſi tres ſint epiſcopatus, aut duobus addita abbatia, ternariũ illum ſacrum ac myſticum expleat, huic dicemus, χαίρετε. Hac quidem lege, ſi τετράδα aut ἑβδομάδα numero ſacerdotiorum ſint prætergreßi, æqui dent ueniam, ſi noſtrã diſtinctionem ſua ambitione confuderunt. Nec uideo qui minus liceat ad hũc loqui modum: Nos epiſcopi, nos abbates, cui uni plures ſint epiſcopæ, aut abbatiæ. Sed dubitari iamdudum poteſt, iſti ne ſtultiores, qui à re tam abſurda, tamen abduci nõ queant: an ego, qui in nugacißimis nugis tantum operæ ſumpſcrim, niſi quòd ut hoc facerem, plurimæ res me cohortabãtur, ſed duæ potißimum: tum ut iſtos apertius irriſos aliquando ſuæ ſtultitiæ pudeſceret: tum uti eos, qui plane depuduiſſent, iuuenes partim ueterum exemplis animati, partim noſtris uerbis moniti, nõ dubitarent cum ſua ambitione contemnere. Deſinet offendere, poſtea quàm deſierit eſſe inſolens: & aliquando placebit omnibus, quod nunc placet eruditis.

Id eſt. ſalutete uos duo.

Salutete.

Quaternariũ, ſeptenarium.

Concluſio.

DE SALVTATIONE.

Nunc ad præceptiones huic argumento peculiares reuertemur: ſed ſi paucis admonuerimus, quæ ſint in ſalutatione fugiẽda, unde ſolemus epiſtolam auſpicari, ne peßimi gubernatores uideamur, ſi ſtatim in portu (quod aiunt) impegerimus. Eſt enim hæc ceu prima frons epiſtolæ, in qua delinquentem non ſolum imperitiæ dedecus, uerumetiam religionis negle-

Trãſit ad præceptiones.

glecta piaculum maneat. Nam à ueteribus ſuper/ ioſe obſeruatū uidemus, ut è primis illis forte cō/ edientium uerbis, futuri ſermonis uelut omē quod m arriperent. Eoq; qui ſibi forte fortuna ueniret uiam, qui ue quapiam de re inter ſeſe tractaturi ngrederentur, quò fauſtus eſſet occurſus, ac bene inatus ſermo feliciter utriq; uerteret, mutuam ſa em dicebant. Et ſacerdos quoties prodibat ad po/ lum, ſalutabat, ac reſalutabatur. Ea conſuetudo è dijs hominum moribus, in epiſtolam, quæ, ut dixi, lloquium eſt inter abſentes, translata eſt: eamq; nper ueteres à dicenda ſalute ſunt auſpicati. Idq; n à Græcis, quàm à Latinis, tertia perſona facitita m uidemus: ſiue quod uſus, ſermonis rex, perſonam tauit, ſiue quod ſtudio feſtiuitas quædam, quam ad t perſonæ hypallage, uidetur affectata: ſiue quod m ſalutatio non adderetur epiſtolæ, ſed in tergo ti/ i uice adderetur, uelut ab eo recitanda, qui literas rferret. Marcus Tullius Cicero Trebatio impera i S. D. Græci fermè ad hunc modum, πλάτων τῷ νι εὖ πράττειν. Quæ uerba non hoc ſonāt Græcis, od quidam exiſtimant, quaſi iubeamus illos, quos ſalutamus, bene uiuere, ſed quod felicitatem pre/ mur. Nam quibus res ſunt ſecundæ, ij Græcis εὖ ἄττειν dicuntur. Quidam pro εὖ πράττειν dicunt ίρειν, quod apud nos ſonat gaudere. Vtrunque uno rſu expreſſit Flaccus:

Vnde transla ta conſuetudo ut ſtatim in fronte epiſtolę ſalutemus.

Id eſt, Plato Dioni bene agere.

Celſo gaudere, & bene rem gerere Albino uano.

Lib. 1. epi. 8.

tini in hunc fermè modum ſalutant: M. Tullius Ci

cero, M. Varroni S. D. Plinius ſuo more addit, ſuo, opinor, quod non ſcribat niſi amicis: C. Plinius Sabino ſuo S. D. Hebræi uulgato gentis ſuæ more, pacem optant ſalutantes, ſiue quod ſentiant bellum ac diſcordiam eſſe malorum omnium compendium: ſiue quod pacem appellant ſummam rerum proſperitatem, ubi nihil eſt quod offendit animum. Autor eſt Plinius auunculus, religioſum antiquitus fuiſſe, nominibus ſalutare, ne preces, opinor ambiguæ ad alienum auertantur: quemadmodum in deuotionibus nomen addebatur, uelut irrita futura execratione, niſi urbis aut gentis uerum nomen apponeretur. Ergo ne dirum omen habeat epiſtola, utriuſq; nomen in ipſo ſtatim ingreſſu præfandum eſt: priore quidem loco illius, unde uenit epiſtola: poſteriore eius, ad quem mittitur: etiamſi longe ſit honoratior cui ſcribitur, quàm qui ſcribit. Puerilis mihi uidetur illa nominum honoris gratia tranſpoſitio, niſi nobis placebit illa Gnathonis ſalutatio: Parmenonem ſuum ſummum plurima ſalute impartit Gnatho. Aut niſi ſi quis ad hunc modum loquatur: Idem equus portabat Cæſarem & Auguſtam, exiſtimemus hominem læſæ maieſtatis reum peragendum, quod plus honoris habitum ſit equo, quàm Cæſari, & eius uxori. Sed extra iocum, mihi probatur ueterum ſimplicitas, quam utinam per noſtræ tempeſtatis corruptiſſimos mores ubique liceret æmulari, ut nos inuicem nudis nominum titulis ſalutaremus. C. Plinius Caluo ſuo S. D. Quid enim erat uerius aut purius? Siqui

Epilogus huius loci. In Eunucho Terentiana.

quidem ubi quis nomen audit, omnes pariter uir-
es ſuas audit compendio . Habet prætereà, neſcio
id peculiariter blandũ proprij nominis appella/
, quo audito delectari uidentur & animantia bru
Quo magis iſtos admiror, qui uocabulum ſuum
od inditum eſt in baptiſmo, non alijs auribus ac/
piunt, quàm ſi atrox ingereretur conuicium.
ultius, quod aulici quidam non ferunt, ut liberi
trem patris, aut matrem matris appellent uoca/
lo, dominus ac domina malunt audire: quum illis
cabulis neq; ſit quicquam honorificentius, neque
arius affectibus: adeo nihil illis placet cum plebe
mmune. Porrò nominum uocabulo, prænomina,
nomina, cognominaq; complectimur. Prænomina
rè à maioribus mutuamur: Mar. Tullius. Cognomi
pleraq; gentilia ſunt: Bruno Amorbachius. Agno
ina ſolent ex euentu quopiam accreſcere : Scipio
fricanus, Cato Vticenſis. Hodie cognomina aut
ntilia ſunt, quemadmodum apud Italos, Medi-
m, Baptiſtarum, Balborum. Aut à loco dicuntur:
ngelus Politianus. Nam præter ueterum conſue/
dinem faciunt, qui paternum nomen cognominis
ce ſubijciunt, ut ſi quis Antonium Dionyſij filium,
ntonium Dionyſium appellet. Cæterum qui pa/
ntis uocabulum gignendi caſu ſubnectunt, ma/
s referunt Hebræorum conſuetudinem, quàm Ro
anorum: Iacobus Alphæi, Ioannes Zebedæi, Pe/
us Simonis . Iam barbara, nonnunquam & ſo/
o abſurda uocabula, uel hominum, uel locorum,

Notat eosqui proprium nomen tanquam conuicium aſpernantur.

uel familiarum, aut Latinis Græcis ue uocibus red/
denda ſunt, aut in Latinam faciē cōmode deflectēda,
ut ab idiotis etiam uulgatum nomen agnoſcatur: ut
quum barbier quod uulgo tonſorem ſonat; Bar/
binum dicimus: pro Busleid, Buslidiū: aut pro Lãg,
Langium. Quod idem in Græcis et Hebræis ſibi per
mittunt eruditi: ueluti cùm pro elephas, dicunt ele-
phantus, pro Adam Adamus, pro Abraham Abra
hamus. Quibuſdam religio eſt cognomen gentis im
mutare. Sed ſunt quædam adeo barbara, ut ſtridores
ſint uerius, quàm uoces: præſertim nonnunquã apud
Germanos monoſyllaba quinq; conferta conſonanti
bus, quæ nō ſonari quidem poßint ab eius linguæ ru/
dibus: quæ ſi molliri non poterunt, in Græcas aut La
tinas uoces uertentur. Cognomentis quæ ducuntur
à loco, uel originis uel dominij, quidam dure addunt
præpoſitionem, Picus de Mirandula: Latinius eſt, Pi/
cus Mirandulanus: tollerabilius putant, Picus à Mi/
randula. Ac fortaſſe licebit unum aut alterum exem
plũ apud autores inuenire, ubi addatur, De: ſed pue
ri quod optimum eſt, primum aſſueſcant imitari. Nõ
abhorret à ueterum conſuetudine, nonnunquam ijs
quæ diximus, magiſtratus, profeßionis, cognationis,
aut etiam affinitatis cognomen annectere: idq; con
tra recentium morem, qui honoris gratia præponunt
dignitatum uocabula: Beatißimo papæ Alexandro
ſexto. Veteres contrà, Trebatius Marco Tullio Cice/
roni imperatori: Hieronymus Damaſo papæ Bu
dæus Copo medico regio: Eraſmus Ioanni Coleto
theo

heologo: M. Cato Bruto Conſuli: Marcus Tullius Quinto fratri: M. Brutus Portiæ uxori. Optarim ſi ieri poßit, nihil adulationis admiſceri titulis. Erras autem, ſi te laudari putas, quum epiſcopus ſcriberis, aut theologus: profeßionis iſta ſunt nomina, non gloriæ. Is demum te laudaret, qui bonum epiſcopum, aut eruditum theologum ſcriberet. Tolerabile fuerit, ſi uxorem chariſsimam, aut liberos dulciſsimos appellemus, aut patrem optimum. Porrò quoties docti pluſculum admiſcent honorificentiæ titulis, non ſuo ſeruiunt ingenio, ſed alienis obſecundant. Iſtos nemo modeſtus feret, opinor qui prodigioſis aſſentationibus ſalutationem infarciunt: ac tum exiſtimant ſalutationem eſſe mire rhetoricam, ubi nonnunquam ipſo etiam hominis nomine prætermiſſo, hunc ſolem dixerint, alium lunam, hunc luciferum, alium cynoſuram, aut lucernam ardentem ſpeculum ſine macula, thuribulum odoriferum, pyxidem unguentariam, candelabrum aureum, uirtutum ſacrarium, diſciplinarum theſaurum, omnis ſcientiæ gazophylacium, phœnicem, aquilam, uitem, hortum, flumen fontem, pelagus, apicem, culmen, florem, gemmam, iubar, fulmen, paradyſum: deniq; rerum omnium laudabilium copiæ cornu. Et quid non? Ita nouus hic ſalutator iuxta Comicum, uenuſtum dat adueniens principium. Atque etiã ne parum ſint Gnathones, quemadmodum alios immodice efferunt, ita ſeſe pari uenuſtate deijciunt atq; extenuant, ſeruulos à pedibus, uiliſsima mancipia eius cui ſcribunt, appellantes. In Eunuch. ſce. 2 act. 3.

Huius ſalutationis exemplum hoc erit, ſi quis fortè requiret animi cauſa: Perſpicaciſsimo domino, Septem artium liberalium candelabro aureo, Radiãti theologorum apici, Religionis lucernæ ſemper ful genti, Dominicalis ordinis lucifero, Vtriuſq; teſtamẽti gazophylacio, Hæreſiarcharũ malleo, Omniũ uirtutum heroicarum & non heroicarũ ſpeculo lim pidiſsimo, Digniſsimo domino meo, domino præceptori, humilimus dominationis ſuæ diſcipulus, & uiliſsimus ſeruitor, oſcula pedum pro ſalute. Rides exemplum? Sanè merito rides: ſed huiuſmodi nõ ſolũ utuntur iſti, uerumetiam libris æditis præcipiunt ado leſcentulis. Hæc noua ſalutandi Venus, priſcis incognita, tũm demũ nata eſt, ubi profligatis linguis, ex actis bonis autoribus, quos illi poeticos uocant, in ludis literarijs pro Grammatica tradebatur Michael Modiſta, pro rhetorica ſimiles nugæ. Quis unquam Gnatho, aut Colax, aut Gelaſinus, uſq; adeo fuit impudens, aut in tantum eſurijt, ut iſtiuſmodi uerba re gi ſuo auſus ſit in os dicere? Qui plagas pati poſsũt, qui iure perfundi, qui oſſe peti, qui cõmingi ſuſtinẽt: tamẽ nõ ſuſtinẽt ſic ſalutare, quemadmodũ nos Chriſtiani grauibus etiã uiris adulamur. Quãdo Plautus ille paraſitorũ licẽtioſus et immodicus effictor, auſus eſt talem inducere in fabula? Si Chriſtianã ſimplicitatem tueri non libet, ſimus uel ethnicorũ exẽplo paulo minus impudentes. Paulus ſcripſit, inquiunt, bono re inuicem præuenientes. At apoſtolus illic nõ de ſalutatione, ſed de ſubſidio loquitur: ſic enim ille ſolet hono-

Ironia.

Gnatho Terentianus, Colax, Gelaſinus

Occupatio.

honorē appellare. Quod ſi uitari non poteſt, quin blandius agatur cum eo cui ſcribitur, eſt uerecũdius quoddã aſſentandi genus. Sunt figuratæ laudes, his epiſtolam, quanta erit, expleas licebit. Verum in ipſa ſtatim ſalutatione, tam impudentē Gnathoniſmũ, obſecro, quis ferat, niſi aut Mida ſtolidior, aut Thraſone glorioſior? Aequè uicio dandũ eſt, quod quidam in principium literis factitant, eius cui ſcribitur, aut qui ſcribit titulum, trecentorum cognominum longa ſerie in decimum uſq; uerſum producere. Iuſtinianus imperator, Cæſar, Flauius, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Saluicus, Vandalicus, Africanus, pius, fœlix, inclytus, uictor ac triumphator, ſemper Auguſtus. An nõ feſſus lector, epiſtolam parabit abijcere, prius quàm ad epiſtolã peruenerit, niſi coronidem, quã recenſendis titulis finire non poterant, per & cætera præcidiſſent? Ridendũ & illud ſalutandi genus, inepte fucatum, quod Carolo Louaniēſi quoq; cum primis arriſiſſe uidetur, quo ſalutis loco, nunc hoc, nunc illud apprecamur: ueluti Midæ diuitias, loco ſalutis. Aut, humillimam recommendationē, uice ſalutis. Promptã cum debita ueneratione ſeruitutem, loco ſalutis. Hæc equidem deliramenta inuitus refero, ſed aliter dedoceri non poterant. Et in primis hæc ſunt dediſcenda: tum quod ſalutationē uerbis ſuperuacaneis onerant, puritatēq; ac ſimplicitatem corrumpũt: tum quod ſtultiſsimum uidetur, aliquid ſalutis uice ſubijcere, quum ipſa ſalute nihil ſit melius. Eiuſdē ineptiæ ſunt illa: Quod habet

Laudes figuratæ, quæ nõ ab animo proferuntur.

bet cœlū ſtellas, quot habet mare guttas, tot tibi mit-
Occupatio alia. to ſalutes. Quod ſi quando pietate commendati uiri,
ſecus atq; nos docemus, ſalutarunt: præpoſterè fece-
rimus, ſi à quibus uiuendi petenda fuerant exempla,
non loquendi, in his quod optimum habuerūt, negli
gemus: quæ peßima, ea ſola nobis proponemus. Neq;
ſi quando D. Hieronymus, D. Auguſtinus, D. Grego-
rius ſuorum temporum conſuetudini conceſſerunt,
id nunc oportebit in ludum literarium uocare, præ-
ſertim hac tempeſtate, qua nihil eſt omnino literis
cum uulgo cōmune. Poſtremò, quid abſurdius, quàm
ex magni nominis autoribus nihil imitari, niſi quod
erat contemplatione cæterarum uirtutum feren-
dum? Poſt expreſſas reliquas Hieronymi uirtutes, ſa
lutationis nouitatem condonabimus. Quod ſi nō po
tes, noli huius prætextu tueri, quod tempori ſuo de-
dit ille, non iudicio. Sed offendemus, inquient, ſi tuis
præceptis parebimus. Quis enim non hanc ſalutem;
Obiectio. Petrus Tartareus Heinrico Bedæ theologo S.D.
contumeliam interpretetur potius, quàm ſalutem?
Verum ego non in hanc operam ſuſcepi, quo doce-
rem ſermonem ſtultorum auribus atque animis ac-
comodare: ſed ut recte ſcribendi rationem trade-
rem. Neque tamen uſque adeo deſperandum exiſti-
mo noſtrum hoc ſeculum, ut errorem, quem corru-
pti mores hominum & inſcitia potuit inuehere, eum
bonorum & eruditorum uirorum autoritas, et uſus
non poßit reuellere. Videmus quantum profectum ſit
paucis annis. Vbi non in ſcholis auditur Michael
Modiſta,

Modiſta, ubi gloſſema Iacobi, ubi citatur Catholicon, Brachylogus, aut Mãmatrectus? quos olim ceu rarum theſaurum, aureis literis deſcriptos habebant monachorum bibliothecæ. Certè ſemper erit ad optima conandũ. Si ſtatim ſanctũ erit, & ἀκίνητον, quicquid hic aut ille deprauarit in ſtudijs, neq; quod deprauatum fuerit reſtituere licebit: quò tandem recident literæ? Deniq; ſi iſtis craßis licet ueterũ cruditorum exemplum contemnere: nobis uicißim non licebit iſtorum indocilem inſcitiam pro nihilo ducere? Quod ſi quid à ueterum cõſuetudine libebit innouare, ſi uidebitur aliquid dandum eius animo cui ſcribitur, aut publicæ conſuetudini, tolerabitur quidẽ: modo abſit enorme uitium, hoc eſt, ne ſalutatio ſit uel loquacitate moleſta, uel aſſentatiõe paraſitica, uel affectatione moroſa: ne quod diximus, peßimũ ſit omen toti epiſtolæ, ſi ſtatim à uitio fecerit auſpicium. Id eſt, immotum.

SIMPLICIS SALVTATIONIS
aliquot formulæ.

Salutationum, quæ præter indiciũ nihil habent, formulæ ſunt huiuſmodi: Pius põtifex Romanus, eius nominis primus, Lodouico Gallorum regi eius nominis undecimo, S.D. Tiberius Cæſar ſenatui Romano S.D. Senatus P.Q.R. Machabæo duci, & ſocijs Iudæis S. D. Horatius Trib. Mil. Bruto imperatori S. D. Heinricus Angliæ rex Maximil. Cæſari S.D. Demetrius eques Romanus Tito Lucio iudici ſelecto S. D. In huiuſmodi nominibus officiorum plerunq; hæretur à doctis, partim quod incertum, quæ ueterum

nomi-

nomina quibus nunc reſpondeant, partim quod ple raq; iam recepta ſunt, peregrinis ac barbaris uoca/ bulis. Siquidē quem olim urbis præfectū uocabant, nunc alicubi uocant Marchionem, alicubi locum te/ nentem: quem tribunum plebis, nunc ciuium magi/ ſtrum uocari credunt. Quem olim quæſtorem æra/ rium, nunc redituariū uocant, ſiue receptorē. Quos olim rationales, nūc opinor, phinātiarios dici. Quos olim quæſtores parricidij, nūc ſcultetos. Quos olim caduceatores, nunc chiraldos. Quos olim ſenatores ſeu electos iudices, hodie uocant dominos parlamen tares. Nam Ammiraldus pro littorum curatore, ſiue maris præfecto, neſcio cuius linguæ uerb. eſt. Quod genus ſunt & illa, Mariſchalcus, Seneſchalcus, Ba/ ro, quæ uidentur unà cum barbarico imperio inua/ ſiſſe. Aut igitur his utendū, aut uetus aliquod uocabu lum ſubijciendum, quod nouo reſpondeat. Id commo dius faciet, qui primum ex antiquis hiſtoriographis, è Varrone, è Cicerone de legibus, è iureconſultorum libris, ex libello Feneſtellæ, quē ex profeſſo ſcripſit, & inſcripſit de magiſtratibus, animaduerterit ſin/ gulorum & uocabula, & functiones. Item huius tē poris officia, quibus uerbis dicantur, & quibus in/ rebus uerſentur. Eandem curam oportebit adhibe/ re, in conferendis Græcis ex Latinis officiorum uo- cabulis. Nam illi ὕπατον, *id eſt, ſummum uocant con ſulem,* ἀνθύπατον *proconſulē,* αὐτοκράτορα *dictatorē ſeu imperatorem, quem eundem interim &* βασιλέα *uocant, ſed hæc res plus habet negotij, quàm ut hic*

Ammiraldus.

ſit

t obiter tradenda. Argumentum hoc propriũ uolu men poſtulat: tantum indicabo, quibus rationibus co gnitum magiſtratum poßis circuitione notare. Qui præeſt deſcribendis epiſtolis, & uulgo ſecretarius dicitur, uocabitur ab epiſtolis, qui ſchedas citatorias ſcribunt, & notarij uocantur, dicentur à libellis: qui theſauro præfectus eſt, à theſauris: qui cubiculis, à cubiculis, quem cubicularium, ſiue camerarium uo cant: pocillator, à poculis: ſcriniorum præfectus, à ſcrinijs. Qui notant ac recitant acta in iudicijs, ab actis dicuntur, ſiue actuarij. Atq; item de cæteris.

NOVAE SALVTANDI FORMVLAE.

Pliniano demum ſeculo natũ uidetur, ut quos fa miliarius amarent, eos in ſalute ſuos dicerẽt, blã diore ſcilicet pronomine, coniunctißimam neceßitu dinem ſignificantes. Plinius Calphurniæ ſuæ S. D. Ebutius Hiſpalæ ſuæ. S. D. Quod ſi nobis permitti/ mus à conſuetudine ueterum recedere, tot poterunt eſſe in epiſtolis ſalutandi formulæ, quot in congreſ/ ſu. Salue pater optime. Salue mater optima. Saluete liberi dulcißimi. Salue mea Terentia charißima. Sal ue multum. Salue plurimum. Salue etiam atq; etiam. Salue quantum mereris. Salue pro tuis meritis. An/ tonius Licentio ſuo multam optat ſalutem: plurimã ſalutem, perennem ſalutem. Nam plurimas ſalutes, aut innumeras ſalutes, non auſim dicere, niſi ſentiã à diuerſis allatas. Politian. Marſilio ſuo multam ex animo precatur ſalutem. Eraſm. Fauſto ſuo multam optat fauſtitatem. Andreas Aegidio ſodali iucũdißi

mo

mo multam optat felicitatem. Antonius Laurentius Marco fratri chariſſimo perpetuam optat incolumitatem. Terq́; quaterq́; ſalue meum præſidiũ. Saluere te iubet tuus Lodouicus. Saluere te iubet, qui ipſe nõ ſaluet. Salutem tibi dico, quàm ipſe deſidero. Salutẽ tibi mittit, qui ipſe perijt. Salutem tibi mittit, quam ipſa, niſi tu dederis, non eſt habitura. Saluus ſis optime ſocer. Salue præceptor optime. Has itaq; atq; huiuſmodi formas, quanquam nonnihil diuerſas à ueterum conſuetudine, tamen non uideo, quur oporteat in totum damnare, modo in loco adhibeantur. Illud genus non perinde probo: Salua ſit tua præſtantia, tua reuerentia, tua nobilitas, tua dominatio.

Eiuſmodi ſalutationis formulæ extant nonnullæ in epiſt.

QVOMODO PER ALIVM SALVTANDUM, AUT RESALUTANDUM.

Crebrum & hoc in epiſtolis, ut per alios ſalutemus alios. Id apud eruditos ferè fit his modis. Attico noſtro multam ex me ſalutem dicito. Vxorem tuam ac liberos mellitiſſimos omnes meis uerbis ſaluere iubebis. Generum mea cauſa ſalutabis officioſe. Amicis omnibus cõmunẽ ex me ſalutẽ dicito. Parentem optimum meo nomine ſalutabis diligẽter. Fac, ut amicis cõmunibus mei uice ſalutem annuncies. Totã familiam tuã per te meis uerbis ſalutatam uolo. Non erat ociũ omnib. ſcribẽdi, ſed omnibus pro me multã dices ſalutẽ. Tu mihi apud amicos omnes uicarius eſto ſalutator. Omnibus ex me annunciabis, me illis omnia læta precari. Gener tuus iuſſit, uti ſuis uerbis tibi multã ſalutem eſſe aſſcriberẽ. Socrui tuæ optabis pro-

Exempla ſunt apud Ciceronem multa.

proſperam ualetudinem meo nomine. In ſalutandis amicis, quoniam in præſentia mihi non uacat ſcribere, fac Eraſmi tui uices grauiter obeas. Quàm blandiſsimè ſalutabis Antonium, ſed meo titulo. Salutaſſem abbatem meis literis, ſed tu mihi apud illum epiſtolæ uice fueris. Grauabo te non magna ſarcina, ut meo nomine ſalutem perferas ad ſocrũ meam. Quæſo, ut ſodalitatem totam mihi ſalutes accuratè.

REDDITA SALVTATIO PER ALIOS.

Attica, quam illi tuis uerbis dixi ſalutem, libenter accepit, teq́; uiciſsim per meas literas ſaluere iuſſit. Tuam ſalutem Attica libens accepit, ac ſuam remittit. Ambroſius ſalutem, quam illi renunciaui, totidem uerbis renumerat. Amici per me tuo nomine diligenter ſalutati, dederunt hoc negocij, ut te uiciſsim ſuo nomine iuberẽ ſaluere. Genero tuis uerbis ſalutẽ ſcripſi, nam aberat: is ſuo nomine tibi multam ſalutem iuſsit reſcribi. Socer tuis uerbis per me ſalutatus, te uiciſsim meis reſalutat. Qui me per te ſalutãt, hos omnes mutua ſalute meis uerbis imparties.

DE EPITHETIS ET NOMInibus adoptiuis.

Nonnunquam urbanitatis & comitatis eſt, addere honoris, aut adoptiua cognomina: quorũ poſterius exemplum eſt, ut ſi ſenẽ bene de nobis merentem, appellemus patrẽ: iuuenem nobis charũ, filium: nouercam, matrem: ſororis maritum, fratrem: quibus adijcientur & epitheta, quæ Fabius uertit appoſita. Hæc ueteres parcius admiſcebant titulis, etiam Lib. 8. ca. 2.

ſi recentium conſuetudo diuerſum obtinuit: ſed horum maior erit uſus in media epiſtola. In his illud in primis erit obſeruandum, ut ſi tribuenda ſunt, tribuantur appoſita perſonis & rei, de qua agitur. Ecclesiaſticis dignitatibus hæc ferè congruunt: Beatiſſime papa. Pontifex maxime. Summe pōtifex. Ampliſsime pater. Sanctiſsime præſul. Vigilātiſsime paſtor. Sacratiſsime pater: uenerande, ſuſpiciende, obſeruande, integerrime, religioſiſsime pater.

PRINCIPVM EPITHETA FERE ſunt huiuſmodi.

CAeſar Auguſte. Rex inuictiſsime. Fortiſsime imperator. Dux illuſtriſsime. Clementiſsime princeps. Vir generoſiſsime, præpotens, ornatiſsime, clariſsime, ſplendidiſsime, Opti. Maxime, quod à Ioue ſumptum, quidam in Chriſtum transferunt, in quem uerius competit, quàm in Iouem. Nonnulli etiam ad ſummos monarchas traducunt. Diuos ac deos appellare reges, ethnici cuiuſdam gnathoniſmi eſt. Dominos appellare, barbaricum, etiamſi cœpit hoc nomen ferre Romana lingua, poſtquā ingenia iugum tyrannicum ferre poterant: mox eccleſiæ proceres, quod differrent à prophanis, pro dominis, domini uoluerunt appellari.

MAGISTRATVVM CIVILIVM epitheta fuerint hæc.

COnſul uigilātiſsime. Senator ſplendidiſsime. Cenſor grauiſsime. Aedilis magnificentiſsime. Iudex incorruptiſsime. Prætor integerrime. Ex his uerò

qui

qui literas profitētur: Theologos graues, ſynceros, abſolutos, ſacros ac diuinos appellabimus: Rhetores, diſertiſsimos, ſuauiloquentes, facundiſsimos: Poëtas, ſacros, diuinos, claros, nobiles, inclytos: Iuriſperitos, iuris utriuſq; conſultiſsimos, prudentiſsimos legũ, iuris utriuſq; iuxtà doctos: Dialecticos, acutos, argutos, inuictos. Medicos, peritiſsimos, fidos, eximios: Mixtè doctos, undecunq; doctiſsimos.

COGNATORVM ET AFFINIVM
hæc ferè ſunt Epitheta.

PAter optime. Mater indulgentiſsima. Frater chariſsime. Patrue obſeruande. Soror chariſsima. Vxor ſuauiſsima. Nepos mellitiſsime. Iucundiſsime gener, affinis, ſodalis, commilito. Ex reliquorum genere, qui nulla certa nota ſunt inſignes, diuites, & autoritate præſtātes uiros appellabimus: Optimates uiros, ſummates, primarios, nobiles, graues, grauiſsimos. Ornatos, uirtute aut eruditione præcellentes. Obſeruandos, honorandos, colendos, abſolutos, eximios, egregios, prudentes, ſuſpiciēdos, ſpectatos, perſpicaces, circumſpectos. Matronas nobiles, primarias, optimas, integerrimas, probas, pudicas. Puellas, lepidas, bellas, amabiles, optime moratas, pudicas, iucundas, mellitas. Adoleſcētes ingenioſos, probos, modeſtos, optimæ ſpei, eximiæ indolis, generoſæ indolis. Milites, fortiſsimos, exercitatiſsimos. Opifices, induſtrios, ſolertes, peritos, exquiſitos, accuratos. Reliqua ſibi quiſq; ex his quæ recēſuimus inueniet. Atq; hic quidem cautio ſit oportet, nō ſolum, ne quæ aliis con/ Quid cauendum ſit.

congruunt, in alios transferamus: ueluti ſi quis puellam uenerandam, ſenem iucundiſsimum, regem pudiciſsimum, matronam inuictiſsimam nominet: uerum etiam, ne quando manifeſtò falſa tribuamus: ut theologum male doctum, grauiſsimum potius appelles, quàm eruditiſsimũ. Præſulem ſtupidum ac ſupinum, quiduis potius, quàm uigilantem. Regem inſigniter auarum, clementem magis dicas, quàm munificum. Etenim ſibi quiſq; conſcius, hæc in contumeliam rapit: non aliter, quàm ſi deformem ſenem, formoſum puellum appelles: aut pumilionem, egregium heroa.

VBI, ET QVANDO POTISSIMVM utendum epithetis.

HAec, ut dixi, in ſalutationibus optarim parcius adhiberi. Cæterum in media epiſtola quum res agitur, erit his aliquando locus. Quanquam nec hic paſsim quæuis, & ſine delectu erunt adhibenda. Nã ut boni ducis eſt unumquenq; militem, ita boni oratoris eſt, unamquanque uocem eo ſtatuere loco, ubi quàm maxime poſsit uſui eſſe. Veluti principem, cui gratias ages pro accepto munere, aut à quo uelis aliquid impetrare largitatis, tempeſtiuius munificentiſsimum, aut benigniſsimũ nominaris, quàm fortiſſimum, aut inuictiſsimum. Adhibebimus autem in loco, ſi dicemus: Ignoſces primo errori, dux mitiſsime. Patere te exorari clementiſsime Cæſar. Turcarum uim à Chriſtianorum humeris depelle rex inuicte. Succurre periclitanti eccleſiæ, religioſiſsime princeps. Reſtitue per calumniam oppreſſos, æquiſsime præ/

prætor. Non eſt meũ tibi conſiliũ impartiri, uir ocu/latiſsime. Tuo conſilio nobis ſubueni, uir prudentiſsime. Siquidem in his orationibus non ſunt ocioſa epitheta, ſed argumenti uim obtinent. Vt enim probes, non eſſe tuum illi dare conſilium, aſſumis argumentum, quod ipſe quum ſit oculatiſsimus, domi cõſilium habeat, nec egeat mutuo.

DE TRANSFIGVRANDIS epithetis.

TRansfigurãtur hæc appoſitiua nominà nonnunquam haud ineleganter in ſubſtantiua, itaq; pro/nominum uicem gerunt: Obſecro te pater piiſsime. Obſecro tuam pietatem pater. Gratulor tibi uir for/tiſsime, Gratulor tuæ uirtuti. Condona mihi hunc errorem uir manſuetiſsime, Condonet mihi hunc erro/rẽ tua mãſuetudo. Noſtræ ſtultitiæ præſidio ſis, quæſo, uir ſapientiſsime, Noſtræ ſtultitiæ tua ſapientia ſit præſidio. Compeſce improborum audaciam uir integerrime, Improborum audaciam tua compeſcat in/tegritas. Publica calamitas implorat te princeps cle/mentiſsime, Publica calamitas implorat tuam cle/mentiam, optime princeps. Succurre religioni Chriſtianæ piiſsime Cæſar, Tua pietas Opt. Maxim. Cæ/ſar, ſuccurrat religioni Chriſtianæ labanti. Non eſt hominis imperiti, uiro prudentiſsimo conſilium da/re, Non eſt meæ imperitiæ, tuæ prudentiæ conſilium dare. Te, inquam, appello uir impudẽtiſsime, Tuam, inquam, appello impudentiam. Nonnunquam uehe mẽtiæ cauſa rẽ duplicamus, ſed immutata uoce: Suo

curtat mihi tua benignitas liberaliſſime Mecœnas. Te omnes execrantur homo ignauiſſime, Tuā ignauiam execrātur omnes, homo formidoloſiſſime. Demiror te homo uecordiſſime, Vecordiā tuā admiror, ô demens. His igitur ſi modice & in loco utemur, & grauiorem amplificando reddemus orationē, & argumento iuuabimus ſententiā, & ſermonem grata uarietate nouabimus. Nam uulgo ſcriptorum in huiuſmodi neq; modus eſt ullus, neq; tempeſtiuitatis ratio. Sic enim paſſim: Dominationis tuæ literas accepimus: &, Reuerendiſſima tua præſtātia mihi literis ſignificauit: &, Nobilitas tua meo nomine ſalutabit uxorem ſuam: &, Charitati tuæ breuiter reſpondeo: &, noſtra paruitas digniſſimæ paternitati tuæ gratias agit. Stultū eſt ita uitare perſonā, quaſi fas non ſit ea uti. Et tamē fateor alicubi gratiā habere uocabulum qualitatis, perſonæ loco ſubmiſſum: Stultitiæ meæ prudentia tua ſit præſidio. Noſtrā tenuitatē tua foueat liberalitas. Noſtrā inopiā tua copia ſuſtineat.

DE ADOPTIVIS NOMINIBVS.

VT autē redeamus ad id, quod ſuperius attigimus, iiſdem locis gratiam habent adoptionis uocabula: quoties potentes, quorum autoritate ſubleuamur, quorum beneficentia adiuuamur, patronos, parentes, ac præceptores nominamus: Fœminas, patronas, ac matres: Aequales amicitia iunctos, fratres, ac ſorores: Eiuſdem ſtudij ſodales, aut eiuſdem inſtituti profeſſores, commilitones: Adoleſcentes, filios. Diſcipulos, alumnos.

DE SVPERSTITIONE EPITHETORVM.

Fugienda eſt infelicitas eorũ, qui ſe certis uocibus alligãt, quas magica penè dixerim ſuperſtitione, uel mutari, uel inuerſo proferri ordine, piaculum exiſtimant, perinde quaſi Iouem conceptis uerbis euocent, aut noxios dæmones adſciſcãt. Quos niſi rite, certisq; uerbis cõpelles, capitis tui periculo feceris. Beatiſsime pater, audit Romanus põtifex. Si ſcripſeris, pater beatiſsime, reſcinditur diploma. Audit, ſanctiſsimus pater. Si quis ſcribat, pater ſanctiſsime, mutatur ſcriptum. Audit, ſanctiſsimus dominus noſter: niſi addas, noſter: aut ſi præpoſtere dixeris, noſter ſanctiſsimus dominus, ingens flagitiũ commiſſum putabitur. Simili ſuperſtitione receptum eſt, ut cardinalibus tantum reuerendiſsimas dominationes tribuamus: Archiepiſcopos reuerendiſsimos appellemus: Epiſcopos & Abbates, reuerendos. Priores, uenerabiles. Decanos, ſpectabiles. Vnum Gallorum regem, Chriſtianiſsimum. Solum Hiſpaniarum regem, catholicum. Angliæ regem, ſereniſsimũ ſolum. Cæſarem, ſemper Auguſtum. Duces, illuſtriſsimos. Alios inferioris nobilitatis tantum illuſtres: alios, clariſsimos. Quis hanc titulorum ſuperſtitionem inuexit in mundum? Nimirum phariſaicum illud hominum genus, quod alijs quoque ceremonijs, & falſæ doctrinæ, falſæq; religionis præſtigijs, diu mortalium generi nimium credulo impoſuit. Huiuſmodi reuerendiſsimis dominationibus, & catholicis maieſtatibus, ampliſsimis paternitatibus ſubinde repetitis, bonã epiſtolæ

partem occupamus,& Latini ſermonis gratiã perdimus. Ignoſco iis, qui utuntur inuiti: nõ ignoſco, qui hæc cõminiſcuntur, aut qui exigunt ceu rem ſeriam. Quid enim ſi regem pro patriæ ſalute ſeſe periculis obijcientem, pro catholico aut Chriſtianiſmo, dixero patrẽ patriæ: ridebit, opinor, me craſſo Calphurnius ore? Quid ſi Romanũ pontificem, non ambitioni, non quæſtui, non uoluptatibus, non tyrannidi inhiantẽ, ſed Chriſti gloriæ, Chriſtianiq; gregis ſaluti ſeruientem, dixero paſtorem Euangelicum: an non appoſitius loquar, quàm ſi dicam, beatiſsime pater, cùm beati cognomẽ quadret etiam in diuitem? Si uere talis eſt pontifex, tribui dignum titulum: ſi nõ eſt, ſubmonui qualis eſſe deberet. At iſti putant aliud eſſe, dominus Petrus, & Petrus dominus. Et prophanos honoris gratia ſemel dominos appellãdos: eccleſiaſticos, dominos dominos. Cæterũ Abbates aut epiſcopos, dominos. Quod ſi dominici uocabuli congeminatio facit ad ſignificationem dignitatum, quoties eos uocabimus dominos, qui plus quàm uiginti ſacerdotijs onuſti ſunt? Et de his tricis, doctiſsimi ſcilicet homines ſudantes diſputant, cũ utrunq; iuxtà ſit barbarum. Conditionis nomen dominus eſt, non honoris: tyrannicum, non magnificum: barbaricum, non Romanũ. Nam & lenonem cui mancipia ſint, dominum rectè dixeris. Itidem magiſtrum noſtrum ſi dicas, theologum intelligũt, præſertim Lutetiæ, & Louanij: quum calceariorum famuli, ſuum patronum inter ſe confabulantes, noſtri magiſtri uerbis ſignificent:

Perſiana imitatio.

Obiectio.

Dilutio.

cent: Veluti quum aiunt: ubi ceſſat noſter magiſter? Temulentus eſt alicubi noſter magiſter. Vtinam nunquam domũ redeat noſter magiſter. Quòd ſi capræ loqui poſſent, paſtori ſuo dicerent, noſter magiſter. Tantulum intereſt inter caprarium abiectiſſimũ & idiotam, & inter ſacroſanctum diuinæ mentis interpretem. Dicent: Quid faciam, ſi quis honoris gratia uocat magiſtrum noſtrum? Ride, moue caput, & deſinent te ſic honorare, ſi ſenſerint aures tuas non delectari titulis ineptis.

QVOMODO DICENDVM VALE.

Quemadmodũ à ſalutatione auſpicamur epiſtolam, ita dicto uale, claudimus: Niſi quod apud Græcos χαίρειν utroq; loco ponitur, ſed in calce rarius. Item apud Latinos ſalue. Vale non dicitur niſi in digreſſu: quemadmodũ nec apud Græcos ἔρρωσο. Hoc intereſt, quod ſalutatio nonnunquã ſic effertur, quaſi recitetur à tabellario. Cicero Trebatio ſalutẽ dicit. Vale ſemper ad ſcribentis perſonam accommodatur: Vale mea Terentia. Nemo ſic ſcribit: Cicero Terentiam ſuam bene ualere iubet, quemadmodum: Cicero Terentiam ſaluere iubet.

Id eſt, gaudere & ualere.

VALE DICENDI FORMVLAE aliquot.

Vale. Vale recte. Bene uale. Cura, ut quàm rectiſſime ualeas. Etiam atq; etiam cura ut ualeas. Da operam, ut belle ualeas. Cõmunem ualetudinem fac cures diligenter. Si tu recte uales, nos iamdudum ualemus. Valetudini tuæ, ſi quidẽ nos ualere uis, omni

ſolicitudine fac ſeruias. Adnitere, ut quàm optime ualeas. Sit tibi curæ tua ualetudo mi Tyro. Si quidē nos amas, ualebis mi Cicero, meq́; mutuo diliges. Fac ualetudinē tuam ſummo tueare ſtudio, Valeto. Scribam aliàs copioſius, interim mihi ualebis. Adero ad Calend. Maias, interea curabis ut ualeas. Da operā ut ſis proſpera ualetudine: Age curam ualetudinis tuæ. Si quid erit quod uelimus, eius cui ſcribimus animo inhærere, ſolet poſt Vale ſubijci: Vale, nosq́; q̄d ſoles, ama. Vale mi Petre, & hoc unum fac memineris, te inter uenena uiuere. Iam uale. Valebis autem, ſi philoſophiam amplecteris. Vale, & quicquid acciderit, cogita te mortalē eſſe. Vale noſtri memor. Valeto, & nominis immortalitati totis neruis incumbito. Vale meum decus, & caue ne tibi excidat, quod admonuimus de fratris negocio. Nonnunquam & poſt dictum Vale, ſubijcimus, quod nos fugerit, aut quod ideo fingimus nos fugiſſe, quo tenacius inſideat animo. Vale mi More. Sed heus tu, propemodum præterierā, quod in primis dictū oportuit. Vale. Iam parabā obſignare literas, ſed quia præter ſpem ocij nonnihil obtigit, libet etiam diutius tecum garrire. Vale. Sed iam obſignaturo epiſtolam, illud percommode uenit in mentē. Valebis. Sed mane pauliſper: nunc demū occurrit animo, quod primo loco dictum oportuit. Vale. Sed ô me obliuioſum, penè ſero ſoceri tui negocium mihi uenit in mentē. Vale. Iam ceræ admouerā annulum: papæ, quàm penè me fugerat, quod omniū maxime ſcire te uolebā. Valebis, ſed ſi illud

Formulæ quibus utimur poſt uale.

illud prius admonuero, ut à fucatis amicis te ſubdu cas. Vale. Eia, de libro nũc demum ſeſe offert memo ria: ne cui credas, niſi uideris meum chirographũ. Vale iterum atq; iterum. Equidem non poſſum deſi nere, adeo mihi dulce eſt cum amico iucundiſsimo confabulari. Vale iam tertio. Sed prius quàm obſi gnem epiſtolam, unum illud addã. Vale. Iam epiſto lam complicueram, cùm adiret me gener tuus, qui te iuſsit ſaluere plurimum ſuis uerbis. Iam obſigna ram epiſtolã, quum alteras tuas ad me literas reddi dit ueredarius. Itaq; reſignaui, et eadem òpera binis tuis reſpondeo. Huiuſmodi figuræ nõ hoc tantum in loco, uerum aliâs etiam habent gratiam, ſi quid Fa bio credimus. Nam & amouent ſuſpicionem fuci & artificij, & lectorem dormitabundum, uelut ad rem nouam expergefaciunt. Reperiuntur apud Chriſtia nos dicendi Vale formulæ diuerſæ ab his, nõ tamen in totum damnandæ, mea quidem ſententia. Incolu mem te nobis diu ſeruet Opt. Max. Ieſus. Faxit Chri ſtus autor òmnis ſalutis, ut nobis & quàm diutiſsi me, & quàm rectiſsime ualeas. Diu te nobis ac Rei pub. ſoſpitẽ uelit eſſe dominus Ieſus. Huius generis formas ſi quis effingat accõmodas, non arbitror re prehendendum. Cæterum alienas illas coronides, du req; affectatas non feram. Vale in eo, qui uaſtum cin git fluctibus orbem. Validum te ſeruet, qui mare & terras, uarijſq; mundũ temperat horis. Quid enim terra mari cincta facit ad ualetudinem tuam? Aut quid annus in quatuor partes digeſtus? Mollius erat:

Periphraſis eſt Dei, niſi tu Neptuum intelligas.

Ille

Ille, qui ſolus ſanat omnem ægritudiuem, donet tibi, ut quàm optimè ualeas.

QVID POST VALE.

POſt uale, cōtinenter locum ac diem aſſcribunt ueteres. Locum uarie, his quidē modis. Datum Romæ, datum è Roma. Scriptū Mātuæ, ſiue è Mantua. Aut omiſſo participio: Carthagine, Lutetiæ, Athenis. Ex arce noſtra. E uilla paterna. Ex noſtro Formiano. E caſtris Cæſarianis. Ex regia Britāniæ. Ex noſtro muſeo. E naui. Ex pādochæo. Nā hoc quoq; nonnunquam iuuat diſcere, ubi fuerit amicus qui ſcribit. Et locus ac tempus nonnunquam excuſat epiſtolam neglectius ſcriptam. Tempus priuatū his fermè modis aſſcribitur: Ruri ad multā noctem. Puteolis, prima luce. Ex hortis ſuburbanis. Inter cœnandum, aut mox à cœna. E paternis ædibus crepuſculo. Ex littore marino ad lunam. Ex aula Cæſaris, nocte concubia. Noctu, multa nocte, profunda nocte, alta nocte, plurima nocte, nocte intēpeſta. Sub gallicinium. Ex balneis pomeridianis. Tempus publicū his rationibus additur: Anno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo. Anno à natali Ieſu Chriſti, quingēteſimo ſupra milleſimum. Anno à uirginis partu, milleſimo trecēteſimonono. Anno ab orbe redempto, poſt milleſimum quingenteſimo. Anno à Chriſto paſſo, ſexageſimoſexto. Anno ab hominū genere reſtituto. Anno ſalutis humanæ. Quidam auſpicantur annum à natali Chriſti, quidā à Calendis Ianuarijs, quidam à die paſchæ, quidam à feſto annunciationis. Atq; ex

Cauſæ duæ cur nomē loci ſtatim ſubijcimus.

Tempus priuatum.

Tempus publicum.

hac

hac re ſæpenumero captio naſcitur parum attentis, quam uarietatem expediret tolli è rebus mortalium. Veteres ab orbe condito ſupputabant. Græci numerabãt Olympiades, quemadmodum alij indictiones. Romani primum ab urbe condita numerabãt: mox per conſules deſignabant annũ, quod is magiſtratus eſſet annuus. Aſſcribitur & menſis, & dies menſis. Romæ calendis Ianuarijs, ſiue Ianuarij. Ad Calend. Ianuarij, uel Ianuarias. Nonis Martijs, uel Martij. Idibus Iunijs, uel Iunij. Ad Idus Iunias. Pridie calẽdarum Ianuarij, uel pridie calendas Ianuarij: quod poſterius apud autores probos eſt uſitatius. Poſtridie calendas Octobres, uel calendarũ Octobriũ. Tertio calendas Auguſtas, uel Auguſti: uel ad tertium calendas Auguſtas. Recentius eſt aũt, quod quidã à principe menſis die ſupputant: Die menſis Iulij uigeſimo octauo. Errant aũt, qui præpoſitionẽ Ad, additã exiſtimant ſemper tempus reddere incertum. Etenim cum M. Tullius frequenter ſic aſſcribit diẽ: ad XV. Calen. Feb. num ita potus erat, ut quo die ſcriberet, ipſe neſciret? Imò hic ſermo ſumptus eſt à Græcis, qui τῶν εἰς τέσσαρα dicunt, pro τεσσάρων. Cæterum ſi Id eſt, ad quartum. *quando de tempore ambigit qui ſcribit, hoc pacto ſcribere licebit. Anno circiter nonageſimo ſuprà milleſimũ. Anno plus minus quingẽteſimo. Ad annos circiter nonaginta. Annos fermè nonaginta. Dies qui Calendarũ diem, aut Nonarũ, aut Iduũ proximè antecedit, nõ eſt aliter deſignandus, quàm per aduerbium pridie. Pridie Calendas Ianuarias: is enim*

eſt

eſt ultimus dies menſis Decēbris. Qui proxime con ſequitur, duplici modo notari poteſt: Poſtridie no/nas Iunias: ſiue, Octauo Idus Iunias. Nec abſurdum eſt quòd nonnulli noſtris feſtis indicant dies: Natali Chriſti. Natalicio uirginis matris. Pridie natalis Am broſiani. Ferijs Paſchalibus. Die à natali Ioānis Baptiſtæ tertio. In ſcriptis, ubi cū periculo poßit errari in tempore, profuerit eundem diem, aut annum ua/rijs notis indicare: ut, Anno à Chriſto nato M.D. Alexandri Pontificis decimo. Nonis Aprilis, poſtridie Paſchæ. Etenim ſi ſcriptoris uicio contigerit de/prauari numerum, unum ex alio poterit reſtitui.

DE ORDINE EPISTOLARI.

ORdinem in epiſtolis, uel à natura, uel ab arte lice bit petere, ſed ab arte infrequentius. Nam ſi in actionibus forēſibus, omnis ferè diſpoſitio à cōſilio ſumitur, non præceptis: quanto magis id faciendū in literis, quæ leguntur, nō audiuntur, & legūtur à docto, non à uulgo? Poſtremò, quæ nullū omnino non/nunquam habent ordinem, & ſi habēt maximè, me lius dißimulant, quàm oſtendunt. Quare ſuperſtitio ſe faciunt, qui libertatem illam epiſtolarē certis parti bus alligant, atq; eiuſmodi ſeruituti includūt, cuiuſ/modi ne orationes quidē tenere Fabio placet. In ſim plicibus argumentis eum ſequamur ordinem, quem conſilium nobis dictauerit, non præceptiunculæ. In confuſaneis epiſtolis, in quibus innumerabilium pro pè rerū aceruus congeritur: aut ut quicquid in buc cam uenerit, ita effundemus: aut ordinem aliquem à

Lib. 6. ca. 6. & lib. 7. cap. 10. & li. 4 de narratione.

tempore, loco, perſonis, aut rebus imaginabimur, eum crebris tranſitiunculis breuiter ſignificamus. Quas quidem uel à ſimilibus, uel à diſsimilibus, paribus, imparibus, contrarijs, diſparatis, relatis, fingemus ad hunc modũ: Habes animũ monſtroſum, nunc corpus accipe monſtroſo animo dignum. Mea in illum officia tenes, iam quam ille gratiã retulerit, cognoſce. Sed hæc adhuc puer, iam quæ adoleſcens deſignarit, referam. Verum hæc tibi cum multis cõmunia, illud tuæ propriæ laudis. Sed hoc leue, illud nõ tolerandũ. Sed hæc in ſuis ſordibus eſſe fatetur, ueniamus ad ſplendida. Sic epiſcopatũ eſt aſſequutus, nunc audi quomodo geſſerit. Sic emit magiſtratum, nunc dicã ut epiſcopatũ adminiſtrauerit. Adhuc uetera diximus, illud nouũ & inauditũ. Sed hactenus iocati ſumus, ueniamus ad ſeria. Sed triſtia mittamus, reuertamur ad lætiora. Habes Britãnici itineris tragœdiã, nunc Gallicas accipe comœdias. Vulnus aperui, nunc remedium oſtendam. Sed hoc nihil ad nos, illud uehementer mea refert. Ad primas tuas habes, nunc reliquis reſpõdebo. Minuſculæ tuæ epiſtolæ reſpondi, uenio ad maiorem. Priori tuæ epiſtolæ ſatisfactum, ad alterã accingimur. Quæ hic gerantur audiſti, nunc ad literas tuas ordine. Sed hæc me magnopere delectant, illud male habet. Quid doleã, habes: nunc quid metuam, accipe. Sed hæc ſpes tantũ erat, illud iã tenebamus. Quantã rem ſuſceperis, oſtendi: nunc qua ratione perficias, diſce. Tuis de negocijs habes, noſtræ uerò res ſic habent. Prioribus tuis, opinor, reſpondimus, nunc ad poſteriores accingar. Habes

Tranſitiunculæ unde petendæ.

bes forenſia, nunc domeſticas res accipe. Ruſticanas res habes, nũc urbanas accipe. De tuis habes ad omnia, de meis nunc uiciſsim accipe. Sed iam ſatis diu de Repub. ad domeſtica ueniã. Sed hæc rumore tantum cognouimus, illa uidimus ipſi. Dixi ducem, nunc tibi pacis moderatorem deſcribam. Sed hæc corrigi poſſunt, illud ne leniri quidem ulla arte poteſt. Turpiſsima audiſti, audi turpiora. Quid ingratius? ſed audi etiã ingratiora. Omnibus ferè de rebus habes, illud unum addam. Conſilij mei rationem habes, nũc quid te facere uelim, aperiam. Sed iam nimis multa de externis, de noſtris pauca modò memorabo. De partu, rectè: de diuortio, diſcrucior. De affinitate noua uoluptatem nuncias maximam, ſed de Caſsiano uita defuncto, acerbũ profectò nuncium. Huiuſmodi tranſitiunculis commode excogitatis, tanquã anſulis quibuſdam inter ſe connecti poterunt, quæ natura non cohærebũt: pariterq; fiet, ne tanquam ſcopæ diſſolutæ, turpiter diffluat epiſtola, & legetur libentius, & intelligetur facilius, et hærebit diutius. Quare cõnexionibus breuibus & aptis, crebrius uti conuenit: non in hoc ſolum genere, uerumetiam in ſimplicioribus argumentis, quibus ea quoq;, quæ natura ſunt perpetua, interſeremus, quò legentis animus ſubinde renouetur.

Cõcluſio.

MIXTAE EPISTOLAE EXEMPLVM.

Mixtæ epiſtolæ exempla, quanquam apud Ciceronem plurima ſuppetunt, maximeq; ex ijs, quas ad Atticum, & Qu. Fr. ſcripſit: tamen necubi noſtram

ſtram operam ſtudioſi adoleſcẽtes deſiderent, unum ſubijciemus.

DOMITIVS LVCIO SVO S. D.

SEculũ exiſſe ſcribis, quòd ne litera quidẽ à nobis adfertur: quanquam impudens ὑπερβολή, nam ſeculum iſtud uix dum etiam trimeſtre: tamen ut me ſine culpa incuſari doleo, ita tuo noſtri deſiderio maiorẽ in modum delector. Nos uix demũ poſt Vlyſſeos errores, ad muſas rediuimus, nondũ ſatis etiam placatas. Expoſtulãt adhuc, & queruntur ſibi parum obtemperatum à nobis fuiſſe, qui quidem feliciſſimo literarum ocio relicto, tantis fluctibus memet miecerim. Lucubratiões tuæ nitidiſſimis formulis excuſæ; nuper in uulgus exierunt, bonis, ni fallor, auibus: nã paſſim & à diſtractoribus, & à ſtudioſa iuuẽtute rapiuntur. Neq; deſunt tamen Momi quidã, qui Veneris ſandaliũ calumnientur, ne nihil in abſolutiſſimo opere reprehendãt. Styli nouitatem ſubaccuſant, id eſt, antiquitatem, quod ego tamen ſummam laudem interpretor. Quare tu hæc æquo animo feres, ne tibi Vergilius inuideat, cuius cœleſtis eruditio huiuſmodi Momos non potuit effugere. Nos quoq; dialogum noſtrum incudi redditũ perpoliuimus: is iamdudum in bibliopolarum eſt officinis, æditionis aleam ſubiturus. Cæterùm modò ab Ariſtotele, cuius ſigna à pueris ſequuti ſumus, deſciuimus: eiq; Lyceo, & ambulacris illis, in Platonicam familiam tranſmigrauimus: Et adeò defectionis nõ pœnitet, mi Luci, ut te quoq; ad meam Academiam ſollicitare nõ prius ſim deſiturus;

Vide Donatũ in uita Vergilij.

Alludit ad peripaton.

rus, quàm perſuaſero. Verū de ſcholis aliâs, nūc ad politica. Hic omnia plauſu, lætitiaq; perſtrepunt. Mediolanum receptū, dux à uictore in Galliam deportatus. Galli ſucceſſu uictoriæ ſublati, maiora moliuntur, & iam Italiæ minantur. Nunc ad domeſtica ueniam. Cætera ut uolumus, nepotulus tuus iā menſem febricula affligitur, ſed medicus bene ſperare iubet. A nobis neq; pecuniæ parcitur, neq; ulli rei, quæ ad illius ualetudinem curandā pertineat. Ambroſium, qui tibi debet, iā tuis uerbis ſæpius appellaui, ſed homo planè faciem perfricuit: quare aut nomen cōdo nes cenſeo, aut obtorto collo hominem in ius trahas: Etiamſi uereor, ne oleum & operam omnem luſeris. Elabetur aliqua Protheus: ſed de hoc tute ſtatues. Domeſticæ res ſic habent. Nunc ad tuam epiſtolam. De Britannia adeunda, quid ita mihi in mentem inciderit, demirari te ſcribis: ita credo, quia parum feliciter euenit. Quid facerem? Orabat is, cui negare fas nō erat, & per æſtiuos menſes in Gallia deſidendum erat. Putabam eſſe aliquid, eadem opera & amiciſſimo homini gratificari, & inſulam multorum literis nobilem uiſere. Poſtremò, fatebor enim, nonnihil etiam nominis atq; emolumenti ſpes ſollicitabat. Conſilium habes noſtrum, nunc euentum accipe. Ad reditum uſq; ſecunda omnia.

Nunciatoria. Aeneid.

Facilis deſcenſus Auerni.
Sed reuocare gradū, ſuperaſq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Prius, quàm nauim cōſcenderemus, in littore omnis

mea

mea pecuniola naufragium fecit. Ceterũ placidiſſi/ma nauigatione Geſſoriacum appulimus. Hic denuò portitor omnes crumenæ angulos rimatur, ac Do/uarienſem portitorem deuouet, qui ſibi prædã præri puerit. O ſceleſtum inquies litus: Imo amicum & ſa-lutare. Nam niſi me nudum Britannia remiſiſſet, a/ctum de nobis fuerat. Siquidẽ in Gallia in latronum ſicas incidi, à quibus ſola me nuditas ſeruauit. Nam aduerſus hoc hoſtium genus nullis armis melius de-fendimur, quàm inopia. Lutetiam deniq; reuerſum febris æſtuantiſſima excepit, quæ loculos pariter & corpus exhauſit. Habes non mali conſilij peſſimum exitum. Quòd mihi de noui honoris acceſſione tam ex animo gratularis, morem tu quidem antiquum tuum obtines, ut amiculi commodis propè uehemen tius, quàm tuis ipſius gaudeas. De Caſſij morte næ tu mihi luctum acerbum annuncias. Quod Vari nebu/lonis improbiſſimi impudentiam fregiſti, ô quàm fa ctũ bene. Sed quid agis? Petroniumne gladiatorio animo ad te uiã affectare, & tibi tam odioſum nego cium faceſſere? An hoc quoq; portentum tuæ uirtu/ti fata deſtinarunt? Quod Antonius de nobis aman tiſſime & loquitur et ſentit, noui nihil nũcias. Quod librũ tam impendio carpit Zoilus, incredibile quàm mihi placeam, ut illi me intelligo magnopere diſpli/cere. Fratres è turpi ſimultate, te autore in gratiam rediſſe, ſerio gaudeo. Dabis operam, ne quãdo quod ſartum eſt, reſcindatur. Nepotem tuum tam ſolicitè mihi toties abs te commẽdari, ſubiracundè fero. Ig-

Lamentatio. Gratia. Moniteria. Officioſa.

noſces, non tibi concedo, ut ille tibi magis curæ ſit
Gratulatio. quàm mihi, etiāſi eum amas plurimum. Quòd hære
ditaria pecunia es auctus, neq; me uis tibi gratulari,
neq; gratulandū puto. Quis enim non uel Crœſi di
uitijs illiuſmodi hominis cōſuetudinem antepoſuerit?
Sororem tuam filiolo auctā, te nepotulo, uolupe eſt.
Deprecatio. Eam rem, ſpero, ſuperi bene fortunabunt. Generum
tibi uoluptati eſſe gaudeo. Ah in filium nimiū ſæuis.
Memineris facito, illum & hominē eſſe, et puerum,
teq; idem quod ille eſt, fuiſſe. An illum uis repētè na
ſci ſenem? Age, mitte hanc noxam, me precatore,
meoq; periculo. Ad me recipio, illum poſthac emen
Iocoſa. datiorem fore. Sed ô deum inmortalem, quantos ri-
ſus tu mihi nuncias? Itá ne Sabellius bibit, & fugit?
Monitoria. Multū æris reliquit, ſed alieni. Tandē fatearis opor
tet, me uatem eſſe optimum. Quāto ante fugā iſtam
proſpexi, & præcinui? Conſiliū tuū de nauigando
neutiquam probo. Terrent me hyberni menſes, ſinus
naufragijs infamis, tua ualetudo nondum etiam con
Diſſuaſoria. firmata. Sed de hoc ipſe uideris, me certe autore non
facies. De puero amandando, ſanús ne es? Certe diſ-
fer in reditum meum. Quod de filiæ nuptijs cogitas,
ego tuæ ſententiæ uehementer ſubſcribo. Habes ad
omnem epiſtolam tuam. Sed heus tu, illud unum me
Domeſtica. fugerat, fundus tuus ſi eſt uti deſcribis, ſupra modū
me delectat: tum ædificiū, euge quàm ſcite abs te co-
gitatum. Iam iſtuc geſtio reuolare, ut in Academio-
la noſtra, ab omni urbano ſtrepitu ſemoti pariter
philoſophemur, certemuſq;, utrum ego te ad Acade

mico-

micorum partes abducã, an tu me per fugam in Peri pateticorum familiam reuoces. Hæc meditare dum accurro. De ædificio te, quanquam architectum tantum, tamen hoc unum admonebo, ut cœnaculum ſpeciofis, frequẽtibusq; luminibus illuſtre fiat. In hortis platanus ſit patulis diffuſa ramis, & propè fonticulus aqua frigida ſubſcatens, ut Muſas quoq; ſi quando uidebitur, poßimus arceſſere. Reſpondimus tuis, nunc quid hîc agatur accipe. Nos certe hic in grauißimo æſtu, tamen frigemus. Pontifex meus montes quidem ille aureos promittit, ſed promittit tantùm, mittit nihil. Cæterũ ſpe Craßi diuitias uincimus. Vt ut res cadent, nos certe utemur foro. Tu mi N. toto pectore, id quod per te facis, in nominis immortalitatem incumbe. Iam orbis propè uniuerſus ingenij tui expectatione ſuſpenſus, neſcio quid cœleſte ſibi de tua uirtute promittit. Et eum in locum res adducta eſt, ut deſiſtere turpißimũ fuerit. Nos hîc gloriæ tuæ propagãdæ magno ardemus ſtudio. Nepotulos meos ideo tibi non cõmendo, quoniam commendatißimos eſſe ſcio. Scripſeram hæc multa quidem nocte, poſtridie daturus: & ecce tibi ante lucem, de repente Lucilius adeſt: uixq; reſalutatum ecquid abs te literarum apportet, rogo. Negabat quicquã eſſe ſcriptorum, ſed multum omnino rerum nouarũ tuis uerbis nunciauit. Primum nauigandi te mutaſſe conſilium, id quod ego utriuſq; nomine uehementer gaudeo. Caminij fucatam beneuolentiam in apertam ſimultatem tandem erupiſſe, adeo moleſtè non fero, ut

Tranſitio.

Exhortatio.

Commendatitia.

Tranſitio.

etiam gratuler tibi. Nam perſonatus amicus damnũ dare poterat: apertus hoſtis, quid tandem eſt quod poßit nocere? Quòd pro noſtra exiſtimatione tantã cum inuidentißimis hominibus dimicationem ſuſcepiſti, non ego tibi tanquam pro nouo officio gratias agam, cùm id facere nunquam deſinas. Quòd de adiungẽda Demetrij affinitate nos conſulis, quanquã ipſe conſilio abundas, tamen in reditum noſtrũ rem proferas cenſeo. Coràm agere præſtabit. Plura tecũ garrire libebat, quid enim faciam libentius? Sed iam dudum accinctus tabellio literas efflagitat. Quare ualebis ipſe, noſtrosq́; omnes ualere meis uerbis iubebis. Datum Aureliæ Nonis Decemb.

Gratiarum actio.

Monitoria.

EPISTOLARVM GENERA.

HViuſmodi literarum genere ex uarijs rebus conſarcinato, familiares inuicem perſæpe utuntur. Nũc ſimpliciũ genera proponemus. In præſentia, ne conſilij quidem eſt, omnes epiſtolarũ formas recenſere: id quod nõ minus infiniti negocij puto, quàm Libycas harenas pernumerare. Nã quod M.T. ad Curionẽ tria epiſtolarũ genera facit, non id agebat, ut ſingulas literarũ ſpecies diſtingueret, ſed ut propoſitæ cõplexioni ſeruiret. Ea uerò diuiſio, quæ nõ ex argumenti uarietate, ſed ex characteris cõditione ducitur, parũ mihi uidetur ad docẽdũ appoſita. Quòd ſi quis ex argumentorum differentia formas cõmetiatur, cùm illorum infinita ſit uarietas, quis erit formarum modus? Quid enim eſt in rerũ genere, quod literis nõ cõmittatur? In his gaudemus, dolemus, ſperamus,

In eos qui tria tantum epiſtolarum genera eſſe cõtendũt.

Li.2.epi.3.

ramus,metuimus. In his ſtomachamur, expoſtula-mus,blandimur,querimur,iurgamur,bellũ denunciamus,in gratiã redimus,cõſolamur,cõſulimus, deterremus,minamur,excitamus,cõpeſcimus,narramus, deſcribimus,laudamus,uituperamus. In his odimus, amamus,miramur,deliberamus,paſcimur, conuiuamur,nugamur,ſomniamus deniq;,ecquid tandẽ nõ? His tanquam certiſsimis miniſtris,omnes animi affectus,his publica, his priuata, his domeſtica credimus. Quare in re per ſe infinita eam moderationem adhibebimus, ut neq; ſumma tantum genera ponamus,neq; minutiſsimas quaſq; partes fruſtulatim cõciſas perſequamur: ne aut nimia paucitas ſtudioſis non multũ adferat adiumenti, aut immodica diligentia id demum, quod ait Fabius,aſſequamur,ut cũ nimis multa, nec dum tamen omnia uideamur dixiſſe. Li.5.ca.10.

TRES OMNIVM GENERVM ſontes.

R*Hetorum pleriſq; tria cauſarum genera placuerunt:ſuaſorium,encomiaſticon,& iudiciale. Ad hæc tanquam ad fontes pleræq; literarum formæ referuntur,ut ſuaſorio has ferè partes ſubijcias:Conciliationem,reconciliationem,exhortationem, dehortationem,ſuaſionẽ,diſſuaſionem, cõſolationem, petitionem,commẽdationem,monitionem, amatoriam. In demõſtratiuo genere uerſantur deſcriptiones perſonarum,regionum,prædiorum,arcium,fontiũ, hortorum,montium, monſtrorũ,tempeſtatũ,itinerum, conuiuiorum,ædificiorum,pomparum. Ad iudiciale* Cic.2. de Orat. & Quintil.li. 3.ca.4.

genus hæc ferè referuntur: Accuſatio, querela, defenſio, expoſtulatio, expurgatio, exprobratio, comminatio, inuectiua, deprecatio. His tribus quartum genus accerſere licebit, quod ſi placet, familiare nominemus. Eius eiuſmodi fermè ſpecies eſſe poſſunt: Narratoria, qua rem apud nos geſtam longè poſitis exponimus. Nunciatoria, qua nouarum rerum quippiam annunciamus, ſiue de publicis, ſiue priuatis, ſiue etiam domeſticis. Gratulatoria, qua amicorum felicitatē nobis iucundā eſſe teſtamur. Lamētatoria, qua uel noſtra, uel neceſſariorū incōmoda deploramus. Mādatoria, qua negotij quippiā alij noſtro nomine gerēdum committimus. Eſt, quæ gratiarum habet actionem, qua nobis gratū fuiſſe benemerentis officium declaramus. Collaudatoria, qua puerū, aut qui in noſtro ſit imperio, officio functum laudamus. Officioſa, ſic enim uiſum eſt appellare, qua operam ac ſtudiū ultro pollicemur amico. Iocoſa, qua cuiuſpiam animū feſtiua urbanitate delectamus. Verùm de his prudēs ſuperſedebo, propterea quòd ut incantatores certas quaſdā preculas, ita iſti formulas quaſdam præſcriptas habent, ut ne apicē quidē ſine ſummo rerū humanarū diuinarūq; diſcrimine putent demutari poſſe. Nos eorū conatus, noſtris præceptionibus adiutamus, qui ad optimū ſcribendi genus adnituntur: nō qui uel arrogātiſsima ſuperſtitione, quod ſemel arripuerūt, id pro optimo defendūt: uel ad ſordidiſsimum lucellum toto pectore inhiantes, pro optimis peſsima ſequi malunt. Quid enim ijs præcipias,

Notat formularios.

qui/

quibus ea demum epiſtola optima eſt, quæ quæſtuoſiſsima? His diſputatoriam, ſciſcitatoriã, doctrinalemq́; adijcias licebit: in quibus & theologicæ, & ethicæ contineri poſſunt. Neque uerò me præterit, apud Græcos eſſe, qui epiſtolarum genera diuidant hunc in modum, ut φιλικὴ dicatur, qua amicus ſcribit amico. συστατικὴ, qua quenpiam alteri commendamus. μεμπτικὴ, qua deſideramus in aliquo officiũ. ὀνειδιστικὴ, qua cuipiam exprobramus ingratitudinem. παραμυθητικὴ, qua conſolamur afflictos in rebus aduerſis. ἐπιτιμητικὴ, qua increpamus aliquem lapſum. νουθετικὴ, qua libere admonemus, quid ſit agendum, quid non. ἀπειλητικὴ, qua cominamur alicui, ac metum inijcimus. ψεκτικὴ, qua morum improbitatem alicui exprobramus. ἐπαινετικὴ, qua collaudamus aliquem officio functum. συμβουλευτικὴ, qua cõſulimus, quid nobis uideatur optimum factu. ἀξιωματικὴ, qua deprecatores intercedimus pro aliquo, qui deliquit. ἐρωτηματικὴ, qua ſciſcitamur, aut percontamur ab aliquo, quod ſcire cupimus. ἀποφαντικὴ, qua percontanti reſpondemus. ἀλληγορικὴ, qua tectis uerbis ſignificamus cuipiam, quod ab eo ſolo, cui ſcribimus, uolumus intelligi. αἰτιολογικὴ, qua reddimus cauſas, cur aliquid aut factum non eſt, aut non eſt futurum. κατηγορικὴ, qua quẽpiã incuſamus. ἀπολογητικὴ, qua nos purgamus. εὐχαριστικὴ, qua gratulamur amico ſuã felicitatem, ἐρωτικὴ, quũ diuerſa ſcribimus, ac ſentimus. ἀντευχαριστικὴ, qua gratias agimus pro officio in nos collato. Has epiſtolarum formas tantũ recenſent,

Hæc ex principio uoluminis 1. epiſtolarũ Græcarum.

ſent,& exemplum qualecunq; ſubijciunt, nec indi/
cant qua ratione genus unumquodque tractandum
ſit. Quod ſi maxime facerent, tamen ipſa generum
diſtributio nõ uidetur ab ulla ratione profecta. Nam
quod appellant φιλικὸν, non ab argumẽto ſumptum
eſt, ſed à perſona. Alioqui quos familiariter ama/
mus, hos admonemus, obiurgamus, exhortamur,
cum his iocamur, aut expoſtulamus. Extat & Phi/
loſtrati præfatio, de charactere epiſtolæ admonens
nos, quòd epiſtolam non oporteat nec Atticam eſſe
plus ſatis, nec omnino carere Atticiſmo: quod hoc
ipſo figurata ſit, quod figurata nõ eſt: quod tametſi
ciuilis ſit, tamen non abhorreat à multitudine: quod
in breuioribus epiſtolis liceat circulum abſoluere,
in prolixioribus nõ item, niſi uel in calce, uel in epi
logo, uel in epiphonemate: quòd perſpicuitas præci
puè congruat epiſtolæ. Hæc ut ſunt ab illo feſtiuiter
Græcè ſcripta, ita non uideo, quid adiuuent adole/
ſcentes ad recte ſcribendum. Nos igitur iuuentutis
induſtriæ cõſulere pro uirili cupientes, diuerſam ge/
nerum diſtributionem ſequi maluimus. Sed ecce pro
perãtem aliò me uelut è curſu reuocat, auremq; uel
licat ſecretariorum chorus, qui principibus ſunt ab
Id eſt, ut Megarẽſium nulla ratio. epiſtolis. Ita'ne noſtri, inquiunt, ὥσπερ τῶν μεγαρέων
οὐδεὶς λόγος. Verum his difficile ſit aliquid præſcri/
bere, quorum calamus liber non eſt. Sed quemadmo
dum præcipit Martialis, ut coquus habeat gulã do/
mini, itidem iſti coguntur affectui principum ſerui/
re, quos illud tantum obiter admonebo, ut ubiq; do/
ctam

etiam ſermonis facilitatem ac perſpicuitatem ſectentur, ac decori cum primis meminerint. Id metiendum erit, non ab ipſorum animo, ſed ab eorum fortuna moribusq́;, quorum nomine ſcribũt. Hactenus igitur epiſtolarum genera quatuor propoſuimus, & ſuas cuiq; generi formas ſubiecimus: nunc ordine de unaquaq; ſpecie praecipiemus.

QVID INTER EXHORTATIO-
nem & ſuaſionem.

AC primum finitimæ admodum inter ſe ſunt, exhortatio, & ſuaſio, quas nos tamen dicendi gratia ſeparauimus: idq́; fecimus neq; ſine exẽplo, neq; citra iudicium: propterea quod & ueterum nõnulli in arte dicendi, exhortatorium genus à deliberatiuo diſiunxiſſent, & ipſi nonnihil diſcriminis perſpiceremus. Siquidem nec eodẽ tendit utrunq́;, neq; uia diſsimili. Nã ſuadendo id agitur, ut uelis: exhortãdo, ut audeas. Suaſio probationibus docet, exhortatio ſtimulis excitat. Suaſor ſententiã mutat, exhortator animum addit. Suademus aut errantibus, aut certe hæſitantibus: exhortamur ceſſantes, aut etiam iam currentes. Quare ſi rem ad uiuum excutiamus, exhortatio ſuaſoriæ epiſtolæ pars erit, nẽpe epilogus, qui affectibus conſtat, non argumentis. Neque enim ſuadenti ſat erit, quid ſit optimum factu docuiſſe, niſi & ſtimulos ſubijciat, ne uel difficultate, uel periculo deterriti, uel ignauia retardati, quod optimum eſſe uiderimus, non ſequamur. Sed ut in ſuaſionem ferè ſemper incidit exhortatio: ita in hac nõ raro cõtinget

Vide an recti us docẽdi gratia legi poſſit.

get

get uti ſuaſione. Eſt autem utrunq; officioſum literarum genus, cuiusq; uſus maximis minimisq; in rebus quàm latiſſime pateat. Atq; hoc maiore cura diligentiaq; nobis erit pertractandum.

DE EXORDIO EPISTOLARVM.

Imitatus eſt Fab. lib. 7. cap. ult. Sed illud unũ prius in genere ſtudioſis adoleſcentibus præcipiemus, ut epiſtolam ſcripturi, nõ ſtatim præcepta reſpiciant: aut ad libros, unde uoculas ſententiolasúe aliquot mutuentur, confugiant: ſed prius res, de quibus ſcribere conſtituerint, ſolertiſſima cogitatione diſpiciant: tũ eius, ad quẽ ſcribitur, naturã, mores, affectusq; omnes perſpectos habeãt: quantum etiam ipſi apud eum uel gratia, uel autoritate, uel meritis deniq; ualeant. Eaq; his omnibus diligenter penſiculatis, epiſtolæ tanquam uiuũ exemplar ducant. Quo conſtituto, tum demũ nihil equidẽ morabor, quo minus locos aliquot ex authoribus petant, unde tum uerborũ optimorũ, tnm ſententiarum copioſam ſupellectilẽ poſſint mutuari. Eaq; omnia oportebit cõmodè demutata, ad rem præſentem accommodare: ne ueluti male aſſuta, maleq; conferruminata, hoc ipſo furtiua deprehendantur, quod peſſime cohærẽt. Quin Maronis ingenium potius imitemur in alienis adipiſcendis, ut nõ aliunde corrogata, ſed domi noſtræ nata uideantur. Vide Macrob. lib. 5. Sat. cap. 1. 2. & 3.

De exordienda epiſtola, illud etiam in uniuerſum trademus, hoc in genere principij rationem eſſe minus difficilẽ, quàm in orationibus; propterea, quod illic ſæpè fit, ut orator iudicis animum & mores penitus Vide Fab. li. 4. ca. 1.

nitus pernoſſe non potuerit: & quoties apud cõplu res cognitores agitur, hoc etiã accedit difficultatis, ut quo alius conciliatur, eo propter diuerſum ingeniũ alienetur alius. Et qui unicuipiã epiſtolam mittit, nõ difficulter poterit exploratum habere, quibus ille rebus ſoleat cõmoueri: quod etiam ſi nulla interceſſit familiaritas, id quod ferè fit, tamẽ diligenti percõtatione licebit perueſtigare. Quare præter ea, quæ de colligenda beneuolentia, attentione, docilitate, quæq; de animorum motibus rhetorũ literis præcipiuntur, & proprij cuiuſq; mores, uel conuictu familiari, uel curioſa diligentia percepti, peculiarẽ quandam exordiendi materiam miniſtrabũt. Porrò, ſi ad parum notum ſcribetur, hoc commodior erit oratoris, quàm ſcriptoris conditio: quod illi obſeruatis iudicum uultibus, mutare quædam ex tempore: & ſi quid aliorſum quàm expectarat, rapi uiderit, corrigere dicẽdo: aut ſi præſenſerit, declinare liceat: quũ epiſtola ſemel reddita, neq; fronti legentis poſſit obſecundare: & is, qui læditur ſcriptura, ſoleat relegẽdo dolorem ſuum exaſperare, cui periculo cõueniet exactiſſima cura occurrere. At quũ inter ſe norunt, non eſt difficilis principij cõſtituendi uia, maximeq; præterea uaria. Nam in actionibus multis modis delinquitur in exordiendo: ſi nimium longo, ſi uulgato, ſi communi, ſi translato, ſi altius petito proœmio quis utatur. At ea literarum eſt libertas, ut undelibet initium ſumere liceat: modò id ſit eiuſmodi, quod illum ad id, quod paras, præparet. Veluti ſi quis pecu

Lege Fab. libro 4. ca. 1. et Cic. de Inuẽt. unde hęc ſumpta.

Frons index animi.

De uitioſis exordijs lege Cic. li. 1. de Inuentione.

niam

niam mutuam rogaturus,ſtatim in epiſtolæ initio de quopiam nunciet, quod ille ob amorē nominis eius, ſingularem ſimultatem aut odium amarum cupidiſſime ſit accepturus:uel ſi quis amico, quem nō ignoret accurate ſcriptis literis impenſe delectari,fabellam aliquam quàm lepidißimis uerbis fucatā recenſeat:deinde inter alia quædam ita de mutuando ſermonem interijciat,ut quouis potius,quàm huc ſuperiora illa ſpectaſſe uideātur:nónne alienißimum initium fecerit,in oratione non ferendū,in epiſtola ſcitißimum? Vbi illa etiam ſimulatio plurimum obtinet gratiæ,quando nos aliò,quàm deſtinauerimus, delabi:aut longius amore rapi fingimus,quàm initio cōſtituiſſemus. Erit aliquoties, à re media,aut omnino præpoſtere ingrediendū, modò ita ſimulemus,nō etiā obliti noſtri fluctuemus,eamq; ipſam erroris adumbrationē ſcito colore,ad rei cōmoditatem torquebimus. Idq; incredibili quadā amoris magnitudine dicemus accidere,qui neq; modū nouerit,neq; ordinem. Calamū ab affectu duci,nos ibi denuò incipere, ubi deſinendū erat:propterea quod dū ſcribimus, coràm cū charißimis hominib. ſermonē nobis ſerere uideamur. Quare obliquo illo procemij genere,quod Græci ἔφοδον,Latini inſinuationē dixere,in actionibus non niſi tribus demum temporibus utendum putant:quū aut negocij turpitudo iudicē à nobis uehementer abalienauit:aut qui antè dixit,admodū perſuaſit:aut oratiōe nimis lōga, auditoris animū defatigauit. At in epiſtola,quoties uidebitur,obliquè ingredi

Vide Quintilianum lib. 7. cap. ult.

gredi

gredi licebit, & quālibet longè repetere, & quamli bet alienū aſſumere principiū, dum quacunq; uia ta men ad rem cōferat. Neq; hoc, ut in dictionibus, ita & in literis uitioſe uidebitur fieri, eo quòd illic audi tor unum quiddā expectat, ad quod dū feſtinat, faſti- diat neceſſe eſt, quicquid aliò ducere uideatur. At in epiſtola, quia cōtrà fit, id, quod per diſsimulationem aſſumitur, non ingreſſus uitioſus, ſed ſeparata quædā epiſtolæ pars uidebitur. Rectum uerò exordium, his omnino rationibus conſtituitur, quas in iudiciali ge nere tradiderunt ij, qui de arte conſcripſerunt. Sed oportebat eadem præcepta, quæ illi rectè ad forenſes cauſſas accommodarunt, ad proprietatem epiſtola- rum deflectere. Alioqui quid tandē erat, uel fructus, uel negocij, quæ fuiſſent à ueterum permultis accu- ratiſsime optimeq; perſcripta, denuò uel eadem uel deterius ſcribere: id quod ab omnibus, qui de hoc ge nere tractauerunt, factum uideo. Repetunt è Cicero ne, quomodo exordiendum: quot narrationum gene ra: quomodo partitione conſtituenda controuerſia: quemadmodum narratione aperienda cauſa: quibus argumentis uel communiēda noſtra, uel aduerſario rum coarguenda: quot epilogorum ſpecies: deinde quid in compoſitione fugiendum, aut ſequendum: de ſermonis elegantia, de luminibus. Sed deum immor talem, quid hæc proprie ad epiſtolam? Aut ſi maxi- me iſta diſcenda ſunt, ita uti ſunt, quanto rectius à Ci cerone petētur, aut Fabio, eloquētiæ fontibus, quàm è corruptis iſtorum lacunulis? Vt omittam interim

De recto exordio quo in rebus honeſtis utimur.

quædam

quædam etiam illic præcipi, quæ ad epiſtolam pertinere ne poßint quidem: puta de perſona litigatoris & oratoris: de circunſtantium perſona: de ſubijcienda re pro homine: de homine pro re ſubmittendo: de conſtituenda quæſtione. Niſi forte quædam ex his in criminatoriam epiſtolam incidere uidebuntur, ſed etiam ſi incidunt eadem, tamen incidunt aliter. Ergo ſi quando res hortabitur, ut eius ad quem ſcribimus, beneuolentiam, aut concilicmus, ſi dubius ſit animus: aut redimamus, ſi læſus: aut augeamus, ſi res erit durior: aut excitemus, propter diutius intermiſſam neceßitudinis conſuetudinem. A perſonis his ferè modis fauorem captabimus, ſi noſtris parentibus cum illius maioribus, arctißimam charitatem, copulatißimam cõſuetudinem interceßiſſe dicemus, plurima utrinq; extitiſſe officia: & ſi eam beneuolentiam nobis tanquam per manus & hæreditaria ſucceßione traditã, nunquàm neglectui fuiſſe dicemus. Verùm amorem, quem ueluti cum nutricis lacte imbibiſſemus, unà cum ipſis annis accreuiſſe, & primùm quidẽ fatalem potius fuiſſe, quàm iudicio conſtitutum: nunc cõſuetudine, officijs plurimis ſic eſſe confirmatum, ut nullo prorſus caſu conuelli poßit.

Quomodo captanda beneuolentia à perſonis.

Alia ratio. *Præterea quanta ſemper patris illius, aut patrui, aut matris fuerit in nos charitas, aut noſtrorũ in illum, & quàm nos illos inuicem ſtudioſe, quàm obſeruanter coluerimus, aut ille noſtros. Quod ſi auitam, paternamq; amicitiam, quia nulla fuerit, commemorare non licebit, dicemus eos ſolere maiorum ſuorum ne-*

ne-

neceßitudines repetere, qui ipſi nullis amicitiæ uin/culis eſſent coniuncti: quemadmodũ auita facinora narrant, qui nihil ipſi memorabile geſſerint. Hanc neceßitudinem nõ tanquam hæreditaria ſorte teme/re obueniſſe, ſed à nobis ipſis & natam, & educa/tam, initio quidem ingeniorum ſtudiorumq; ſimilitu dine pueriles animos mira charitate conciliante: de inde conuictu coniunctißimo, mutuis officijs: poſtre mò mutua uirtutũ utriuſq; admiratiõe ſic coaluiſſe, adoleuiſſe, maturuiſſe, ut iam nihil accedere poſſe ui deatur, uel ad beneficiorũ cumulum, uel ad amorũ magnitudinẽ. Tum nominatim quo in loco, & quẽ/admodum, quibus cõmunibus ſtudijs pueritiam, aut etiam ephebiã tranſegerimus, quas uoluptates, quæ incommoda, quæ pericula communiter tulerimus. Hæc omnia iucunda cõmemoratione refricabimus. Solemus enim grandes eiuſmodi rerum mutua recor datione mire delectari: & conſueuit plerunq; ex his inter pueros inita beneuolentia, in ſeram uſq; ſene/ctam, multa cũ uoluptate perſeuerare. Porrò ſi quã propinquitas, ſi qua affinitas intercedet, ſic naturã coniunctißimos fuiſſe dicemus, ut longè tamen mu/tua charitate coniunctiores. Sin nulla erit, affirmabi mus nulla eſſe cognationis uincula, quæ noſtros ani mos arctius, aut iucundius, aut etiã tenacius alligẽt, quàm neceßitudinis: ſine his cognationẽ aut affini/tatem moleſtã quoq; haberi: ubi hæc adſunt, illa non magnopere requiri. Nullũ eſſe præſtãtius firmiusq; neceßitudinis genus, quàm quod à uirtute, pulcherri

A ſimilitudi/ne ſtudiorum.

Ab amore ex admiratione uirtutis natã

h *misq;*

miſq́; ſtudijs cœperit initiū. Affinitatis copulam di‑uortio dirimi, cognatorum charitatem ſimultate re‑ſcindi: beneficijs conflatam beneuolentiam, alteru‑trius ingratitudine in odium uerti ſolere: tum contra‑ctum amorem temere euaneſcere: eam demum copu‑lam, quam uirtutis admiratio coniunxit, quemadmo‑dum uirtutem ipſam, immortalem eſſe. Proderit & illius in nos merita, cum gratitudinis ſignificatione uehementer exaggerare: noſtra uiciſsim in illū, mul‑ta cum uerecundia ac figuratè ſignificare. Qui no‑ſtri de illo ſermones, quàm penitus infixa memoria: quantopere illius literis delectemur: ut illius commo‑dis gloriaq́; magis etiā ex animo gaudeamus, quàm noſtrapte: quodq́; incommoda illius non paulò acer‑bius quàm propria feramus: quantam pro illius di‑gnitate, fortunaq́;, curam, ſtudiumq́; præſtiterimus: quàm acrem contra maleuolentium improbitatem, dimicationem ſuſtineamus. Poſtremò, uel eruditio‑nem, uel uirtutem quanpiam in eo laudemus: noſtra ſi qua erunt laude digna, uerecunde commemore‑mus. A miſeratione beneuolentiā captabimus, ſi no‑ſtram fortunam, aut eorum quos commendamus, fle‑biliter exponemus. Ab aduerſariorum perſona fauo‑rem aucupabimur, ſi quas minas, ſi qua conuitia, ſi quam contumeliam illius cauſa nos pertuliſſe narra‑bimus, ab ijs qui & ipſum & eius nomine nos quoq; habent inuiſos. Contra quid nos in illos, aut fortiter contumelioſeúe dixerimus, aut inimice fecerimus. Sed hæc ſuis in locis. A re præparatiores reddemus, ſi

Ab illius meritis.

A noſtris in commodis.

Ab officio.

Ab erudi tione.

A miſera tione.

Ab aduer ſario.

A re.

ſi negabimus ulla ex parte ad nos pertinere quo de ſcripturi ſimus, ad illum magnopere: nobis illic neq; ſeri, neq; meti, niſi quod amici chariſsimi commodis haud ſecus atq; noſtris cõmouemur: ſi præterea negocij magnitudine, periculo, nouitate, antiquitate, utilitate, iucunditate, neceſsitate, aut huiuſmodi quapiam cõmendatione excitabimus. Si iubemus animo minimè obſcitãti legere, propterea quod longe plus momenti ſit in re, quàm præ ſe ferat. Si quantopere cum nobis, tum ijs quos illum plurimi facere cognouimus, curæ ſit, quantiq; referat, aperiemus. Quod ſi res ipſa durior eſſe uidebitur, blandimentis prælenie mus, prudentiã illius obteſtabimur, ut quæ nos optimo amãtiſsimoq; ſtudio dicturi ſumus, ea pro ſua ue tere manſuetudine, in optimã partem accipiat. Rem eiuſmodi negabimus eſſe, cuiuſmodi primo ſtatim oc curſu uideatur, tum ſi maxime dura ſit, tamen admonebimus quantulum amaritudinis, ſumma utilitate cõpẽſet. Sed hæc quoniã neq; proprie exordij ſunt, neq; in genere commode præcipi poſſunt, in ſuum quæq; locũ transferemus. Neq; omnino eam exordiendi formã improbauerim, quã uideo neotericis ſcriptorib. nimio plus placuiſſe, ut à peruetuſta quapiã ſententia factóue memorabili in epiſtolam ingrediamur. Quod genus ſit: Scio nõ temere ſcriptũ eſſe à Flacco: Quem cui cõmendes, etiam atq; etiã aſpice, ne mox Incutiant aliena tibi peccata pudorem. Nec ignoro iudicium tuũ exactum, quod non temere cuiuis probatur. Sed tamen tot modis exploratũ habeo

Exordium communi ſententia.

Lib. 1. epiſt.

huius iuuenis ingenium, ut illum nõ dubitem tibi uel meo periculo commendare. Item Hercules olim aduerſus hydram Lernæam & cancrum cõgreſſurus, coactus eſt alienam opem implorare, qui ſolet opitulari cæteris. Ego unus cum tot monſtris dimicans, iiſq; ſubinde nouis exorientibus, quid faciam?

A facto memorabili.

ABRVPTVM EPISTOLAE initium.

Satyrica illa, & ueluti ex abrupto principij ſpecies, in iocoſis & familiaribus mire decet, qualis eſt illa Ciceronis: Ita'ne præter litigatores iſtos nemo ad te uenit? &, Deum immortalem, quid ego audio? Sic eſt, inquam, uti ſcribis. Siccine igitur ueterẽ amiculum negligis? Ergo mutabimus ſententiam, quando tu quidem hoc tantopere cenſes. Quin ego igitur tibi gratulor? Quin tu igitur huc reuolas? Sic iſthæc, ut ſcribis, res habet. Hui, quis te tam eſſe uirũ credidiſſet? Eho, quid ais obſecro? Ringitur Zoilus? Næ tu mihi album apportas nuncium. Huiuſmodi figuris id aſſequimur, ut non mutam epiſtolam epiſtolæ, ſed uiuo ſermoni uiuum item ſermonẽ referre uideamur. Et quoniã utrinq; miſſæ acceptæq; literæ, mutuum alloquium imaginantur, pulcherrimum fuerit, quam rem repræſentant, eam quam appoſitiſsimẽ adumbrare. Porrò ſolennes illas commendationes, quas iam ex more præſumũt, aut prorſus omittẽdas, aut in epiſtolæ calcem cenſeo traducendas. Quanquã ubiuis etiã imperite uidetur fieri, ut noſmetipſos cuiquam commẽdemus, ſed offerimus magis, ac dedica-

Libro 12. ad Cornificium.

dicamus operam noſtram. Alios commendamus,id eſt,laudamus,ut beneficio digni uideantur.

DE EXHORTATORIA EPISTOLA.

QVoniam exhortatorium genus, quod Græci παραινετικὸν *uocãt,affectibus fere cõſtat, quos* Affectus. *iuxta ſapientũ multorum ſententiam, natura nobis, tanquam ſtimulos quoſdam ad uirtutem perfectã ac pædagogos addidit,animaduerſum nobis penituſq; perſpectum eſſe debet,quæ ſit humani animi natura, quæ uarietas ingeniorum, quem quæq; res affectum pariat: quibus quiſq; rebus maxime ducatur: à quibus abhorreat. Qua quidem in parte proprie facultas oratoria dominatur. Sed hæc è rhetorum præceptionibus haurienda. Nos tantum breuiter attingemus, quantum ad huius generis epiſtolam conficiendam ſatis eſſe putabimus. Ergo ex his potiſſimum locis extimulandi animi rationes petemus. A laude,* Loci. *ſpe,metu,odio,amore,miſeratione, æmulatione,expectatione,exemplis,obſecratione.*

A LAVDE.

A Laude bifariã exhortabimur, ut tum rem ipſam laudemus,tum hominem. Re laudanda excitabimus,ſi piam,ſi magnificam,ſi glorioſam,ſi raram,ſi nouam,ſi arduam,ſi hactenus intentatam dicemus. Quanquam hanc partem in ſuadendo diligẽtius tractamus. Perſonæ collaudatio in exhortãdo plurimũ habet uſus. Nam & honos unicè uirtutem excitat, alitq;. Et ita mortalium animos natura finxit, ut uix quiſquam adeo demiſſo ſit pectore, quin laudibus eri

gatur. Quare ſtudioſe cohortationis monita multa cum laude miſcebimus, id quod Cicero et factitat, & factum à ſe refert, ut exhortãdi artificium quoddam indicare uoluiſſe uideatur. Ergo *ab hac parte cõmouebimus, ſi ante ab eo bene geſta artificioſa laude dilatabimus: idq́; tum à modo, tum à loco, à tempore, tum à perſona, à difficultate rei: per collationẽ, per fictionem, alijſq́; amplificandi modis, de quibus ſuo loco nonnihil attingemus: propterea quod cum pleriſque in generibus plurimum ualent, tum ad hoc proprie præcipueq́; pertinent. Si quæ pulcherrimẽ adhuc perfecit, ab omnibus in cœlũ tolli dicemus: ut quæ feliciter & ſtrenue cœpta, pari aut maiori etiã animi magnitudine pergat, hortabimur: nihil illius immortalitati præter extremam manum deeſſe: eam imponere nõ tam eſſe arduũ, & negocioſum, quàm ad tuendam quæ iam uirtute parta ſit gloriã, neceſſarium, ut qui catenus omnes reliquerit, in hoc tanquam extremo actu bonus artifex ſeipſum ſuperet. Si generis claritatem, ſi fortunæ ſplendorem, ſi nobilitatem, ſi dignitatem, ſi imperij præſtantiam, ſi ingenium, ſi uires, ſi ſapientiam, ſi uirtutem, ſi ætatem, ſi rerum uſum extollemus: ac ne quid his indignum admittat, admonebimus.* Itaq́; *rei dilatatæ præſtãtiam cum eius uirtutis amplitudine commetiemur, dicemusq́; illius diuinã uirtutem, huic tam præclaro muneri unam partẽ inueniri.* Ac *rei quidẽ ſecurior eſt amplificatio, perſonã uerò quemadmodũ laudes, nõ nihil refert. Sunt enim alij paulo inaniores, qui laudem*

Lege Fab. lib. 8. cap. 4.

dem etiam apertiorē facile agnoſcunt. Eſt alius moroſiore natura, Cui male ſi palpere, recalcitrat undiq; tutus. Quare illi plenius, hic laudandus figuratius. Tantū ad mores attinet. Neq; nihil in ætate diſcriminis. Siquidem iuuentus quoniam & ætatis uitio, & rerum imperitia tumet, apertiore laude tanquam applauſu clariore, criſtas attollit, & ſenectus decrepita, ob deficientis ætatis infirmitatem, laudationē libenter accipit. At matura illa & uirilis ætas, quo magis ſuis confidit uiribus, quoq; longius, uel à puerorum ineptia, uel à ſenum deliramentis abeſt, eo tectius minusq; ſcenice laudari debebit. Ergo apud uiros natura ſeueriores, laudandi inanitatem figuris obtexere conueniet: ut aut occupatione laudem diſſimulemus, aut cōtrario ductu orationis tanquam obiurgantes, maiore fide laudemus: aut in alteram quanpiam perſonam laudationem eam trāſferamus. Quouis demum artificio apertum Gnathoniſmum effugiamus.

Ex Satyris Horat.

Sic aliquādo laudat Turnū Vergilius, ut creſcat Aeneæ uirtus.

A SPE ET METV.

PEracre res utraq; calcar habet, tum ad excitandos animos mortalium, tum ad ſuſtinendos, ne rerum magnitudine defatigentur, ſpes præmiorum, & incommodorum metus: quorū alterius quidem in adhortando propriæ ſunt partes, alterius in deterrendo. Vtrūq; in genere deliberatiuo late tractatur: hoc in genere catenus adhibetur, ut tanquā ſuaſorio epilogo, cōmodorum, incommodorumq; ſummam, breuiter & non ſine amplificationibus, tanquam in con

ſpectu ponamus,immortalitatem,beatitudinem,de-cus,gloriam,honores,opes,uoluptates,tranquillita-tem,aut alíud emolumentum diuerſa ex parte, inſe-ros,æternos cruciatus, turpitudinem,ignominiam, egeſtatem,dolores,tumultus. Quod ſi utriſq; parti-bus uno in genere,id quod plerunq; fit,utemur,per Antitheſim,cõmoda dilatata cum incommodis item exaggeratis conferre oportebit. Ex quibus quenq; rebus maxime duci ſenſerimus, eas res ſtudioſius am pliatas,frequẽtius ingeremus: puta ambitioſo hono res,auaro emolumentum, ſeni uitæ tranquillitatem: itemq; de reliquis contra,ut quidq; maxime inuiſum eſſe cognouerimus, ita quàm atrociſsime ac creber rime proponendum.Deinde laborem,quo uel tanta commoda petuntur, uel incommoda uitantur, per depreſsionem oportebit extenuare, ac poſtea per cõ tentionem componere.

AB AMORE, ODIO, MISERATIONE.

Vehementer commouerimus,ſi eorum quorũ no mine pericula ſubeuntur, charitatem commemo ratione renouabimus,& artificio alleuabimus:ut in patriam, parentes:in liberos à natura inſitam pieta tem:in bene meritos amorem: in amicos neceſsitudi nem:in præſtantes uirtute uiros,obſeruantiam. Rur ſus ſi odium & atrocitatem,in eos cõtra quos dimi catio ſuſcipitur, quàm grauiſsime exaggerabimus. Neq; enim amãti ſolum,quod antiquitus dictum eſt, nihil eſt difficile,uerum idem & odiũ præſtat. Qua re utrunq; calcar admouebimus, & hinc amicorũ

Metaphora ab exercitu ſumpta.

gratiam, hinc inimicorum atrocitatem cornibus ad uerſis conſtremus: ut pro ſanctiſsima Chriſti religione, contra teterrimã Turcarũ ſuperſtitionem: pro cõiugibus, pro liberis, cõtra nepharios parricidas: pro fideliſsimis ſocijs cõtra crudeliſsimos hoſtes: pro chariſsimo honeſtiſsimoq; amico, contra maledicentiſsimum ſycophantam. Idem & ijſdem rationibus efficiet commiſeratio: Si amicorum ſolitudinem, inopiam, luctum, ſqualorem: è regione inimicorum potentiam, ferociam, audaciam, inſolentiam proferemus. Sed hos affectus, quemadmodum oporteat ſuſcitare, & augere ſuſcitatos, à Fabio pleniſsime traditum eſt, in exordij, & concluſionis præceptis. Hoc tantum à nobis admonebitur, grauiſsimos animi motus excitaturũ, qui cõſequentis temporis imaginem graphicè repræſentabit: quãtum cõmodorum ſequatur, ſi res bene geratur: ſin cõtrà, quantũ malorum. Et qui per proſopopœiã, rebus ipſis uocẽ dabit, uti patriæ, religioni, templis, mœnibus, ſepulchris, manibus è monumento excitis: hisq; affectus, & ſermonem conuenientem, ac decorum accommodauerit.

Lib. 4. ca. 1. Lib. 6. cap. 1. 2. & 3.

Fab. lib. 6. cap. 1.

AB AEMVLATIONE.

HIc locus ab inuidia ſumitur, non illa ignaua & execrata, quæ cum ipſa nihil præclari machinetur, alienis tamẽ uirtutibus uritur: ſed illa generoſa, quam animis noſtris inſeuit natura prudens, ut æmulatione contra certantium, tanquam acerrimis quibuſdam ſtimulis, incitaremur ad fortiter agendum: quæ nobis perſuaſit glorioſum eſſe, & quantiſuis pe-

Qvid æmulatio Cic. li. 4. Tuſc.

riculis redimendum quàm plurimos præcedere: contrà turpiſsimum, & quauis mercede fugiendum, in ſimili certamine poſteriores tuliſſe. Verum non ſimplex eſt ab æmulatione exhortandi ratio. Vtrinq; enim accreſcent animi, ſi æmulorum uirtutem, gloriam, ſtudium, conatum, opes, improbitatē, cum amplificatione ante oculos ponemus. Sed cauendū obiter, ne contra certantium laudem uſq; adeo exaggeremus, ut eius animum, quem erigere conamur, in deſperationem abijciamus. Vnde cōminiſci quippiam oportebit, ut æmulos, uel fortunæ ui, uel huius lentitudine nonnihil præteriſſe dicamus, haud uirtute: eoq; acrius annitendum, ut id diſpēdij, quod fortunæ culpa ſit acceptū, ſtudio noſtro ſarciamus: & pudorē, quem negligentia cōtraximus, uincamus induſtria, ſiue eorundem ignauiam, inſcitiam, infirmitatem, inopiam per eleuationē proferemus: hac quidem moderatione, ne quem hortamur, ad ſecuritatē & oſcitationem trahamus. In ſuperiori modo erectior redditur, ubi intelliget, tanto glorioſiorem futuram uictoriam, quāto uirtute gloriaq; præcelluerint ij, quibus cum certatum eſt, cum ab egregijs uiris uel ſuperari non indecorum haberi ſoleat. In altero ſic facilem eſſe uictoriam oſtendemus, ut tamen haud negligendā arbitremur: incertos eſſe rerum humanarum exitus. Et multo magis pudendum eſſe, ab ignauis æmulis ſuperari. Hortabimurq; ut iam nō cum illis, quos longo interuallo poſt ſe reliquerit, ſed ipſi ſecum certamen eſſe putet.

AB EXPECTATIONE DVPLICI.

Expectatio quidem geminum habet calcar: nam haud mediocrem iniecerimus ſolicitudinē, ſi quāta ſit omnium amicorum, et beneuolentium publica priuataquē de illius uirtute expectatio: nominatim quātum ſibi promiſerint ij, quorum ille iudicium & autoritatem plurimi facere uidebitur, quorumq́; cauſa facturus omnia putabitur, oſtendemus: non illius unius intereſſe, ſed omnium neceſſariorum: ſed poſteriorum, in quos ea ſit gloria trāsfundenda. Expectationem quàm maxime probabilem efficiemus, à generis nobilitate, ab indole palàm ſpectata, ab educatione, à loci celebritate, ab ante actis, & ante dictis, ab omnibus, ſomnijs, & uaticinijs, atque alijs item id genus circunſtantijs.

AB INIMICORVM EXPECTATIONE.

Diuerſo maleuolētium & inuidorum expectatio Primum nē, & ſtudia peruerſa atrociter exaggerabimus, calcar. è quibus nominatim referre quoſdam fuerit efficaciſſimū, quos illi præter cæteros inuiſos atq; infeſtos nouimus: & quid quiſq; aut inuide dixerit, aut inimice fecerit referre. Horum omniū qui nunc præſenti gloria eius utuntur, ſi quod ipſi uix auſint ſibi promittere, res parum feliciter euenerit, quàm inſolens ſit futurum gaudiū: quanta in bene cupientes inſultatio, quæ ſcommata, qui riſus, quanta ferocitas, deſcriptione ante oculos ponemus. Ita eius unius uirtutē, in æditiſſimo frequentiſſimoq́; theatro omnium oculis expoſitā: unde neceſſe ſit, aut cum ſumma beneuolen-

uolentium gratulatione & plauſu recedere, aut inui dentiſsimorum hominum ſibilis cum ſummo noſtro noſtrorumq; pudore exigi atq; explodi.

AB EXEMPLIS.

In omni genere ſcripti plurimũ ualent exempla.

IAm nulla perinde re ad uirtutem inflãmeſcimus, ut eorũ quos admiramur exẽplis, maximeq; illuſtribus, peruetuſtis ac domeſticis. Illa enim autoritate, hæc affectu commendantur, propterea quod priſcorum uirtutes, quoniam ab inuidia longe abſunt, & audit quiſq; libenter, & miratur impenſius: & natura fit, ut quiſq; finitimis exemplis acrius tangatur, ueluti maiorum noſtrorum, affinium, præceptorum, & eorum quibus cum nobis uel patria, uel ordo, uel profeßio communis ſit.

EXEMPLA QVOMODO TRACTANDA.

IN his ergo tractandis ut ſumma eſt utilitas, ita ſtudij curæq; plurimum erit adhibendũ. Primo quos proponemus imitandos, eorũ uocabula cum laude ſtatim aliqua et honorifica præfatione proferemus, hunc ad modum: Socrates uir bonus, diuino teſtimonio ſapiens iudicatus. Perſpexit hoc Plato philoſophiæ parẽs. Egregie Phocion Græcorum longe incorruptißimus. Vidit hoc Alexander ille Macedo, uir gloriæ natus. Dauid de quo dubites, utrũ rex glorioſior, an propheta ſanctior. Præſtanti uir animo Camillus. Imperio & triũphis genitus Scipio. Nunquam ſatis laudatus Aemilius. Oportebit autem huiuſmodi præfatiunculas ad rem eſſe accommodas: etiam ſi quæcunq; laus exempli autoritatẽ adiuuat,

Val. lib. 3. ca. 4. Plutarch. in Vita.

tamen alieniorem adhibere infantis eſt hominis: ut ſi quis eum, unde fortiter dicendi duxerit exemplū, diuitem appellaret aut ſtudioſum.

DE CONTRARIIS EXEMPLIS.

D Iuerſum in contrarijs exemplis fieri cōuenit:ut, Quæ poſteritas Dionyſij *ſacrilegi tyranni nomen nō execrabitur?* Nobilitatus *crudelitate* Nero. *Sardinapalus uir muliere corruptior.Cleopatra regina meretrix.Catilina impijßimus patriæ proditor. Sibi felix,patriæ funeſtus* L. Sylla. *Nā huiuſmodi exemplorū non in dehortando modò, uerū et in exhortando frequens eſt uſus,propterea quòd quemadmodum uirtutis imagine allicimur,ita uitiorum ſimulachris ad honeſti amorē accendimur.* Neq; *raro uſu uenit,ut eadem opera pariter, & adhortemur, & deterreamus: ueluti qui ad capeſſendam* Rempub. *exhortetur,idem utiq; à priuato ocio deterreat.* Lege Valer. lib. 1. cap. 2. Plutar. in uita Ant.

DE INAEQVALITATE EXEMPLORUM.

E T *quoniam exemplorum multa uarietas eſt:nam alia ex parte,alia in totum ſimilia, aut dißimilia, alia cōtraria,alia maiora,minora,paria: oſtendit in* Topic.Cicero,*ad exhortandum efficaciora eſſe inæqualia.Quod ego quidē in hūc accipio ſenſum, ut ſemper à maiore ad minus deſcendat exhortatio.* Nam *etiam ſi aut perſona,aut res minor eſſe uideatur,tamē complexus rerum & uerborū facit,ut maius ſit,quod aſſumitur.*Exempli *cauſa,ſi propter matrimonia uiolata urbes euerſæ ſunt,quid fieri adulte* Vide Fab. lib. 5. cap. 11.

ro

liet? Orbes cœleſtes perpetua uertigine parent impe/ratori deo: nec ullũ ſidus è tot ſtellarum milibus or/dinem deſerit, aut in officio ceſſat, & mortales quid

Plin. lib. 8. cap. 18.

facere par eſt? A mutis rebus. Tigris pro catulis præceps ſæuit in prædonẽ, & pro liberis coniugeq; chariſſima, uirum fortẽ quid facere oportet? Leo in uictos & abiectos non ſæuit, & nõ idem faciet impe/rator? Apis non ſolum mutũ, uerumetiam exiguum animal in commune laborat, & homines Rempubli/cam negligunt? Elephantus numen agnoſcit, & ne/gligunt mortales? Quæcunq; autem ab inanimis du/cuntur & mutis, imparia ferè ſunt, ſiquidem ut ſimi/

A ſpiritua/libus.

lia, nõ ut paria proponuntur: ſicut & illa, quæ à ſpi/ritualibus trahuntur: quod genus eſt, Cacodæmones credunt, & contremiſcunt, quo magis oportet homi/nem immortale numen uereri? Cœleſtes illæ mentes & immortales, nocturni diurniq; uitæ noſtræ cuſto/des, perpetuo nobiſcum obambulant: quanto ſtudio par eſt, nos ipſos pro noſtra ſalute uigilare? Deus ip/ſe, cui liberũ eſt diffingere pro arbitratu, quod arbi/trio ſuo finxit, ad ulciſcendos ſontes lentiſſimus, ad ignoſcendũ promptiſſimus eſt, & regem mortalem

Require capi te præcedenti. Exempla ina nimorũ unde accumulanda.

cuiuſmodi eſſe conuenit? Iam quæ ab hominibus ad homines transferũtur, ea tribus modis imparia fieri oſtendimus, à perſona, à negocio, ab utroq;. Ergo ut primi generis exempla copioſe ſuppetant, omniũ re/rum, maximeq; inſigniũ naturæ, uires, miracula, & ex autorum monumentis, & noſtrapte obſeruatio/ne, cõparata eſſe debent: fontiũ, fluminum, marium, mon/

montium,gemmarum,arborum,herbarum,florum, atq; ex his quàm plurimæ ſimilitudines iam præparatæ, atq; repoſitæ: ut ſi quando uſus fuerit, uelut è proximo depromantur. Secundi uerò generis,diuitem ſupellectilem accumulauerimus,ſi quæ ueterum erudita curioſitas, de uolatilium, de quadrupedum, de ferarum,de ſerpentium,inſectorum,piſcium ingenijs memoriæ prodidit:quæq; quotidie mortaliū experientia deprehēdit, eorum omnium quàm denſiſſimam multitudinem in memoria tanquam in procinctu paratā habeamus:maxime ſi qua ſunt,quæ à certis authoribus prodigioſe facta referuntur. Quod genus eſt illud,de Delphino amatore, & puero adamato apud Auliū Gellium: & de dracone,qui nutritium ſuum,iam à latronibus in ſylua iugulandum ſeruauit: deq; leone, qui hoſpiti ob os exemptū gratiā uenatum aggerēdo retulit.Et de Arione ac Delphino,cuiuſmodi permulta à Plinio referuntur:quorum & in inanimis nonnullus eſt uſus. Verùm hæc quoniā ad fabularum ſpeciem proxime accedunt, autoritas erit grauitate & multitudine, tum etiam ſermonis commoditate fulcienda, deniq; præfatiunculis etiam munienda. Porrò eorum quæ ab humana perſona ducuntur, minime frugalem, maximeq; uariam copiam conflare oportebit:tum ex priſcis hiſtorijs, atq; annalibus,tum ex his,quæ noſtra ferè memoria geſta memorantur:eaq; cùm ſit expeditior,magiſq; ad manum copia,de quaque uirtute, de quoq; uitio, de quaq; re illuſtri aliquot exēpla ſunt ediſcenda,aut

Exempla irrationalium unde petenda.

miſq; ſtudijs cœperit initiũ. Affinitatis copulam di/uortio dirimi, cognatorum charitatem ſimultate re/ſcindi: beneficijs conflatam beneuolentiam, alteru/trius ingratitudine in odium uerti ſolere: tum contractum amorem temere euaneſcere: eam demum copulam, quam uirtutis admiratio coniunxit, quemadmo

Ab illius meritis. dum uirtutem ipſam, immortalem eſſe. Proderit & illius in nos merita, cum gratitudinis ſignificatione uehementer exaggerare: noſtra uiciſsim in illũ, multa cum uerecundia ac figuratè ſignificare. Qui no/ſtri de illo ſermones, quàm penitus infixa memoria: quantopere illius literis delectemur: ut illius commo

A noſtris in commodis. dis gloriaq; magis etiã ex animo gaudeamus, quàm

Ab officio. noſtrapte: quodq; incommoda illius non paulò acerbius quàm propria feramus: quantam pro illius di/gnitate, fortunaq;, curam, ſtudiumq; præſtiterimus: quàm acrem contra maleuolentium improbitatem,

Ab eruditione. dimicationem ſuſtineamus. Poſtremò, uel eruditio/nem, uel uirtutem quanpiam in eo laudemus: noſtra ſi qua erunt laude digna, uerecunde commemore/

A miſeratione. mus. A miſeratione beneuolentiã captabimus, ſi no/ſtram fortunam, aut eorum quos commendamus, fle

Ab aduerſario. biliter exponemus. Ab aduerſariorum perſona fauo/rem aucupabimur, ſi quas minas, ſi qua conuitia, ſi quam contumeliam illius cauſa nos pertuliſſe narrabimus, ab ijs qui & ipſum & eius nomine nos quoq; habent inuiſos. Contra quid nos in illos, aut fortiter contumelioſeúe dixerimus, aut inimice fecerimus.

A re. Sed hæc ſuis in locis. A re præparatiores reddemus,

ſi

ſi negabimus ulla ex parte ad nos pertinere quo de ſcripturi ſimus, ad illum magnopere: nobis illic neq; ſeri, neq; meti, niſi quod amici chariſsimi commodis haud ſecus atq; noſtris cõmouemur: ſi præterea negocij magnitudine, periculo, nouitate, antiquitate, utilitate, iucunditate, neceßitate, aut huiuſmodi qua piam cõmendatione excitabimus. Si iubemus animo minimè obſcutãti legere, propterea quod longe plus momenti ſit in re, quàm præ ſe ferat. Si quantopere cum nobis, tum ijs quos illum plurimi facere cognouimus, curæ ſit, quantiq; referat, aperiemus. Quod ſi res ipſa durior eſſe uidebitur, blandimentis prælenie mus, prudentiã illius obteſtabimur, ut quæ nos optimo amãtiſsimoq; ſtudio dicturi ſumus, ea pro ſua ue tere manſuetudine, in optimã partem accipiat. Rem eiuſmodi negabimus eſſe, cuiuſmodi primo ſtatim oc curſu uideatur, tum ſi maxime dura ſit, tamen admo nebimus quantulum amaritudinis, ſumma utilitate cõpẽſet. Sed hæc quoniã neq; proprie exordij ſunt, neq; in genere commode præcipi poſſunt, in ſuum quæq; locũ transferemus. Neq; omnino eam exordiendi formã improbauerim, quã uideo neotericis ſcri ptorib. nimio plus placuiſſe, ut à peruetuſta quapiã ſententia factóue memorabili in epiſtolam ingrediamur. Quod genus ſit: Scio nõ temere ſcriptũ eſſe à Flacco: Quem cui cõmendes, etiam atq; etiã aſpice, ne mox Incutiant aliena tibi peccata pudorem. Nec ignoro iudicium tuũ exactum, quod non temere cuiuis probatur. Sed tamen tot modis exploratũ habeo

Exordium communi ſententia.

Lib. 1. epiſt.

huius iuuenis ingenium, ut illum nõ dubitem tibi uel meo periculo commendare. Item Hercules olim ad/uerſus hydram Lernæam & cancrum cõgreſſurus, coactus eſt alienam opem implorare, qui ſolet opitulari cæteris. Ego unus cum tot monſtris dimicans, iiſq; ſubinde nouis exorientibus, quid faciam?

A facto memorabili.

ABRVPTVM EPISTOLAE initium.

SAtyrica illa, & ueluti ex abrupto principij ſpe/cies, in iocoſis & familiaribus mire decet, qualis eſt illa Ciceronis: Ita'ne præter litigatores iſtos ne/mo ad te uenit? &, Deum immortalem, quid ego au/dio? Sic eſt, inquam, uti ſcribis. Siccine igitur ueterẽ amiculum negligis? Ergo mutabimus ſententiam, quando tu quidem hoc tantopere cenſes. Quin ego igitur tibi gratulor? Quin tu igitur huc reuolas? Sic iſthæc, ut ſcribis, res habet. Hui, quis te tam eſſe uirũ credidiſſet? Eho, quid ais obſecro? Ringitur Zoilus? Næ tu mihi album apportas nuncium. Huiuſmodi fi/guris id aſſequimur, ut non mutam epiſtolam epiſto/læ, ſed uiuo ſermoni uiuum item ſermonẽ referre ui/deamur. Et quoniã utrinq; miſſæ acceptæq; literæ, mutuum alloquium imaginantur, pulcherrimum fue/rit, quam rem repræſentant, eam quam appoſitiſſimẽ adumbrare. Porrò ſolennes illas commendationes, quas iam ex more præſumũt, aut prorſus omittẽdas, aut in epiſtolæ calcem cenſeo traducendas. Quan/quã ubiuis etiã imperite uidetur fieri, ut noſmetipſos cuiquam commẽdemus, ſed offerimus magis, ac de/dica/

Libro 12. ad Cornificium.

dicamus operam noſtram. Alios commendamus, id eſt, laudamus, ut beneficio digni uideantur.

DE EXHORTATORIA EPISTOLA.

QVoniam exhortatorium genus, quod Græci παραινετικὸν uocāt, affectibus fere cōſtat, quos iuxta ſapientū multorum ſententiam, natura nobis, tanquam ſtimulos quoſdam ad uirtutem perfectā ac pædagogos addidit, animaduerſum nobis penitusq; perſpectum eſſe debet, quæ ſit humani animi natura, quæ uarietas ingeniorum, quem quæq; res affectum pariat: quibus quiſq; rebus maxime ducatur: à quibus abhorreat. Qua quidem in parte proprie facultas oratoria dominatur. Sed hæc è rhetorum præceptionibus haurienda. Nos tantum breuiter attingemus, quantum ad huius generis epiſtolam conficiendam ſatis eſſe putabimus. Ergo ex his potiſſimum locis extimulandi animi rationes petemus. A laude, ſpe, metu, odio, amore, miſeratione, æmulatione, expectatione, exemplis, obſecratione.

Affectus.

Loci.

A LAVDE.

A Laude bifariā exhortabimur, ut tum rem ipſam laudemus, tum hominem. Re laudanda excitabimus, ſi piam, ſi magnificam, ſi glorioſam, ſi raram, ſi nouam, ſi arduam, ſi hactenus intentatam dicemus. Quanquam hanc partem in ſuadendo diligētius tractamus. Perſonæ collaudatio in exhortādo plurimū habet uſus. Nam & honos unicè uirtutem excitat, alitq;. Et ita mortalium animos natura finxit, ut uix quiſquam adeo demiſſo ſit pectore, quin laudibus erigatur.

gatur. Quare ſtudioſe cohortationis monita multa cum laude miſcebimus, id quod Cicero et factitat, & factum à ſe refert, ut exhortãdi artificium quoddam indicare uoluiſſe uideatur. Ergo ab hac parte cõmo uebimus, ſi ante ab eo bene geſta artificioſa laude di latabimus: idq; tum à modo, tum à loco, à tempore, tum à perſona, à difficultate rei: per collationẽ, per fictionem, alijsq; amplificandi modis, de quibus ſuo loco nonnihil attingemus: propterea quod cum ple riſque in generibus plurimum ualent, tum ad hoc proprie præcipueq; pertinent. Si quæ pulcherrimẽ adhuc perfecit, ab omnibus in cœlũ tolli dicemus: ut quæ feliciter & ſtrenue cœpta, pari aut maiori etiã animi magnitudine pergat, hortabimur: nihil illius immortalitati præter extremam manum deeſſe: eam imponere nõ tam eſſe arduũ, & negocioſum, quàm ad tuendam quæ iam uirtute parta ſit gloriã, neceſ ſarium, ut qui catenus omnes reliquerit, in hoc tan quam extremo actu bonus artifex ſeipſum ſuperet. Si generis claritatem, ſi fortunæ ſplendorem, ſi nobi litatem, ſi dignitatem, ſi imperij præſtantiam, ſi inge nium, ſi uires, ſi ſapientiam, ſi uirtutem, ſi ætatem, ſi rerum uſum extollemus: ac ne quid his indignum ad mittat, admonebimus. Itaq; rei dilatatæ præſtãtiam cum eius uirtutis amplitudine commetiemur, dice muſq; illius diuinã uirtutem, huic tam præclaro mu neri unam partẽ inueniri. Ac rei quidẽ ſecurior eſt amplificatio, perſonã uerò quemadmodũ laudes, nõ nihil refert. Sunt enim alij paulo inaniores, qui lau dem

Lege Fab. lib. 8. cap. 4.

dem etiam apertiorẽ facile agnoſcunt. Eſt alius moroſiore natura, Cui male ſi palpere, recalcitrat undiq; tutus. Quare illi plenius, hic laudandus figuratius. Tantũ ad mores attinet. Neq; nihil in ætate diſcriminis. Siquidem iuuentus quoniam & ætatis uitio, & rerum imperitia tumet, apertiore laude tanquam applauſu clariore, criſtas attollit, & ſenectus decrepita, ob deficientis ætatis infirmitatem, laudationẽ libenter accipit. At matura illa & uirilis ætas, quo magis ſuis confidit uiribus, quoq; longius, uel à puerorum ineptia, uel à ſenum deliramentis abeſt, eo tectius minusq; ſcenice laudari debebit. Ergo apud uiros natura ſeueriores, laudandi inanitatem figuris obtexere conueniet: ut aut occupatione laudem diſsimulemus, aut cõtrario ductu orationis tanquam obiurgantes, maiore fide laudemus: aut in alteram quanpiam perſonam laudationem eam trãſferamus. Quouis demum artificio apertum Gnathoniſmum effugiamus.

Ex Satyra Horat.

Sic aliquãdo laudat Turnũ Vergilius, ut creſcat Aeneæ uirtus.

A SPE ET METV.

PErdere res utraq; calcar habet, tum ad excitandos animos mortalium, tum ad ſuſtinendos, ne rerum magnitudine defatigentur, ſpes præmiorum, & incommodorum metus: quorũ alterius quidem in adhortando propriæ ſunt partes, alterius in deterrendo. Vtrũq; in genere deliberatiuo late tractatur: hoc in genere catenus adhibetur, ut tanquã ſuaſorio epilogo, cõmodorum, incommodorumq; ſummam, breuiter & non ſine amplificationibus, tanquam in con

ſpectu ponamus, immortalitatem, beatitudinem, decus, gloriam, honores, opes, uoluptates, tranquillitatem, aut aliud emolumentum diuerſa ex parte, inferos, æternos cruciatus, turpitudinem, ignominiam, egeſtatem, dolores, tumultus. Quod ſi utriſq; partibus uno in genere, id quod plerunq; fit, utemur, per Antitheſim, cōmoda dilatata cum incommodis item exaggeratis conferre oportebit. Ex quibus quenq; rebus maxime duci ſenſerimus, eas res ſtudioſius amplificatas, frequētius ingeremus: puta ambitioſo honores, auaro emolumentum, ſeni uitæ tranquillitatem: itemq; de reliquis contra, ut quidq; maxime inuiſum eſſe cognouerimus, ita quàm atrociſſime ac creberrime proponendum. Deinde laborem, quo uel tanta commoda petuntur, uel incommoda uitantur, per depreſſionem oportebit extenuare, ac poſtea per cō tentionem componere.

AB AMORE, ODIO, MISERATIONE.

VEhementer commouerimus, ſi eorum quorū nomine pericula ſubeuntur, charitatem commemoratione renouabimus, & artificio alleuabimus: ut in patriam, parentes: in liberos à natura inſitam pietatem: in bene meritos amorem: in amicos neceſſitudinem: in præſtantes uirtute uiros, obſeruantiam. Rurſus ſi odium & atrocitatem, in eos cōtra quos dimicatio ſuſcipitur, quàm grauiſſime exaggerabimus. Neq; enim amāti ſolum, quod antiquitus dictum eſt, nihil eſt difficile, uerum idem & odiū præſtat. Quare utrunq; calcar admouebimus, & hinc amicorū gra

Metaphora ab exercitu ſumpta.

gratiam, hinc inimicorum atrocitatem cornibus ad
uerſis conferremus: ut pro ſanctiſsima Chriſti religio
ne, contra teterrimã Turcarũ ſuperſtitionem: pro
cõiugibus, pro liberis, cõtra nepharios parricidas:
pro fideliſsimis ſocijs cõtra crudeliſsimos hoſtes: pro
chariſsimo honeſtiſsimoq; amico, contra maledicen
tiſsimum ſycophantam. Idem & ijſdem rationibus
efficiet commiſeratio: Si amicorum ſolitudinem, in-
opiam, luctum, ſqualorem: è regione inimicorum po
tentiam, ferociam, audaciam, inſolentiam profere-
mus. Sed hos affectus, quemadmodum oporteat ſuſci
tare, & augere ſuſcitatos, à Fabio pleniſsime tradi- Lib. 4. ca. 1. Lib. 6. cap. 1. 2. & 3.
tum eſt, in exordij, & concluſionis præceptis. Hoc
tantum à nobis admonebitur, grauiſsimos animi mo
tus excitaturũ, qui cõſequentis temporis imaginem
graphicè repræſentabit: quãtum cõmodorum ſequa
tur, ſi res bene geratur: ſin cõtrà, quantũ malorum.
Et qui per proſopopœiã, rebus ipſis uocẽ dabit, uti Fab. lib. 6. cap. 1.
patriæ, religioni, templis, mœnibus, ſepulchris, ma
nibus è monumento excitis: hiſq; affectus, & ſermo
nem conuenientem, ac decorum accommodauerit.

AB AEMVLATIONE.

Hic locus ab inuidia ſumitur, non illa ignaua & Quid æmulatio Cic. li. 4. Tuſc.
execrata, quæ cum ipſa nihil præclari machine
tur, alienis tamẽ uirtutibus uritur: ſed illa generoſa,
quam animis noſtris inſeuit natura prudens, ut æmu
latione contra certantium, tanquam acerrimis qui-
buſdam ſtimulis, incitaremur ad fortiter agendum:
quæ nobis perſuaſit glorioſum eſſe, & quantiſuis pe

riculis redimendum quàm plurimos præcedere: contrà turpiſsimum, & quauis mercede fugiendum, in ſimili certamine poſteriores tuliſſe. Verum non ſimplex eſt ab æmulatione exhortandi ratio. Vtrinque enim accreſcent animi, ſi æmulorum uirtutem, gloriam, ſtudium, conatum, opes, improbitatē, cum amplificatione ante oculos ponemus. Sed cauendū obiter, ne contra certantium laudem uſq; adeo exaggeremus, ut eius animum, quem erigere conamur, in deſperationem abijciamus. Vnde cōminiſci quippiam oportebit, ut æmulos, uel fortunæ ui, uel huius lentitudine nonnihil præteriſſe dicamus, haud uirtute: eoq; acrius annitendum, ut id diſpēdij, quod fortunæ culpa ſit acceptū, ſtudio noſtro ſarciamus: & pudorē, quem negligentia cōtraximus, uincamus induſtria, ſiue eorundem ignauiam, inſcitiam, infirmitatem, inopiam per eleuationē proferemus: hac quidem moderatione, ne quem hortamur, ad ſecuritatē & oſcitationem trahamus. In ſuperiori modo erectior reddetur, ubi intelliget, tanto glorioſiorem futuram uictoriam, quāto uirtute gloriaq; præcelluerint ij, quibus cum certatum eſt, cum ab egregijs uiris uel ſuperari non indecorum haberi ſoleat. In altero ſic facilem eſſe uictoriam oſtendemus, ut tamen haud negligendā arbitremur: incertos eſſe rerum humanarum exitus. Et multo magis pudendum eſſe, ab ignauis æmulis ſuperari. Hortabimurq; ut iam nō cum illis, quos longo interuallo poſt ſe reliquerit, ſed ipſi ſecum certamen eſſe putet.

AB EXPECTATIONE DVPLICI.

Expectatio quidem geminum habet calcar: nam haud mediocrem iniecerimus ſolicitudinẽ, ſi quãta ſit omnium amicorum, et beneuolentium publica priuataque de illius uirtute expectatio: nominatim quãtum ſibi promiſerint ij, quorum ille iudicium & autoritatem plurimi facere uidebitur, quorumq; cau ſa facturus omnia putabitur, oſtendemus: non illius unius intereſſe, ſed omnium neceſſariorum: ſed po ſteriorum, in quos ea ſit gloria trãsfundenda. Expe ctationem quàm maxime probabilem efficiemus, à generis nobilitate, ab indole palàm ſpectata, ab edu catione, à loci celebritate, ab ante actis, & ante di ctis, ab omnibus, ſomnijs, & uaticinijs, atque alijs item id genus circunſtantijs.

AB INIMICORVM EXPECTATIONE.

Diuerſo maleuolẽtium & inuidorum expectatio Primum nẽ, & ſtudia peruerſa atrociter exaggerabimus, calcar. è quibus nominatim referre quoſdam fuerit effica ciſſimũ, quos illi præter cæteros inuiſos atq; infeſtos nouimus: & quid quiſq; aut inuide dixerit, aut inimi ce fecerit referre. Horum omniũ qui nunc præſenti gloria eius utuntur, ſi quod ipſi uix auſint ſibi pro mittere, res parum feliciter euenerit, quàm inſolens ſit futurum gaudiũ: quanta in bene cupientes inſulta tio, quæ ſcommata, qui riſus, quanta ferocitas, deſcri ptione ante oculos ponemus. Ita eius unius uirtutẽ, in æditiſſimo frequentiſſimoq; theatro omnium ocu lis expoſitã: unde neceſſe ſit, aut cum ſumma bene uolen

uolentium gratulatione & plauſu recedere, aut inuidentiſsimorum hominum ſibilis cum ſummo noſtro noſtrorumq; pudore exigi atq; explodi.

AB EXEMPLIS.

In omni genere ſcripti plurimũ ualens, exempla.

IAm nulla perinde re ad uirtutem inflãmeſcimus, ut eorũ quos admiramur exẽplis, maximeq́; illuſtribus, peruetuſtis ac domeſticis. Illa enim autoritate, hæc affectu commendantur, propterea quod priſcorum uirtutes, quoniam ab inuidia longe abſunt, & audit quiſq; libenter, & miratur impenſius: & natura fit, ut quiſq; finitimis exemplis acrius tangatur, ueluti maiorum noſtrorum, affinium, præceptorum, & eorum quibus cum nobis uel patria, uel ordo, uel profeßio communis ſit.

EXEMPLA QVOMODO TRACTANDA.

IN his ergo tractandis ut ſumma eſt utilitas, ita ſtudij curæq́; plurimum erit adhibendũ. Primo quos proponemus imitandos, eorũ uocabula cum laude ſtatim aliqua et honorifica præfatione proferemus, hunc ad modum: Socrates uir bonus, diuino teſtimonio ſapiens iudicatus. Perſpexit hoc Plato philoſophiæ parẽs. Egregie Phocion Græcorum longe incorruptißimus. Vidit hoc Alexander ille Macedo, uir gloriæ natus. Dauid de quo dubites, utrũ rex glorioſior, an propheta ſanctior. Præſtanti uir animo Camillus. Imperio & triũphis genitus Scipio. Nunquam ſatis laudatus Aemilius. Oportebit autem huiuſmodi præfatiunculas ad rem eſſe accommodas: etiam ſi quæcunq; laus exempli autoritatẽ adiuuat,

Val. lib. 3. ca. 4. Plutarch. in Vita.

tamen alieniorem adhibere infantis eſt hominis: ut ſi quis eum, unde fortiter dicendi duxerit exemplũ, diuitem appellaret aut ſtudioſum.

DE CONTRARIIS EXEMPLIS.

D*Iuerſum in contrarijs exemplis fieri cõuenit: ut, Quæ poſteritas Dionyſij ſacrilegi tyranni nomen nõ execrabitur? Nobilitatus crudelitate Nero. Sardinapalus uir muliere corruptior. Cleopatra regina meretrix. Catilina impijſſimus patriæ proditor. Sibi felix, patriæ funeſtus L. Sylla. Nã huiuſmodi exemplorũ non in dehortando modò, uerũ et in exhortando frequens eſt uſus, propterea quòd quemadmodum uirtutis imagine allicimur, ita uitiorum ſimulachris ad honeſti amorẽ accendimur. Neq; raro uſu uenit, ut eadem opera pariter, & adhortemur, & deterreamus: ueluti qui ad capeſſendam Rempub. exhortetur, idem utiq; à priuato ocio deterreat.* Lege Valer. lib. 1. cap. 2. Plutar. in uita Ant.

DE INAEQVALITATE EXEMPLORUM.

E*T quoniam exemplorum multa uarietas eſt: nam alia ex parte, alia in totum ſimilia, aut diſſimilia, alia cõtraria, alia maiora, minora, paria: oſtendit in Topic. Cicero, ad exhortandum efficaciora eſſe inæqualia. Quod ego quidẽ in hũc accipio ſenſum, ut ſemper à maiore ad minus deſcendat exhortatio. Nam etiam ſi aut perſona, aut res minor eſſe uideatur, tamẽ complexus rerum & uerborũ facit, ut maius ſit, quod aſſumitur. Exempli cauſa, ſi propter matrimonia uiolata urbes euerſæ ſunt, quid fieri adulte*

Vide Fab. lib. 5. cap. 11.

ro

ro par eſt? Hoc Fabius recte putat à maiore ad minus. Illud huic aduerſum exiſtimat: Tibicines cum ab urbe diſceßiſſent, publicè reuocati ſunt: quanto magis principes ciuitatis uiri, & de Rep. bene meriti, cum inuidiæ ceſſerint, ab exilio reducendi. At hic tametſi tibicinum perſona ſit principum conditione inferior, tamen hoc ipſum tibicines fuiſſe publicè reuocatos maius eſt, ob cõplexum, quàm ſi principes ab exilio reducantur. Quod ſi hic intellectus nõ placet, qui mea quidem ſententia uerißimus eſt, negatione obſeruemus, neceſſe eſt, id quod à neotericis dialecticis utcũq; præcipitur. Sed hæc inæqualitas erit per collationem aperienda, quæ ferè exemplis ſubijci cõſueuit. Infinitum uerò traditu, unde ea ducatur. Nam non modo ab una qualibet circunſtantiarum, ſed etiam ab alijs quibuslibet differentijs ſumitur. Omnia tamen ad perſonam & rem referuntur. A perſona ad hunc quidem modum: Formica brutũ & minutum inſectum, & uix animal, hyberno uictui æſtate conſulit, & homo ſenectæ non proſpiciet in adoleſcentia? Hoc auſa eſt mulier, quid te uirũ oportet? Hoc uirguncula intellexit, te anum quid par eſt ſapere? Ille ethnicus, tu Chriſtianus. Ille barbarus, tu Romanus. Ille prophanus, tu ſacris initiatus. Ille priuatus, tu magiſtratus. Ille tribunus militum tantum, tu conſul. Ille tyrãnus, tu philoſophus. Ille obſcurus, tu patritius. Alienus ille, tu patruus. Ille omnis expers doctrinæ, tu à puero philoſophiæ rationibus optimis inſtitutus. Rudis ille, tu multo rerum uſu exercita?

A perſona.

citatus. A re autem hoc pacto: Vitam ille cõtempſit, tu uoluptatem non cõtemnes? Vt corpus ualeat, ferrum patieris & ignes, & ut animo ualeas, ſalutarẽ obiurgationẽ non feres? Opes caducæ & ſordidæ, per tanta pericula petuntur, & à ſapientia quiduis incommodi deterret? Vnus ille, nos multi non idem faciemus? Ille inermis, imparatus, nos inſtructi. Regnum ille ſperabat, tibi immortalitas certa propoſita. Toties ille, tu ſemel. Ille in tanta rerum difficultate, tibi omnia expedita. A perſona, & à rẽ pariter: Puella uitam pro nihilo habuit, tu uir & uir eruditus, uoluptatulas neſcio quas non quibis contemnere? Erit hoc artis, quæ natura paria ſunt, ea dicendo imparia facere, & artificioſa collatione, altera exaggerare, deprimere altera. A re ſiue negocio. Ab utroque

DE VARIETATE ET ORdine exemplorum.

QVanquam autẽ appellatione propria id demũ exemplum dicimus, cum res geſta, aut perinde ut geſta exhortandi cauſa proponitur, tamẽ illuſtriũ uirorum grauiter dicta, philoſophorum paradoxa, poëtarum figmẽta, autorum nobilium ſententiæ, parœmiæ uulgo receptæ, allegoriæ, parabolæ: breuiter quicquid ſimilitudinibus eſt affine, id exempli uim habet, & à Fabio huic generi ſubijcitur. Neque primum illud genus, quod retulimus, ſimplex eſt. Nam quædam ab inanimis ducuntur: uti, Sol Chriſto moriente luxit, quid hominẽ oportet facere? Saxa mors illius ſcindere potuit, humanam mentem nõ permolliet? Exemplum quid propriè. Lib. 5. cap. 11. Exempla ab inanimis.

liet? Orbes cœleſtes perpetua uertigine parent impe ratori deo: nec ullũ ſidus è tot ſtellarum milibus or/ dinem deſerit, aut in officio ceſſat, & mortales quid facere par eſt? A mutis rebus. Tigris pro catulis præceps ſæuit in prædonẽ, & pro liberis coniugeq; chariſſima, uirum fortẽ quid facere oportet? Leo in uictos & abiectos non ſæuit, & nõ idem faciet impe rator? Apis non ſolum mutũ, uerumetiam exiguum animal in commune laborat, & homines Rempubli cam negligunt? Elephantus numen agnoſcit, & ne- gligunt mortales? Quæcunq; autem ab inanimis du cuntur & mutis, imparia ferè ſunt, ſiquidem ut ſimi lia, nõ ut paria proponuntur: ſicut & illa, quæ à ſpi ritualibus trahuntur: quod genus eſt, Cacodæmones credunt, & contremiſcunt, quo magis oportet homi nem immortale numen uereri? Cœleſtes illæ mentes & immortales, nocturni diurniq; uitæ noſtræ cuſto/ des, perpetuo nobiſcum obambulant: quanto ſtudio par eſt, nos ipſos pro noſtra ſalute uigilare? Deus ip- ſe, cui liberũ eſt diffingere pro arbitratu, quod arbi/ trio ſuo finxit, ad ulciſcendos ſontes lentiſſimus, ad ignoſcendũ promptiſſimus eſt, & regem mortalem cuiuſmodi eſſe conuenit? Iam quæ ab hominibus ad homines transferũtur, ea tribus modis imparia fieri oſtendimus, à perſona, à negocio, ab utroq;. Ergo ut primi generis exempla copioſe ſuppetant, omniũ re rum, maximeq; inſigniũ naturæ, uires, miracula, & ex autorum monumentis, & noſtrapte obſeruatio/ ne, cõparata eſſe debent: fontiũ, fluminum, marium,

Plin. lib. 8. cap. 18.

A ſpiritua/ libus.

Require capi te præcedenti. Exempla ina nimorũ unde accumulanda.

mon/

montium,gemmarum,arborum,herbarum,florum, atq; ex his quàm plurimæ ſimilitudines iam præpa/ ratæ, atq; repoſitæ: ut ſi quando uſus fuerit, uelut è proximo depromantur. Secundi uerò *generis, diui/ tem ſupellectilem accumulauerimus, ſi quæ ueterum erudita curioſitas, de uolatilium, de quadrupedum, de ferarum, de ſerpentium, inſectorum, piſcium inge/ nijs memoriæ prodidit: quæq; quotidie mortaliũ ex/ perientia deprehẽdit, eorum omnium quàm denſiſſi mam multitudinem in memoria tanquam in procin ctu paratã habeamus: maxime ſi qua ſunt, quæ à cer/ tis authoribus prodigioſe facta referuntur.* Quod *genus est illud, de* Delphino *amatore, & puero ada mato apud* Aulũ Gellium *: & de dracone, qui nutri tium ſuum, iam à latronibus in ſylua iugulandum ſer uauit: deq; leone, qui hoſpiti ob os exemptũ gratiã uenatum aggerẽdo retulit.* Et de Arione ac Delphi*no, cuiuſmodi permulta à* Plinio *referuntur: quorum & in inanimis nonnullus eſt uſus.* Verùm *hæc quo/ niã ad fabularum ſpeciem proxime accedunt, autori tas erit grauitate & multitudine, tum etiam ſermo/ nis commoditate fulcienda, deniq; præfatiunculis etiam munienda.* Porrò *eorum quæ ab humana perſo na ducuntur, minime frugalem, maximeq; uariam copiam conflare oportebit: tum ex priſcis hiſtorijs, atq; annalibus, tum ex his, quæ noſtra ferè memoria geſta memorantur: eaq; cùm ſit expeditior, magisq; ad manum copia, de quaque uirtute, de quoq; uitio, de quaq; re illuſtri aliquot exẽpla ſunt ediſcenda, aut*

Exempla irrationalium unde petenda.

præmeditanda: neq; id ab unico hiſtorico, aut unica gente, ſed à Græcis, Latinis, Hebræisq; ſcriptoribus omnibus, ex his quæ apud Aegyptios memorabiliter ſunt acta, quæ apud Lacedæmonios, quæ apud Tebanos, quæ apud Atticos, quæ apud Syros, quæ apud Perſas, apud Romanos, apud Gallos, apud Britannos, apud Iudæos, apud Scythas. Nam habet ſua quæq; gens miracula, ſuos ritus, ſua quædam instituta. Narrant hodieq; nautæ, & negotiatores, qui per omnes terras ac maria quærendæ ſtudio rei circumuolitant, quædam non minus prodigioſa, quàm priſca uetuſtas finxiſſe creditur. Horũ omnium duplex eſſe ordo poterit, ut ad efficaciora ſenſim increſcat ſeries, qui quidem non tam eſt uulgatus, quàm utilis, aut ut ab antiquiſsimis, maximeq; externis, per gradus ad noſtratia & proxima demũ ueniamus, ut ab Aegyptijs Phrygijsq; ad Perſica, à Perſicis ac Syriacis ad Græca, à Græcis ad Hebræa, ab his ad Romana, à Romanis ad barbara, ab ethnicis ad Chriſtiana, à peregrinis ad noſtratia, tum à ueteribus ad recentiora, ab ijs ad ea quæ noſtra ſunt geſta memoria deſcendamus, à quibus ad gentilia: poſtremò ad domeſtica perueniamus.

Ordo exemplorum.

DE FABVLOSIS EXEMPLIS.

Fabularum uſus.

PRoximæ ſunt huic generi ueterum poetarũ fabulæ, et prophetarũ allegoriæ. Sed fabularũ hic erit uſus, ut aut fabulas eſſe negemus: fuiſſe antiquitus permulta, et his incredibiliora, quæ tamen à certiſsimis autoribus ſint literis prodita: aut poetæ laudem

præ-

præfati, quid ſibi eruditiſsimi prudentiſsimiq́; homines eiuſmodi figmẽtis uoluerint, probabiliter aperiemus, hoc pacto: Nimirum hoc ſentiebat diuina mens Homeri, non poëſeos modò, ſed omnis etiam philoſophiæ parentis, quum & in Iliade Vlyſſem, pleriſque belli negotijs admiſceret, & in Odyſſea tot caſibus alterum decennium fecerit iactari, arduũ, perq́; duriſsimos labores eſſe uirtutis iter. Neq; temere profecto, neq; aniliter erudita finxit antiquitas Herculem tam multis exantlatis laboribus, cõſumpto igni corpore, in deorum contubernium fuiſſe relatũ. Id enim erat priſcis illis ſapientibus inſtitutum, ſanctiſsima philoſophiæ myſteria, ne paſsim euulgarentur, huiuſmodi doctis fabellis obtexere. Significauit aũt immortalitatem nõ contingere, niſi his, qui perpetuã ætatem honeſtis laboribus exegiſſent, & inexhauſto uirtutis ardore, cum omnium uitiorũ monſtris indefatigati bellũ geſsiſſent. Sub hoc genere, & myſticos ueterum ſacrorũ ritus, ſuperſtitioſasq́; nationũ priſcarum cerimonias complectimur, inprimisq́; Hebraicarum literarum myſteria, in quibus quidem interpretandis, utinam tam eſſemus circũſpecti, quàm ſumus frequentes & audaculi. Mirabor enim, ſi quiſquam illa ſcite interpretabitur omnis antiquitatis ignarus: ita ut fere ſunt iſti, qui tantũ uerſantur in plus quàm mutis literis, ac ſpinoſis quæſtiunculis. Eodem referenda ſunt (nam eundem habent uſum) quæ à tragicis comicisq; perſonis mutuamur, & eorum qui in dialogis, et item hiſtorijs, nõ ad fidem rei geſtæ, ſed

ad imitationem compoſitis inducuntur. Huc quoque *pertinere* Fabius *autumat apologos* Aeſopicos, & Aniani, quos ille λόγους μυθικοὺς, id eſt, ſermones fabuloſos appellat. His *enim uehementer duci animos, præcipue ſimplices et imperitos, cùm tantum ualuerit ille* Menenij Agrippæ, *de membris humanis aduerſus uentrem coniuratis, ſermo, ut grauiter irritatam plebẽ patribus conciliarit.* Quod *ſi quem deterreas, ne cum potentiore contendat, miros habebit ſtimulos apologus* Horatianus, *de rana ſeſe inflante.* Neq; *leuiter interdum mouent excellentiũ uirorum dicta, itidem ut facta: qualia nõnulla* Plutarchus *collegit, & ueterum ſapientum paradoxa:* Vt, *rex eſt, qui metuit nihil.* Et *poëtarum & illuſtrium ſcriptorum inſignes ſententiæ, ut* Enniana *illa:*

Liuius 2. Decad. 1.

Cic. 2. Tuſ. *Fortes fortuna iuuat.* Et Vergiliana:

Vergil. 5. Æneid. *Nate dea, quò fata trahũt retrahũtq; ſequamur.*

Quicquid erit, ſuperãda omnis fortuna ferẽdo eſt.

Aut uulgo receptæ, quas adagia nominant. Sunt & à nobis animoſæ quædam, & plenæ ſpiritus fingendæ: ut uiri eſt, aut fortiter interire, aut uincere. Non *moritur, quiſquis pro patria mortem oppetit.* Vt *palma contra impoſitũ onus, ita maſculus animus contra fortunæ difficultatem debet erigi, ultroq; inſurgere.* Virtus *duris laboribus paſcitur, non frãgitur.* Viri *nihil habet, qui glorioſo labori ullam uoluptatem anteponit.* Inductiones *autẽ* Socraticæ, *quas* ἐπαγωγὰς *uocant, non tam ad exitandum ualent, quàm ad perſuadendum, etiam ſi ad utrunq; ſunt non inefficaces.*

*ces.*Horum *omnium miſcellaneam quãdam agemus, quo uaria magis ſit oratio.*

DE OBTESTATIONE.

*E*Xhortandi *locos ceu fontes ferè omnes aperuimus, quod ſi quis epilogum etiam paræneticum quendam requiret, is non incommode per obteſtationem ſumitur, ut eum per inclytas maiorum imagines, quibus plus lucis attulerit, quàm acceperit: per egregia gentis decora, quæ ſua uirtute non mediocriter illuſtrauerit: per gloriam bene geſtis partã: per egregia facinora, quibus quotidie ſeipſum uincat: per immortale nomen, cuius iam æterna iacta ſunt fundamenta: per feliciſſimam indolem: per ingenium immortalitati & pulcherrimis rebus natũ: per incredibilem ſapientiam, prudentiam ſingularem, doctrinam raram, animi magnitudinem propè diuinam, uirtutem abſolutam, à qua nihil ſit tam arduum, quod aut præſtari non queat, aut nõ ab omnibus expectetur: per maiorum manes, qui ſe à ſua poſteritate benefactorum gloria ſuperari gaudeant: per librorum & nepotum pietatem, ad quos decus hoc unà cum patrimonio ſit hæreditaria traditione tranſiturum: per amicorũ & beneuolentiũ uota: per inuidorum ſtudia: per odia execrata maleuolentium, quos optime ſic demum ulturus ſit, ſi inuidentiſſimas aures illorum, & oculos, uirtutum ſplendore, & pulcherrimis rumoribus perſtringat atq; obruat, obteſtabimur atq; obſecrabimus ut ſe digna uelit & audeat.*

DE LENIENDA EXHORTATIONE.

VErum ſi quando periculum eſſe iudicabimus, ne quid offendat uehemens & importunior exhortatio, nam habet hæc neſcio quid monentis, præcipientiſq́;, aut etiam diffidentis, & quorundam ingeniorum ea eſt inſolentia, & ſecuritas ſui, ut ne moneri quidem patiantur. Id igitur ubi metuemus, multis rationibus exhortationis moleſtiam leniemus: ut aut negemus nos oratione noſtra languentem uelle accendere, ſed currentem excitare, ac ne incitare quidem, ut ea gerat, quæ iamdudum ſua ſpōte facit, ſed nos pro noſtro ſingulari in illum ſtudio ita gerenti gratulari: orabimusq́; ut importunitati noſtræ det ueniã, quæ nō aliunde proficiſcatur, quàm ab immodico quodam gloriæ illius ſtudio. Nihil eſſe tam magnificum, quod illius uirtus non ſit abunde præſtitura: ſed tamen qui in certaminibus ſpectant, tametſi nihil opus eſſe ſciunt, tamē non poſſunt non applaudere, cui ualde fauent: quumq́; is qui certat, ſuæ uirtutis probe conſcius, ſecurus ſit ab animo: tamen fautor ille ſecurus eſſe non poteſt, donec certam uictoriam uiderit. Aut longe aliud à nobis inſtitutum fuiſſe ſimulabimus, ſed præter conſilium huc calamum eſſe delapſum, tranſuerſum ſcilicet, agente nos incredibili quodam amore, ut eum exhortaremur, qui nō tam calcaribus egeat, quàm freno. Deniq; uirtuti eius omnia ſecunda precabimur.

QVIS

QVIS HVIC GENERI CHARA/ cter propriè conueniat.

EX multis ſtyli generibus, graue illud, & acre atque ardens, & incitatum exhortationi præcipue conuenit. Nam florida, concinna ac feſtiua, alibi gratiam habent, hic maſculus, & ut ita dicam, robuſtus debet eſſe character, amplus, & neruoſus. Grauitas autem eſt, quam δείνωσιν Fabius nominat, eamq́; inter præcipuas orationis uirtutes ponit. Sed in his quæ ad concitandos affectus potiſsimum ualent, his ferè rationibus conſtare uidetur, rebus, uerbis, amplificatione, figuris & compoſitione. Rebus grauitatẽ conſequemur, ſi quàm optimis ſententijs, è ſublimibus, grauibus, ac magni nominis, & peruetuſtis autoribus petitis: ſi èxemplis exquiſitiſsimis, ſi priſcis, ſi illuſtribus, ſi neutiquam uulgaribus utemur. Verbis rerum grauitatẽ augebimus, ſi uoces ſonantiſsimas, ſi amplas, ſi quàm maxime grauiter trãslatas, ſignificantes deligemus. Sonantes: ut, bellicos tumultus diuina prope uirtute profligaſti. Amplas: Immortalia uirtutum tuarũ monimenta, nulla unquam ſeculorum ſeries obliterabit. Significantia: ut, Fratrem ne deſere frater. Li. 8. ca. [illegible]

Egregiam uerò laudem, & ſpolia ampla refertis, Aeneid. 4.
Vna dolo diuum ſi fœmina uicta duorum eſt.

Hanc uirtutem ſermonis Fabius energiam appellat, quod nos actionem, aut efficaciã uertere poſſumus. Ea præſtat, ne quod uerbum tota oratione ſit ocioſum, quemadmodum in hoc carmine Vergiliano:

Tú ne in triuijs indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?
Nam in poſteriore uerſiculo, ſingulæ quæque uoces nouū pondus addunt. Hoc modo grauitatis laudem aſſequemur, ſi ſermonem perpetuum, argumentis, amplificationibusq́; infarciemus, eaq́; ſingulis uocibus includemus. Augent orationem & epitheta, id
Fab. lib. 8. cap. 6. *eſt, appoſita, maximeq́ translata, ut Cruentis manibus ſacratiſſimum deorum &c. Huius tamen modū requirit Fabius, & ocioſa ſunt uitanda, quibus ad uoluptatem, non ad uſum utuntur poetæ.*

DE AMPLIFICATIONE.

Amplificatio unde ſumitur, et quanta eius uis. *IN affectibus autem permouēdis præcipuæ atque adeo prope ſola dominatur amplificatio: cuius quidem uis omnis in alleuando, deprimendoq́; conſiſtit. Ea ſumitur à circūſtantijs omnibus, à quibus & probationes ducuntur. His autem rationibus licebit amplificare. Primum quidem cōmutato rei nomine: ut, ſi qui cæſus ſit, eum dicamus occiſum: & qui ſit improbus, eum latronem nominemus. Si quod nobis moleſtum eſt, id enecare, aut ad reſtim adigere dicemus. Contraq́;, ſi, qui pulſarit hominem, attigiſſe: qui*
Deprimendo *uulnerauit, læſiſſe dicetur. Si impudica, quæ ſit meretrix: ſi audaculus, gladiator nominabitur. Alter eſt modus, nihil à ſuperiore diuerſus, niſi quod illic ſola ponuntur quæ amplificant, hic per collationem efferuntur etiam illa, quæ recta erant, ut magis emineat atq́; increſcat amplificatio. Quod genus eſt Cicero-*
Actio. 2. *nis in Verrem: Non enim furē, ſed raptorē: non ad-*

ulte-

ulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrile/gum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq́; : non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorũ, in ueſtrum iudicium adduximus. Tertius amplificandi modus, incrementum uocatur: quum non ſtatim quod eſt atrociſſimum ponimus, ſed per gradus plu/res, aut etiam unum peruenitur, interdum ad ſummum, interdum ad id quod ſupra ſummum eſt quo/dammodo. Sic oratio increuit Ciceroni: Facinus eſt, uincere ciuem Romanum: ſcelus, uerberare: parricidium, necare: quid dicam, in crucem tollere? Hic ul/tra ſummum peruentum eſt. Ad ſummum ſic: Matrẽ tuam cæcidiſti, quid dicam amplius? occidiſti. Increvſcit & citra diſtinctionem oratio, dum curſu quo/dam grauius, grauiusq́; ſemper aliquid inſequitur: ut, pecuniam, honores, regnum, uitam deniq; patriæ charitate contempſit. Et de uomitu Antonij: In cœtu uerò pop. Romani, negocium publicũ gerens, magi/ſter equitum. Eſt & hoc incremẽti genus, quum tanquam per fictionem, inferiora quæ ſunt, augemus, ut illa maiora uideantur: ut, hanc rem tam æquam, ſi quilibet ignotus abs te peteret, tamen ignoto recuſare non debeas: nunc orat pater & pater ſic meritus. Si tantis officijs nullam gratiam repoſuiſſes, ingratiſſimus eras: nunc pro ſummo beneficio, maleficium ſummum retuliſti. Si liberorum & coniugum ſalus defendenda tantum eſſet, tamen nullum erat pericu/lum non ſubeundum: nunc pro totius Chriſtiani or/bis incolumitate, dignitate, capiuntur arma. Confine

Incrementum

In Verrem Act. 5.

In Phil. 2.

eſt huic, quum id quod tanquã exempli cauſa propoſitum eſt, augemus, eoq; aliud maius etiam eſſe oſtendimus: uti Cicero mulieris facinus, quod medicamẽtis partũ abegiſſet, exaggerat: ac merito rei capitalis damnatã dicit, quæ quidẽ ſpem parẽtis, memoriã nominis, ſubſidiũ generis, hæredem familiæ deſignatum, Reip. ciuem ſuſtuliſſet. Deinde Opianici culpã, cuius par noxa uidebatur, hunc ad modum exaggerat per collationem: Quanto eſt Opianicus in eadẽ iniuria maiore ſupplicio dignus? Siquidẽ illa quũ ſuo corpori uim attuliſſet, ſeipſam cruciauit. Hic autem idem effecit per alieni corporis uim atq; cruciatum. Grauius auget illud comparationis genus, quũ utrinque plura pluribus redduntur. Quod genus eſt illud M. Tul. in Catilinã: An uerò uir ampliſsimus P. Scipio, põtifex maximus, Tib. Gracchũ mediocriter labefactantẽ ſtatũ Reip. priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atq; incendio uaſtare cupientem, nos conſules perferemus? Hic & Catilina Graccho adoleſcens perditus uiro ornatiſsimo, & ſtatus Reipublicæ orbi terrarũ, & mediocris labefactatio, cædi atq; incendijs, uaſtationi: & priuatus conſulibus comparatur. Per ratiocinationem ampliamus, quum alibi fit, alibi ualet amplificatio, id quod nõ ſimplicibus conſequentia, & ex conſequentibus antecedentibus conſequentia, et ex conſequentibus antecedentia. Prioris exemplum hoc erit: Ille cauum conuerſa cuſpide montẽ impulit in latus, ac uenti uelut agmine facto. Qua data porta, ruũt. Ex his ſic amplificatio

Pro Cluentio.

tis apparet, quanta ſit tẽpeſtas conſecutura. Et Chriſtiani iudicij ſupremi horrorem exaggeramus, amplificatis his monſtris, quæ ſerũtur anteceſſura. Poſterioris erit illud Ciceronis in Antonij uomitũ, quũ tantum ait uini in Hippiæ nuptijs hauſiſſe, ut poſtri die cogeretur in conſpectu populi Romani uomere, et fruſtis eſculentis ſubſellia cõplere. Mire ſignificauit, quanta præceſſerit ingurgitatio, quum eo in loco uomeret, neq; caſu, neq; uolens, ſed neceßitate: neque recens, ut ferè ſolet, cibus refunderetur, ſed quã in poſterũ uſq; diẽ redũdaſſet. Eſt alia huius generis ſpecies, quũ aut ea quæ per ſe grauißima ſunt, cõſulto deprimimus, quo magis magisq́; attollantur, quæ ſequutura ſunt: aut diuerſa attollimus, ut augeamus ea quæ præferũtur. Prioris exemplũ erit illud in Verrem: Leuia ſunt hæc in hoc reo. Metum uirgárũ Nauarchus nobilißimæ ciuitatis precio redemit: humanum eſt. Alius ne ſecuri feriretur, pecuniã dedit: uſitatũ eſt. Ex his quæ grauißima nõ uideri nõ poßũt, ſic releuatis, neceſſe eſt atrocißimũ quiddam colligi, atq; expectari. Sic amplificauit Terent. Hegio, ubi Demeæ de uirgine uitiata quæſtus, facinus hoc ueluti uulgatũ iam, & humanum contẽnit, iubetq́; grauius adhuc accipere, quum pater nihil hoc grauius, neq; fieri, neq; dici poſſe crederet. Poſterioris generis illud eſt, quũ Vergilius Aeneæ laudes ex amplificata Turni uirtute adauget: aut cum Hannibalis bellicis laudibus creſcit uirtus Scipionis: aut quũ Germanorum, aut Gallorum fortitudo, Cimbrorum immanitas

Actio 7.

In Adelph.

tas augetur, ut maior ſit uictoris gloria. Sed infinitæ propè ſunt, ex relatione ad aliquid, amplificandi formæ: ueluti ſi clades à Troianis Græciſq; acceptas amplifices, quo uideatur Helenæ ſpecies admirabilior, ob quã non piguerit ſapientiſsimos uiros, tot mala perpeti: utq; in Platonis ſympoſio, & Alcibiadis forma, & toties oblata copia, Socratis continẽtia ſingularis colligitur. Reliquum eſt ultimum augendi genus, quod συναθροισμὸν, *id eſt, congeriẽ appellant, qua rem eãdem alijs atq; alijs modis efferimus. Nã niſi ſumma fiat uarietate, uicioſa erit iteratio: ueluti Cicero pro Ligario: Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum, quæ tua mens, oculi manus ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Sed plus habet grauitatis, quum paulatim ſeries increſcit: ut, Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors, terrorq; ſociorum, & ciuium Romanorum lictor Sextius. Iam uerò extenuandi eædem ſunt rationes, quæ amplificandi, neq; diuerſus uſus. Optime extenuationis exemplum erit illud comicum: Hæc uerba una mehercle, falſa lachrymula, quam oculos terẽdo miſere uix ui expreſſerit, reſtinguet. Hic uitioſiſsimum fuerit ad leuiora à grauioribus orationẽ proficiſci, ut uitam, ſanguinem, pecuniam pro te effundere non dubitem. Plurimum uerò ponderis orationi accedat neceſſe eſt, quoties hinc amplificata, hinc eleuata inter ſe componuntur.*

Ratio amplificandi per congeriem.

Ex. 7. act. Verrina.

DE

DE FIGVRIS AD GRAVITA-
tem facientibus.

IN hoc genere potiſſimũ conſectabimur ea ſermonis ſchemata, ſiue tropos, quæ reddũt acrem et ardentem orationem. Huiuſmodi ſunt ex his quæ in uerbis ſita ſunt, membra, articuli, comparia, repetitiones, contentiones, interrogationes, dubitationes, metaphoræ, proſopopœiæ, apoſtrophæ, demonſtrationes, quæ rem oculis ſubijciunt cum exaggeratione. Eandem uim habẽt aſſeuerationes, ſi quis tamen has inter ſchemata numerat, epiphonemata, quas acclamationes recte uerteris. De quorum ſingulis non eſt huius inſtituti prolixius diſſerere, qui rhetoricẽ hic non docemus, ſed indicamus duntaxat, quod ad ſcribendas epiſtolas attinet. Cæterum totius huius generis ſupellectilem, ac uim copioſam colligere licebit, cum ex alijs ſcriptoribus, tum præcipue ex hiſtoriographis: apud quos reperire licet crebras orationes, quibus dux exercitum, aut miles militem, aut magiſtratus populum ad fortiter agendũ cohortatur. Profuerit & ea memminiſſe, quæ philoſophi & facundi ſcriptores, de fortitudinis natura memoriæ prodiderunt. Nos tamen interim, quo, quæ præcepimus iuuentuti, ceu digito commonſtremus, unicum ſubijcimus exemplum.

EXEMPLVM EPISTOLAE
cohortatoriæ.

DIci non poteſt, iucundiſſime nepos, quanta tũ me, tũ tuos omnes uoluptate affecerit pulcherrimus rumor, Principium à laude.

rumor, nuper hic de rebus fortiter abs te geſtis, exortus. Iacta ſunt perpulchra immortalitatis tuæ fundamenta. Quid autem hortari incipiam, ut rem diuinitus cœptam, perficias: qui eo animo ſis natus, ut nihil unquam humile aut ſordidum cogitaris, utq; non tam calcaribus quàm frenis egere te putem? Sed tamen incredibili quodam erga de ſtudio, compellor currentem (quod aiunt) incitare. I, bone, quo uirtus tua te uocat, i pede fauſto: perge abſoluere, quod ſumma cũ laude cœpiſti, te natalibus tuis, quibus hæc urbs nihil unquam uidit illuſtrius, patre tuo clariſſimo, iſta tua indole, iſta eruditione, iſto animo dignũ præſtare. Impone ſummam manum immortalibus monimẽtis, à quorum abſolutione nõ multum abes, quod maximum ac dificilimum eſt, præſtitiſti: quod deſideratur, plus habet decoris, quàm difficultatis. Certaſti cum maiorum tuorum imaginibus, quibus tuapte uirtute, plus lucis attuliſti, quàm acceperis. Viciſti ætatem, qua cum propè adhuc impubes habearis, nihil tamen nõ forti uiro dignum uel geſſiſti, uel cogitas. Anteuertiſti maioribus tuis uirtutum magnitudine: uiciſti hactenus, & tui ſtudioſorum expectationem, & æmulorum inuidentiam. Sed poſtquam omnia ſuperaſti, unum etiam certamen reliquum eſſe puta: nempe ut teipſum imiteris, tui ſimilis eſſe ſtudeas, ut te ipſum præire contendas. Nam uinci à teipſo, tam fœdum fuerit, quàm pulchrum fuerit reliquos ſuperaſſe. Ita ſi ſemper tibi inſtes, non deerit, qui cum laudibus certare poſſis. Cogita te

Exhortatio cum laude mixta.

Laus è bene cœptis.
A genere.
A patre.
Ab indole.
Ab eruditione.

A ſpe metuq;.

cum

eum in locū, ipſius fortunæ manibus eſſe deductum, ut neceſſe ſit, aut ſumma cum laude peragere fabulam, aut ſummo cum probro defatigari. Ardua quidem & difficilis eſt uirtutis uia, ſed ampliſſima tibi præmia propone. Decus, immortalitas, imperium, opes, dignitas, felicitas, in manu ſunt, ſi pertenderis. At ſi (quod omem dij auertant) defatigeris, non ſolum priſtinæ gloriæ tenebras offuderis, uerumetiam in poſterum omnem dignitatis ſpem tibi recideris. Labores neq́ diuturni ſunt, neq; ita magni: præmia tum æterna, tum ampliſſima proponuntur. Multa iam pars exhauſta, annus duntaxat eſt tibi perdurandus: in quo facito, ut tanquam in concluſione, & extrema muneris tui parte, perfectiſſimus atq; ornatiſſimus fuiſſe uidearis. Fac ut ueterum heroum pulcherrima facta tibi ob oculos aſſidue uerſentur. Hercules ille totius Græciæ facile princeps, quot laboribus ſibi iter in cœlum aperuit, quot monſtra ſuperauit, qui ad inferos etiam ipſos legitur penetraſſe? Quæ tibi ſi ficta de illo uidebuntur, non pugno quidem, ſed tamen diuinitus à ſapientiſſimis doctiſſimisq; uiris excogitata ſunt, quò nobis heroicæ uirtutis exemplum abſolutum proponerēt, & ad immortalitatem nominis uiam oſtenderent. Nam quonam alio conſilio Homerus, cui magno doctiſſimorum hominum conſenſu, diuinitas quædam tribuitur, Vlyſſem, quem nobis ut ſapientis uiri ſimulachrum propoſuit, tam diuturnis laboribus iactatum ſcripſit, niſi ut ſignificaret hanc unam eſſe uiam, ad æternum Tractatio fabulæ. Laus autoris.

nomi-

nominis decus parandum apud poſteros. Hac Epa*minondas, hac* Alcibiades *clariſſimi* Græciæ *imperatores, ſibi immortalē apud poſteros laudem peperunt.* Quid *aliud* Alexandrum Magnū *cogitaſſe credis, cum ſe tantis periculis obijceret?* Quem *tu laborem* Decios *illos recuſaturos fuiſſe unquam credis? quorum alter ut æternam ſibi laudem compararet, dijs manibus ſe deuouit, alter in medios hoſtes ſe præcipitem dedit.* Quæ *non ætas* Machabæorum *nomen celebrabit? quorum unus elephanti uentre perfoſſo, pulcherrimā oppetēs mortē, clariſſimo facinore immortalē gloriā eſt cōſequutus.* Quid *hodie uel celebrius, uel plauſibilius* Iudith, Debboræ *&* Rachab *memoria? quæ quoniam ſexu ſuo maiores, maſculum animi robur præſtiterunt, nō inter fœminas, ſed inter heroas cōmemorantur. Sed quid nos externa atq; antiqua repetimus? domi habes, qui te ad huiuſmodi uirtutem debeant incitare, & quidem eo uehementius, quo genere coniunctiores.* Nam *cæteros quidem egregios uiros imitari, laudi ducitur: at tuorū ſine ſummo dedecore diſſimilis eſſe nō potes.* Vi*uit adhuc recēs, et poſteritate ipſa creſcit proaui tui uiri fortiſſimi memoria.* Quanto *ille animo iam inde à teneris annis ad nominis immortalitatē contendit? honeſtos ille labores, pro ludo habuit: uoluptatē et ocium non ſecus, ac peſtem teterrimam fugiebat. Sæpe ipſe adoleſcens ex eo iam natu admodum grandi audiuiſſe memini, ſe haud longiorem uitam à ſuperis optare, quàm ut patriæ ſua induſtria poſſet uſui eſſe.*

Exemplum Hebræum

Exemplum fœminarum.

Tranſitus.

Exemplum domeſticum.

Exemplum aui.

eſſe, cui ſe potius quàm ſibijpſi natum dicebat. Ad propiora ueniã, tibi magis, quàm mihi ipſi nota. Pater tuus uir fortiſsimus atq; optimus, quid unquã durum, aut difficile iudicauit, quod uel ad gloriæ incrementum, uel reipublicæ cõmodum pertinere putaſſet? Quot ille, quãq; difficiles legationes adoleſcẽs, non ſine ſumma laude obijt? Quot hyemes ſub pellibus egit? E quantis anguſtijs ſua ſeſe uigilãtia expediuit? Quem ille magiſtratum non petijt? Quid autem petiuit, quod non obtinuit? Quid obtinuit, quo non ſumma cum laude ſit perſũctus? Debent pectori tuo paterna illa monita infixa ſedere. Sæpe enim te adoleſcentulum, ut memini, Vergiliano illo carmine conſueuit exoſculans hortari: Diſce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem, Fortunam ex alijs. Nec rarò me audiente, hunc uſurpare ſermonem ſolebat, ſibi prorſus uideri nihil intereſſe inter eos, qui nunquam nati eſſent, & eos qui nulla re memorabili geſta, obſcuri ex hac uita migraſſent. Quare quũ ab his ſis maioribus ortus, huiuſmodi præceptis foris, domiq; inſtitutus, obſcurum tibi eſſe non debet, quid tui, uel patria potius ipſa abs te expectet: præſertim cum iſti generi, iſti indoli, egregiam quoq; doctrinam adiunxeris: quum iam iſtiuſmodi rudimenta ædideris. Cogita tuorum omnium, non amicorũ modo, ſed ciuium etiam, quotquot ſunt, oculos in te unũ coniectos, omnium in te ſuſpenſos animos: quorum iam expectationi uix ſatisfacturus uideris, ſi tantum à natalium tuorum uirtute nihil degeneraueris. Ne

Exemplum patris.

Repetitiones.

k ſcio

ſcio quid maius ſibi de te pollicentur, quorum ſi uo/ tis tua uirtus reſpõderit, quid ſi etiam uicerit, quan/ tus erit tuorum omnium triumphus, quanta patriæ gratulatio? Quantum autem Trebonij uiri, ut ſcis, tui amantiſſimi, & iudicio de te, & amori in te ac/ ceſſerit? Sin rem indiligenter geſſeris (quod omen Deus auertat) maleuolentiſſimi homines, qui tuæ ha ctenus inuiderunt uirtuti, quosq; rerũ tuarum ſplen/ dor excruciat, continuo uerticem tollent, erimusq; & tu, & tui omnes ludibrio & riſui nebulonibus in uidentiſſimis. Amici obtumeſcent, inimici inſulta/ bunt: beneuoli frigidi, maleuoli feroces. An hæc feret iſta tui pectoris celſitudo? Zoili in te odium noſtri. Nullo commodiore modo peſtem illam ulciſci potes, quàm ut gloriæ tuæ inuidia contabeſcat. Varum au/ tem uirulentiſſimum hominem planè ad ſuſpendium adegeris, ſi nobis uictor redieris. Codrus iam nunc ſuſpendio trabem delegit. Si nihil te, neque tua glo ria, neque noſtra expectatio mouerit, hoc certe tan/ ti fuerit, ut hæc monſtra conficias. Quare te chariſſi me nepos, unica ſpes, & idem decus tuæ gentis, per luculentiſſimas maiorum tuorum imagines, per egregiam indolem, per ſapientiæ laudem, cui ſemper ſtuduiſti, per noſtram, patriæq; expectationem, per bene auſpicata laudum tuarum initia, obſecro, atque obteſtor, ne committas, ut quum hactenus cæteros uiceris, à te ipſo ſuperatus uidearis. Dij tua cœpta ſecundent, & fœlicibus utere fatis. Vale decus no ſtrum. Eſt & inter Hieronymianas epiſtolas exhor tatoria

[Margin notes:] ...expectati ...maleuolo ...rum. — Cõtentiones. — A certa perſo na. — Epilogus per cõſecrationẽ.

tatoria ad Heliodorũ, quæ uniuerſum eius generis artificium unà complectitur.

DE GENERE DEHORTATORIO.

OPeræ precium non putaui, dehortationis exemplum ſubijcere, quod eadem ſit utriuſq; generis ratio, quum uix unquam exhortemur, quin eadẽ opera dehortemur. Exempla eorum, quibus ea res infeliciter ceſſerit, accumulabimus. Deinde rei turpitudinem, probrũ, conuitia, damnum, incommoda diligenter colligemus, quæ per exornationẽ, quam rhetores deſcriptionem appellãt, ante oculos ponemus. Sed hæc aliaq; ſtudioſorum induſtriæ relinquẽda putauimus. Nunc ad ſingulas cuiuſq; generis partes, non quidẽ ex omnibus, ſed optimis autoribus ſyluã quandam uerborum ac ſententiarum ſubminiſtrabimus: quibus ex noſtris nonnihil adijciemus, quo ſcripturi, hæc ſemper tanquam penum ad manum habeant, & imitandi ſtudio, ſimilia diſcant effingere.

EXEMPLVM DEPROMPTVM EX PRIma Ciceronis ad Q. Fratrẽ epiſtola.

QVare, quoniam in iſtis urbibus cum ſummo imperio et poteſtate uerſaris, quibus uirtutes tuas conſecratas, & in deorũ numero collocatas uides, in omnibus rebus quas ſtatues, quas decernes, quas ages: quid tantis hominũ opinionibus, tãtis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis. Quod ſi in mediocri laude ſermonis ac prædicationis, res noſtræ eſſent, nihil à te eximiũ, nihil præter aliorũ cõſuetudinem poſtularem. Nunc uerò propter earum

rerum,in quibus uerſati ſumus,ſplendorem & ma/
gnitudinem, niſi ſummam laudem ex iſta prouincia
aſſequimur, uix uidemur ſummam uituperationem
poſſe uitare. Ea noſtra ratio eſt, ut omnes boni tum
faueant,tum etiam à nobis omnem diligentiam uir/
tutemq́; poſtulent et expectent: omnes autem impro
bi, quod cum his bellum ſuſcipimus ſempiternũ, uel
minima re ad reprehendendum cõtenti eſſe uidean
Ab expectati tur. Quare cùm eiuſmodi theatrum eſt totius Aſiæ
one malorũ. celebritate refertiſsimum,magnitudine ampliſsimũ,
iudicio eruditiſsimum,natura autem ita reſonans,ut
Romã uſq; ſignificationes uocesq́; referantur: con
tende quæſo,atq; elabora,non modo ut his rebus di
gnus fuiſſe,ſed etiã,ut omnia illa tuis artibus ſupe/
raſſe uidearis. Simul & illud cogita,nos non de reli
qua & ſperata gloria iam laborare, ſed de parta di/
micare,quæ quidem non tam expetenda fuit,quàm
tuenda nobis eſt:quod reliquum eſt,id non tam diffi
cile,quàm præclarum.

Exhortationem mitigat hoc modo: Atq; hæc nõ
eò dicuntur,ut te dormientem oratio mea excitaſſe,
ſed potius ut currentem incitaſſe uideatur. Facies
enim perpetuo quæ feciſti,&c. Tu quanquã cõſilio
non eges,uel abundas potius, tamen hoc animo eſſe
debes, ut nihil cures, quàm ut ante factum aliquod
egregium audiamus,quàm futurum putaremus. Te
uerò admoneo tũ beneficijs tuis, tũ amore incitatus
meo,ut omnem gloriã,ad quam à puero inflãmatus
fuiſti,omni cura atq; induſtria conſequare,magnitu
di/

dinemq́; animi, quã ego ſemper admiratus ſum,ſem perq́; amaui,conſtanter obtineas,nec unquam infle/ ctas cuiuſquam iniuria.Illud te ad extremum & oro & hortor,ut tanquam poëtæ boni, & actores indu ſtrij ſolent, ſic tu in extrema parte, & concluſione muneris ac negocij tui diligẽtiſſimus ſis.Quamob/ rem,ſi me amas, quantum profecto amas,ſi dormis, expergiſcere:ſi ſtas,ingredere:ſi ingrederis, curre: ſi curris,aduola.Hoc ſit negocium tuum,hoc ocium: hic labor,hæc quies:in his uigilia, in his etiam ſom/ nus reponatur.Effinge aliquid, & excude quod ſit perpetuò tuum. Nam reliqua rerum tuarum poſt te, alium atq; alium dominum ſortiẽtur, hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit. Scio quem ani/ mum,quod horter ingenium.Tu modo enitere,ut ti bi ipſe ſis tanti, quanti uideberis alijs, ſi tibi fueris. Quod te quoq; ut facias & hortor & moneo: me/ mento quibus imaginibus onereris,quæ nomina,& quanta ſuſtineas.Proinde dum ſuppetit uita, enita/ mur,ut mors quam pauciſſima, quæ abolere poſſit, inueniat.Luſus uocantur, ſed hi luſus non minorem interdum gloriam quàm ſeria conſequuntur.Confu git in ſinum tuum Reſpublica. Ac mihi intuenti ſa/ pientiam tuam,minus mirũ uidetur, quod mortales iſtos caducosq́; titulos, aut depreceris,aut tẽperes. Scis enim ubi uera principis,ubi ſempiterna ſit glo ria:ubi ſint honores,in quos nihil flammis,nihil ſe/ nectuti,nihil ſucceſſoribus liceat.Arces enim & ſta tuas templaq́; demolitur,& obſcurat obliuio,negli/

Obſecratio

Plinius.

git carpitq; poſteritas. Contra, contemptor ambitio nis, & poteſtatis domitor, ac frenator animus, ipſa uetuſtate floreſcit, nec ab ullis magis laudatur, quàm quibus minime neceſſe eſt. Quod ego titulis omnibus ſpecioſius reor, quando non trabibus, aut ſaxis nomen tuum, ſed monumentis æternæ laudis inciditur. Ibit in ſecula, fuiſſe principem, cui florenti & incolumi nunquam niſi modici honores, ſæpius nulli decernerentur.

EXHORTATIO.

Cicero. *SEd præſta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria cōſulatus tui. Hæc profecto uides quāto expreßiora, quantoq; illuſtriora futura ſint, cùm aliquantum ex prouincia, atq; ex imperio laudis acceſſerit. Quanquā te ita gerere uolo, quæ per exercitum atq; imperium gerenda ſunt, ut hæc multo antè meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, ſentiasq; id, quod quia ſemper ſperaſti, non dubito, quin adeptus intelligas, te facilime poſſe obtinere ſummum atq; altißimum gradum ciuitatis: quæ quidem mea cohortatione tibi inanis aut ſine cauſa ſuſcepta uideatur, &c. Teq; ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor. Eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu una re facillime uinces, ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes cōparantur, in ijs eſſe laborandum. Lib. ix.*

epiſto

epiſtola: Duabus tuis. Locos habet hortatorios, et itẽ gratulatorios, circa mediũ & finem. Quam indica re malui, partim ne uolumen oneretur, partim quod gratiora ſunt quæ nobis ipſi decerpimus, Epiſtol. libro 10. Quum ipſum Furnium, aliquot habet locos exhortatorios. Itẽ παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, curaq́; & effice, ut ab omnibus & laudemur, & amemur. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro & obſecro, ne quid grauius de ſalute & incolumitate tua conſulas. Nam deos hominesq́; amicitiamq́; noſtram teſtificor, me tibi prædixiſſe, neq; temere monuiſſe. Quare ſi tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuæ reliquæ tibi charæ ſunt, ſi aliquid apud te nos, ſi uir optimus gener tuus ualemus: eorũ fortunã non debes uelle conturbare, ut eam cauſam, in cuius uictoria ſalus noſtra eſt, odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeamus. Etiam atq́; etiã Cicero cogita, ne te, tuosq́; omnes funditus euertas: nec te ſciens, prudensq́; eo demittas, unde exitum nullum uides eſſe. Quare quid eſt, quod ego te hortor, ut dignitati & gloriæ ſeruias? Proponã tibi claros uiros, q̃ facere ſolent, qui hortãtur: neminẽ habeo clariorẽ, quàm teipſum. Te imitere oportet: tecum ipſe certes: ne licet quidem tibi iam tantis rebus geſtis, nõ tui ſimilem eſſe. Quod cùm ita ſit, hortatio non eſt neceſſaria, gratulatione magis utendũ eſt. Cõtigit enim tibi, quod haud ſcio, an nemini, ut ſumma ſeueritas animaduerſionis, non modò non inuidioſa, ſed etiã popularis eſſet, at cum

Cicero ad Atticum.

Dehortatio. id eſt, uniuerſæ uirtutis memento.

Adhortatio ex obliquo.

bonis omnibus,tum infimo cuiq; gratiſsima. Hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet, gratularer fœlicitati tuæ, ſed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij atq; conſilij. Quo facto,intelligere debes,in te poſitam eſſe Remp. tibiq; non modo tuendos,ſed etiam ornādos illos uiros,à quibus initium libertatis profectum eſt.Tu quoniam Remp.noſq; conſeruas, fac ut diligētiſsime teipſum,mi Dolabella, cuſtodias. Nunc mi Attice, tota mente incumbe in hāc curam: magna enim res eſt. Quamobrem aduola, obſecro, atq; eam Remp.quam uirtute atq; animi magnitudine magis quàm euentis rerum liberaſti,exitu libera: omnis omnium concurſus ad te futurus eſt. Fortem & liberum animum,quo & conſul & nunc conſularis Remp.uindicaſti, ſine conſtantia & æquabilitate nullū eſſe putaris. Nihil enim per ſe amplū eſt, niſi in quo iudicij ratio extat: quia neminē magis decet,quàm te Remp.amare,libertatiſq; defenſorē eſſe,uel ingenio,uel rebus geſtis,uel ſtudio atq; efflagitatione omnium.Tu te exuſcita, ut eam ciuitatem,in qua maxima geſsiſti, liberam atq; honeſtam fore putes,ſi modo ſint populo duces,ad reſiſtēdum improborum conſilijs. Quare magnum fac animum habeas, & ſpem bonam.Ceſſator eſſe noli, et illud γνῶθι σεαυτὸν, noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum,uerum etiam ut bona noſtra norimus.Præterea meminerimus, quanto maiori animo honeſtatis fructus in cōſcientia,quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria,non appeti debet:nec ſi ca-

Cicero ad Qu.fratrē.

ſu

ſu aliquo non ſequatur, idcirco quod gloriam prome ruit, minus pulchrũ eſt. Ii uerò qui benefacta ſua uer bis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint, ſed ut prædicarent, feciſſe creduntur. Sic quod magnifi/ cum referente alio fuiſſet, ipſo qui geſſerat recenſen te uaneſcit. Homines enim cùm rem deſtruere non poſſunt, iactationem eius inceſſunt. Ita ſi ſilenda fece ris, factum ipſum: ſi laudanda, quod non ſileas, ipſe culparis. Multo deformius amittere, quam non aſſe qui laudem. Item lib. 2. tota epiſtola, cuius initiũ: Ho *minem te patientem.* Huiuſmodi *ſententijs extimula/ mus animum laudis cupidum.*

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Vnum augurium optimum, pugnare pro patria.

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Strenuus eſto, ut aliquis te etiam poſterorũ præ dicet.

Ἀνέρες ἐστὲ φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.

Viri eſtis chari, recordemini autẽ Martij laboris.
I bone, quò uirtus tua te uocat, i pede fauſto. Aeneidos 5.
Nate dea, quò fata trahũt, retrahuntq́; ſequamur.
Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito, Aeneidos 6
Quàm tua te fortuna ſinat. (chra. Plinius.
Fac aliquid dignum promiſſis. Difficilia quæ pul
In magnis & uoluiſſe ſat eſt.
Macte hac grauitatis gloria Cæſar.

DEHORTATIO.

SEd ego te ut ad certam laudem adhortor, ſic à di micatione deterreo: redeoq́; ad illud, quod initio ſcripſi, Cic. epiſt. fa- mil.

ſcripſi,totius facti tui iudicium, non tam ex conſilio tuo,quàm ex euentu homines eſſe facturos.

COMMENTITIA MEA.

Dehortatio à gloria petita.

Non eſt affectanda gloria forti uiro,ſuapte uirtute contento:ſed hæc bene facta non aliter quàm umbra corpus cõſequitur.Non appetit laudẽ,ſibi bene conſcia uirtus eximia,ſed hæc contingit illuſtrior ac uerior. Splendidus titulus,pater patriæ: ſed hunc promeruiſſe pulchrius eſt,quàm poſſediſſe.Inter omnia tua,gentisq́; tuæ decora,ſi mihi credis, erit hoc præcipue glorioſum. Tot egregijs facinoribus ſumma cum laude geſtis,fac iſtum ceu colophonem addas.Arduum facinus ad quod te hortor,ſed tuo genere,tuoq́; animo dignum.Ab iſta familia,ab iſta indole,ab iſtis factis,nihil expectatur plebeium,aut mediocre.Omnia ſumma præſtes oportet,ſi uelis maiorum tuorũ ornamentis,ſi tuæ priſtinæ gloriæ,ſi omnium de te expectationi reſpondere. Cogita te uerſari in theatro longe frequentiſſimo,omnium oculos in te coniectos:quibus nunquam ſatisfacies,niſi ſumma cum laude peregeris cœptam iſtius pulcherrimi facinoris fabulam. Ipſa uirtus abunde magnum ſui præmium eſt.Non uiuit,qui uiuit inglorius. Non perit, qui moriens, honeſtam ſui memoriam relinquit poſteris.Vt omnia mors tollat, certe nominis honeſti decus à rogo redditur illuſtrius.Erexeris,mihi crede,tibi monumentũ ære perennius, quod non liuor edax,non aquilo impotens poſſit diruere,aut innumerabilis annorum ſeries,aut fuga temporum.One

rans

rant te tuorum imagines,non illuſtrant,niſi quibus factis illis ſibi nobilitatem pepererunt,ijs tu tuearis et alas. Huc te uocat generis tui claritas, huc patriæ pietas, huc ciuium tuorum nũc in tua uirtute ſita ſalus:tantum exeras iſtum uere magnum animũ tuum, aderunt fortibus auſis ſuperi fauentes. Audaces adiuuat ipſe Deus. In re honeſta,ſuus cuiq; animus Deus eſt. Nunc delibera,utrum malis maiorum tuorum ornamentis, tuiſq; laudatiſſimis factis hoc decus ac ueluti ſummam manum addere,an generi tuo tenebras offundere: & quicquid hactenus tot egregijs laboribus partũ eſt gloriæ,ſemel amittere. Nulla poſſeſſio difficilius aut tardius paratur, quàm honeſtæ famæ: nulla citius amittitur. Si te nulla mouet tantarũ glo/ Æneid.4.
ria rerum, certe liberis tuis nullam poſſeſſionem relinquere potes,uel ſpecioſiorem, uel precioſiorem, quàm huius facti nunquam intermoriturã gloriam. Vt leones & aquilæ,non cum quibuslibet feris belligerantur,ſed quaſdam prædas,ut ſuis unguibus indignas contemnunt: ita tuũ eſt,hoc facinus, quo maius eſt ac difficilius, hoc maiore cum animo ſuſcipere, uelut eximiam gloriæ materiam, eximiæ uirtuti ſer/uatã. Scio difficilimũ eſſe,ad quod hortor:nec igno/ro uerum eſſe quod dici ſolet, οὐ παντὸς ἀνδρός: ſed aliquãdo grauiora præſtitiſti,nec alius animus par tanto negocio. Si palma dedignatur cedere põderi impoſito,ſed magis aduerſus impoſitũ nititur, ſurſum erigens ſeſe:quanto magis oportet fortiſſimi uiri animum,ex ipſa negocij difficultate creſcere? Non hæc

ſcri/

ſcribo, quo te ceſſantem extimulem, ſed quo ſponte currenti calcar (quod aiunt) addam.

Mitigatio. Non tam hortor ut iſta facias, quàm gratulor ultro properanti, quo noſtra uota tuam uirtutem uolebant inuitare. Primũ cogita, quid deceat Germanũ, deinde quid Saxonẽ, deinde quid Alberti nepotem, poſtremò quid Philippum. Duplicem ſuſtines expectationem, nimirum ut laudatiſsimo patri Philippo Philippus, & eximio fratri, cui ſuccedis, reſpõdeas. Nobilitas uerò non aliunde, quàm ex egregijs factis naſcitur. Hanc ipſe tibi præſtare potes. Quid ſuſpicis uetuſta ſtẽmata? Quin ipſe tibi paras imagines? Pulchrius erit decus, cuius autor fueris, quàm cuius hæres. Quanto pulchrius eſt, te tuis maioribus, tua uirtute prælucere, quàm in alienæ laudis hæreditatem ueniſſe?

Probrum ignauia quorundã nuper acceptum, tua uirtus, tuaq; uigilantia ſarciat oportet. Proxime acceptam cladẽ omnes fortunæ imputabunt, ſi nũc declararis, quantum in bello ualeat fortis & infractus ducis animus, cum eximia prudentia coniunctus.

Nihil magis noſtrum eſt, quàm quod nobis noſtra paratur induſtria. Hoc tibi præſtat iſta pectoris uirtus, ut audeas: hoc patriæ pietas, ut uelis: quod reliquum eſt, dabũt ſuperi, & pietatis fautores, & honeſtæ uirtutis prouectores. Macte iſtius animi eſto: Iſtiuſmodi ſtudijs ad nominis æternitatẽ graſſare. Eia macte uirtute. Sic ſic itur in cœlũ. Age fortiſsime iuuenis, ne defatigare, ne conquieſce, donec pulcherrimis

Vergil. 9. Aeneid. Macte puer.

mis geſtis honeſtiſsimũ finẽ impoſueris. Maxima *ſtu dij pars tibi iam decurſa eſt: hoc alacrius ad metam propera,quo propior es.*Nihil *eſt tã arduũ in rebus humanis,quod nõ efficiat,ſi ſibi imperarit animus, ut magnopere uelit*. *Quæ res primũ deos ac diuos fecit?nónne præclara in Rẽpub.merita?Quid enim deo ſimilius,quã excelſus animus,uel gratis de uni/ uerſo mortalium genere benemereri ſtudẽs?* Magni *ficẽtius eſt,ampliſsimos honores promeruiſſe,quàm obtinuiſſe.In magnis & uoluiſſe magnum eſt.In re/ bus præclaris etiã conatus in magna laude ponitur.* Epiphonema.

Quum hactenus in campo gloriæ præcurreris om/ nes,hic tui ſimilis ſis oportet. Si quid in te generoſæ mentis,ſi quid paternæ indolis,ſi qua ſcintilla pieta/ tis in patriam,ſi quid conſilij, ſi quid conſtantis ani mi,ſi quid maſculi roboris, ſi quid heroicæ uirtutis, id totum nunc expromas oportet. Nõ *poteris in hoc laudis curſu defatigari, ſi ſpectes quæ præmia tibi ſint propoſita.* Perge *infracto animo, quà cœpiſti, nomenq; tuũ immortalitati cõmenda.* Verum *decus non in opibus,ſed in uirtute poſitum eſt.*Bene *collo cauit,qui patriæ impendit.* Te *unum ſpectant oculi ciuium tuorũ.* Tuis *humeris innixa eſt patria.* Illi *de ſpondebunt animũ,niſi te eũ præſtiteris,quẽ ſemper eſſe iudicarũt* Hæc *ruitura eſt,ſi te ſubduxeris.*Cogi *ta laborem eſſe breuẽ,felicitatẽ,ad quam properas, eſſe perennẽ.*Ardua *eſt, iuxta Heſiodũ,uirtutis uia, ſed in uertice manet inæſtimabile præmium.*An *ali/ quid durum uideri debet,quo paratur æterna felici/ tas?*

taſ? Ne ſpecta, quid hic aut ille interim de te loqua/tur, ſed quid tota poſteritas ſemper ſit loquutura. Vere regium, magniq; animi eſt, male audire, cùm bene feceris. Inuidiã maleuolorũ gloria benefacto/rũ obrue. Pulcherrimũ uindictæ genus eſt, inimicum benefactis ad ſuſpendium adigere. Inuidiorum latratus uelut ignauorum canum neglige. Illud uide, quò te bonorum cõſenſus prouocat. Malis placuiſſe tam turpe eſt, quàm ob turpia. Enitere ut his placeas, qui bonis placent omnibus.

Simile. Aſina per medios ignes ſuccurrit ſuo fœtui, & uir fortis deſtituet patriã pe/riclitantẽ: cuius pars ſunt & liberi? Parua & exilia ſydera, ualidorum exortu obſcurãtur: ſed tu non po tes magis illuſtrare progenitorum tuorum gloriam, quàm ſi ad iſtum modum famam illorum obſcures. Eo perge, non quò te reuocat mundus, ſed quò te uocat Chriſtus. An te remoratur difficultas, ubi cœlum promittitur? An diffidis, ubi fautor & adiutor eſt Chriſtus? An dubitas de præmio, ubi promiſſor eſt Deus? Non agnoſcet beneficium tuũ ætas tua. Atqui iſtud demũ eſt animo excelſo dignũ. Nullum benefi/cij genus heroicis animis dignius, quàm quod erogatur in poſteros.

Adhortatio ad literas. Sudoribus emũtur literæ, ſed pariunt immortalitatem. Vigilijs parantur, ſed ſemel partæ nunquam amittuntur. Serius cõtingunt, ſed ubi contigerint, tutiſſima ſimul & perennis eſt poſſeſſio. In alijs egregie geſtis, magna laudis portio fortunæ deciditur: nonnullam & hi ſibi uendicant, quorũ opera res peracta eſt, huius facti gloria in ſolidũ tua erit?

Sum/

Summam de te ſpem concitaſti, non eſt tibi commit tendum,ut hanc feſelliſſe uideaʀis. Genus, indoles, prudentia,animi ſublimitas, priſtina decora,miram quandam de te concitarunt apud omnes expectatio nem:hanc fallere turpiſsimum fuerit, æquare neceſſa rium,uincere pulcherrimum. Si uoles cogitare,quid te dignum,ſic te geras in iſta prouincia,ut qui in ea dem ante te,nõ mediocri cum laude uerſati ſunt, tui comparatione magnam laudis partem amittant: ne que quiſquam exoriatur,qui tibi auſit ſuccedere. Fac ita te geras in iſto magiſtratu, ut & autoritate tua ſucceſſori tradas auguſtiorẽ,& integritate uigilan tiaq́; difficiliorem. Cogitato tecũ, quicquid eſt iſtud laboris,quod percipiendæ iuris prudentiæ datur,tri bus,aut ad ſummũ quatuor annis abſolui: cæterum honorem in omnem uſq; uitam te comitaturum. La bor abit,honeſtas manet: Labor breuis,gloria im mortalis. Alij tot annos deſudãt, per terras, mariaq́; uolitant,ut rem familiarẽ augeãt, te pigebit ad pau cos annos honeſtiſsimis ſtudijs incũbere, quo tibi ſi mul & rem & dignitatem pares? Honos alit artes, ut ſcripſit Cicero: & hoc tibi calcar non mediocre debet addere,quòd is princeps nobis cõtigit,ſub quo nemo gratis uirtutem colit. Quidam ita propagant nominis tui memoriam: at nullum monumentum fi delius cuſtodit hominis famã, quàm ſi benefactis no men tuum inſculpas animis hominũ,hoc eſt,ſi inge nij monumentis, non ſolum de tua patria, uerum etiam de cunctis nationibus: non ſolum de tuæ ætatis homi

Adhortatio ad iuris ſtudium. Gel. lib. 16. cap. 1.

hominibus, uerumetiam de poſteris bene merearis. Vide etiam atq; etiã, necubi dormites in hoc opere. Magni refert, unde famam auſpiceris. Expedit omni cura perpolitũ eſſe, per quod primũ innoteſcere uis populo. Poſteaquam ſemel bonarum literarũ patrocinium ſuſcepiſti, non oportet de gradu cadere. Vides cum cuiuſmodi monſtris res eſt, prorſus Her

Dehortatio. *cule quopiam eſt opus. Eum nemo melius præſtabit uno te. Obteſtor te per noſtram amicitiam, per utriuſq; ſalutem, nam mea, niſi te incolumi, non conſtiterit, ne te periculoſo negocio admiſceas. Vel hircus Aeſopicus te doceat, ne te conijcias temere in negocium, unde cum uoles, nõ poßis temetipſum extricare.*

Aeneid. 7. *Facilis deſcẽſus Auerni, ſed reuocare gradũ per difficile eſt. Si tibi utilis eſt tua uita, uxoris ac liberorum te moueat calamitas. Sine his tu perire non potes, cũ ex te uno pendeãt omnes. In te omnis domus inclinata recumbit. Hanc tua prudentia, tua uigilantia, tua fortitudine fulcias oportet, alioqui collapſuram. Tu inuicto animo, quod honeſtißimum iudicabis, ſequere. Optimæ cauſæ fauebunt & numina.*

EXHORTATIO MEA.

Cogita, quanta factum iſtud laus & gratulatio ſit conſecutura. Quid multis? ſic te numeris omnibus uirtutũ abſolutũ præſta, ut inimici uituperare te non poßint, niſi ſimul laudent. Illud noctes dieſq; tecum cogita, quo te quoque poßis Tollere humo, uictorq; uirum uolitare per ora. Quis nõ exoſculetur iſtam eximiam indolem? Quare te etiam atq; etiam

Georg. 3. Tẽtãda uia, &c.

hortor,

hortor, ut quod tibi maiores prætulerunt, tu poſteris præferas. Tu uel unus efficere potes, ne prorſus uerũ ſit, quod uulgo iactatur, nobiles noſtros nihil habere in domibus ſuis pulchrum, niſi imagines. Hortantur te uno ore amici omnes, ut magno ſis animo, utq; omnia ſumma ſperes. Hoc utiliſsimum iudicato, quod eſt cum honeſtate coniunctum.

DEHORTATIO MEA.

SIc habeto rationem dignitatis, ut memineris ſalutis. Fama ægre quidem reſtituitur, ſed reſtituitur tamen. Vita ſemel amiſſa nunquam recuperatur. Stultum eſt cum eo contendere, cui par eſſe non poſsis. Qui certat cum eo, quem non poteſt uincere, quæſo, quid aliud quàm iritat crabones? Fruſtra nitendo, nihil aliud quàm odium quærere, an non extremæ dementiæ eſt? Si aduerſus naturam tuam niteris, nihil aliud quàm cum dijs pugnaueris, & ſcis quomodo res ea ſucceſſerit Gigantib. Quanto cum periculo tententur ea, quæ uires noſtras ſuperant, Phaëtontis, Icari, & Gigantum fabula te docere poterit. Quàm non tutum ſit audacem eſſe erga potentes & armatos, Adonidis interitus docere nos debet.

QVIBVS RESPONDENDVM exhortatori.

CVm ego idipſum deſtinaſſem, addidiſti calcar ſponte currenti. Video quàm faueas gloriæ meæ. Itaq; dabo operam, ut non ſolum iudicio de me tuo, uerumetiam ſtudio ſatisfaciam. Quanquam ipſa res

iamdudum inflammarat animum meum, tamen non mediocre calcar addidit tua tam amica exhortatio. Vtinã fortuna, & meo animo, & tuo ſtudio reſpon/deat. Non alia ratione poteras me magis deterrere, quàm me conatus es incitare. Ais, quicquid præſcri/pſero, omnes habituros oraculi uice. Abſit, ut in ne-gocio tam periculoſo, meam autoritatem quiſquam ſequatur. Strenue tu quidem ſuffundis aquam, quod aiũt, ſed mihi magis opitulatore opus eſt, quàm hor tatore. Quin ipſe capeßis, ad quod me inſtigas? Si ui deres uires meas eſſe pares negocio, nihil eſſet opus, qui adderet animum. Animi ſatis eſt, ſi tantundẽ eſ/ſet uiriũ. Næ tu equum, quod aiunt in campũ pro/uocas. Te quidem autore nihil non audebo. Iſte tuus animus tam feliciter ominans, mihi fuerit auſpicij ui ce. Nutantem animum, tua exhortatio totum impu lit in curam huius negocij. Omnis iacta ſit alea. Nos tuis auſpicijs, rẽ fortiter aggrediemur. De exitu uide rint ſuperi. Nos quod in nobis eſt, fortẽ & erectum animum præſtabimus. Age, nos uela uentis pande/mus, tantum ut fortibus auſis aſpirent ſuperi. Vti/nam, quemadmodnm addis animũ, ita poßis & ſuc ceſſum rei dare. Tanti eſt apud me tua autoritas, ut te autore non dubitẽ uel in medio ſaltare foro. Quis tam eſt Therſites, quem iſta tua tam ardens oratio nõ faciat uirum? Acres ſtimulos addidit tua exhorta tio, ſed iam currenti, ut aiunt. Quod mea ſponte fa ciebam, id tuo hortatu multo faciam alacrius. Vt for ti militi, tubæ ſonitus ad prælium addit animos, ita tua

Prouerbium. (margin, beside "gocio tam periculoſo")

Hom. Iliad. 2. Adagiũ Therſitis facies. (margin, beside "te autore non dubitẽ")

tua exhortatio me ſatis iam animatum, reddidit ala criorem. Vt qui monet quaſi adiuuat, quemadmodum ait Plautus, ita qui hortatur, qui acclamat, qui applaudit. In Curcu. act. 1. ſcen. ultim.

DE EPISTOLA SVASORIA.

IAm ad ſuaſorium genus ueniamus, quod quidẽ ab illo ſuperiori non admodũ abhorret. Nam ut illic, ita hic quoq; laudem, ſpem, expectationem, cohortationi nonnũquam admiſcemus. Complectitur autem hoc genus uarias epiſtolarum ſpecies, quas ſeparatim tractabimus. Nã et qui petit, ſuadet, & qui commendat, & qui conſulit, & qui monet, & qui conſolatur. Suaſoriam igitur epiſtolam hoc pacto licebit inſtituere. Si res poſtulabit, captãda paucis eſt beneuolentia. Id quemadmodum fieri conueniat, à rhetoribus diligenter monſtratũ eſt. Deinde narrationem ſubijciemus, in qua omnia ad ſuadendum accommodabimus, & tanquam argumentorum ſemina iaciemus. Deinde ſi res ipſa partes in ſe continebit, eas cũ diuiſione proponemus. Quod ſi ſimplex erit, ipſi noſtro ingenio diuiſionem faciemus, & rationum capita, à quibus potiſsimum ſumus ſuaſuri, ſub diſtributione, ut diximus, enumerabimus. Deinde ſingulas rationes uarie, copioſeq; tractabimus. Si quid uehemẽter noſtræ ratiõi uidebitur officere, id ſtatim in principio deſtruemus: aut ut quidq; inciderit, ita confutandũ erit. Sed de rationũ inuentione prius, poſtea de earum tractatione præcipiemus. Sumũtur autẽ rationes ab his potiſsimũ partibus, honeſto, utili, tuto,

Quibus partibus cõſtet ſuaſoria epiſtola.

Exordium.

Narratio.

Diuiſio.

Confutatio.

iucundo, facili, neceſſario. Honeſtũ autẽ diuiditur in rectum & laudabile. Rectum in uirtutẽ et officium. Virtus in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, tempe rantiam. Prudentia in intelligentiam, memoriã, pro/uidentiam. Iuſtitia in naturam, conſuetudinem & legem. Natura in religionem, pietatẽ, gratiam, uindica/tionem, obſeruantiã, ueritatem, pactũ, par, iudicatũ. Fortitudo in patientiã, magnificentiã, fidentiã, perſe uerantiam. Temperantia in continentiã, clementiã, modeſtiam. Honeſtũ eſt, quod propter ſe eſt expetendum. Rectum, quod cum uirtute fit & officio. Virtus eſt animi habitus, rationi cõſentaneus. Officium eſt, uirtutis ad unamquanq; perſonam accommodatio. Id ſumitur ab ætate, ſcientia, dignitate, profeßione, alijsq; circunſtantijs: ut aliud eſt officiũ militis, præ/ceptoris, diſcipuli, cõſulis, prætoris, nobilis, plebei, obſcuri, ſenis, iuuenis, docti, indocti, uiri, fœminæ, coniugati, cœlibis. Quæ quidẽ officia pro loco, tempore, & rerum conditione uariantur. Prudentia eſt, rerum multarum memoria, et uſus complurium ne/gociorum. Memoria eſt, per quam animus præterita repetit. Intelligentia eſt, per quam ea quæ ſunt, per/ſpicimus. Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid uidetur, antequã fiat. Iuſtitia eſt æquitas, ius unicui/que tribuens, pro dignitate cuiuſq;. Natura ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam uis innata inſe/uit. Religio eſt uis inſita, quæ deorum metu, & cere monijs hominem ducit. Pietas eſt in parentes, aut pa/triam, aut alios ſanguine iunctos officiũ. Gratia eſt, offi/

Margin: Honeſtum. Prudentia. Memoria. Intelligẽtia. Prouidentia. Iuſtitia. Natura. Religio. Pietas. Gratia.

officiorum, bonorum & amicitiarum memoria, & enumeratio. Vindicatio eſt, quæ uim, & contumeliam defendendo aut ulſciſcendo propulſat, per quã peccata punimus. Obſeruantia eſt, per quam ætate aut ſapientia, aut dignitate aliquã antecedentes ueneramur. Veritas eſt, quæ nos mouet, ut rem ſicuti eſt, & ſicuti ſcimus, dicamus. Cõſuetudo ius eſt, quod ſine lege propter uetuſtatem, æque ac ſi legitimũ ſit, uſitatum eſt. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit. Par eſt, quod inter aliquos commune, & æquale eſt. Iudicatũ eſt, de quo alicuius uel aliquorũ ſententia iam conſtitutum eſt. Lex ius eſt, quod aut populi, aut imperatorum iuſſu conſtitutũ eſt. Fortitudo eſt, rerum magnarũ appetitio, & rerum humilium contemptio, et laborũ cum utilitatis ratione perpeßio. Magnificentia eſt, rerum magnarũ, cum ampla animi cogitatione adminiſtratio. Fidentia eſt, per quam animus in magnis et honeſtis rebus, multum in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Patientia eſt, rerum arduarum ac difficilium, honeſtatis ac utilitatis cauſa, uoluntaria & diuturna perpeßio. Perſeuerantia eſt, in ratione bene cõſiderata, ſtabilis & perpetua permanſio. Temperantia eſt, rationis in libidinem, atq; alios nõ rectos impetus animi firma ac moderata dominatio. Cõtinẽtia eſt, per quam cupiditas, conſilij gubernatione regitur. Clementia eſt, qua animi temere in odiũ concitati, comitate retinentur. Modeſtia eſt, per quam pudor honeſtus, claram & ſtabilem comparat autoritatẽ. Hæc ſunt quæ honeſta ap

Vindicatio. Obſeruantia. Veritas. Conſuetudo. Pactum. Par. Iudicatum. Lex. Fortitudo. Magnificentia. Fidentia. Patientia. Perſeuerantia. Temperantia. Continentia. Clementia. Modeſtia

pellantur, propter ſe expetenda. Quæ his autē contraria ſunt, turpia nominātur, & propter ſe ſunt fugienda. Et quoniā uirtutibus uitia ſunt finitima, nō difficile erit, quamuis rem uel ad laudem, uel ad reprehenſionē retrahere: idq́; uel à nominis deprauatione, uel ab aliqua circunſtantiarū. Sed hæc rhetorum ſunt, & ex eorum præceptis mutuanda.

Laudabile. Laudabile eſt, quod conficit honeſtam & præſentem, & ſequentem cōmemorationem. Id ex officio & uirtute naſcitur, neq; unquam ab honeſto ſeparatur.

Vtile. Vtilitas conſeruatione præſentium, & comparatione ſequentium commodorum, & in eorum, quæ his ſunt contraria, euitatione conſiſtit. Commodorum uerò, quæ & bona appellātur, quædam ſunt corporis, ut forma, uires, facultas, et eiuſmodi: quædam animi, ut docilitas, celeritas ingenij, memoria felix, bonitas naturæ & indolis. Ad hæc quæ noſtra paramus induſtria, eruditio, magnanimitas, temperantia, ac cæteræ uirtutes: quædam fortunæ, ut honores, magiſtratus, opes, amici, & eiuſmodi. Horum ut quidq; tractandum ſit, ne ſim prolixior, à rhetoribus peti iubebo. Tantum argumentandi formas annotabo, quæ rhetori conueniant: nam eas quas in tres figuras digeſſit Ariſtoteles, magna ex parte frigent, etiam in philoſophorum ſcholis. Quāquam hanc partem nō reperi in exemplari, quod apud me fuit manu deſcriptum. Atq; inter recognoſcendum plane comperi, hoc ab alio quopiā aſſutum fuiſſe, qui nactus ſit hæc in ſchedis meis, ex rhetorū præceptionibus, in alium

quenpiam uſum decerpta. Non reſecuimus tamen, quod in his magis deſideraremus aptam tractationem, quàm utilitatem.

DE CONPLEXIONE ET CAETERIS argumentationum oratoriarum generibus.

Complexio eſt, in qua utrumuis conceſſeris, reprehenditur. Vare, ſi tibi bonus præceptor fui, quid inſectaris bene meritum? ſin malus, cur reuocas? Poëtas deſine calumniari, quos ſi ipſe didiciſti, cur in alijs reprehendis, quod ipſe feceris? ſin, quod magis credo, non didiciſti, cur quod ignoras, calumniaris? Pater ſi maritum improbum noueras, cur me illi collocaſti? ſi probũ, cur me diſtrahis? Gabiniũ admonendum non cenſeo, nam ſi probus eſt, nõ eſt reprehendendus: ſin improbus, admonitionem tuam contemnet. Miſerum eſt habere uxorem: nam ſi formoſa ſit, metu angeris: ſin deformis, hoc ipſo miſer eris, quod deformem habes. Si meminiſtis, obtundam. ſin obliti eſtis, quum re nihil egerim, quid uerbis efficere poſſim? Stultum eſt, cuiquam abſenti obtrectare: nam ſi amicus eſt, cur præſentem potius non admones? ſin inimicus, cur odium eius irritas, & illi nihil noces? De futuris euentis angi metu nõ debemus: etenim ſi bona ſint, früſtra metuimus: ſin aduerſa, infœlicitatem duplicamus. Deprauate autẽ cõplexio dicitur, quum aut utraq; pars, aut altera conuerti poteſt, & in aduerſarium retorqueri, ut illud apud Aulum Gellium: Intẽdo tibi litem, ſi perſuaſero me nihil debere, non

Dilemma
Exempla

De falſa complexione.

reddo mercedem, quia perſuaſi: ſin minus perſuaſero, nihil debeo, neque enim didici artem. Sic utraque pars conuertitur: Si perſuaſeris te nihil debere, dabis, quia didiciſti artem: ſin minus perſuaſeris, rurſus accipiam, quia non perſuaſiſti. Accuſandus omnino nō eſt: nam ſi ueretur, quid cū accuſas, qui probus eſt? ſi non ueretur, quid eum accuſas, qui id parui æſtimet? Inuerte partem priorem: Imo ſi ueretur, maximè eſt accuſandus, ut corrigatur. Inuerte poſteriorem ſic: Imò ſi non ueretur, hoc ipſo eſt accuſandus, quia improbus. Complexio, quæ ex oppoſitis partibus conſtabit, refelli non poterit, ut hæc: Non ſum accuſandus, ſi aliter euenit quàm putaui. Nam ſi ſciebas id non profuturū, tu potius es accuſandus, qui quod Reipublicæ utile uidebas, præſens conticuiſti: ſin neſciebas, nec hic ſum accuſandus, cum & tu eiuſdem futurorum inſcitiæ reus ſis. Enumeratio eſt, in qua pluribus rebus expoſitis, ac cæteris infirmatis, una reliqua neceſſario cōfirmatur, hoc modo: Si illum ab hoc dicis occiſum, quum ſine cauſa nūquam ſuſcipiatur maleficiū, neceſſe eſt, aut metu, aut odio, aut ſpe alicuius commodi, aut amici alicuius gratia ab hoc eſſe occiſum: ſed neq; odiū neq; metum, neq; ſpem interceßiſſe, neq; ad amicum aliquem mortem eius pertinere, probare poteris. Relinquitur ergo, ab hoc non eſſe occiſum.

De enumeratione.

ALTERVM EXEMPLVM.

Quoniam hunc fundum conſtat meum fuiſſe, quem tu nunc poßides: neceſſe eſt aut hæreditate tibi obuenisse,

niſſe, aut te uacuum occupaſſe, aut hunc emiſſe, aut uſu tuũ feciſſe, aut certe me inde ui deieciſſe. Me ui/uo mea res hæreditate tibi obuenire non potuit. Emptio nulla profertur. Vacuum, quod meum fuiße conſtat, poßidere non potes: uſu tuum non feciſti. Relinquitur igitur, ut ui me à mea poßeſſione deieceris. Hæc argumentatio confutatur, ſi aut unum aliquod membrum, quod ab aduerſario præteritum erat, profertur: aut ſi unum quippiam ex his quæ prolata ſunt, falſum oſtenditur. Vt ſi dicat eum agrum ſibi datum eſſe, quod ille in enumeratione prætcrierat: aut ſi emptionem proferat, quod alter in enumeratione nega/rat. Simplex concluſio, eſt argumentatio, in qua ex eo quod antecedit, aliquid conſequi neceſſe eſt, hoc modo: Si hunc hominem in prouincia conſtat fuiſſe occiſum, ab hoc qui tum Romæ fuit, occidi non po/tuit. Item: Spirat, igitur nõ eſt mortuus. Peperit, igi/tur cum uiro concubuit. Cum uiro concubuit, igitur uirgo non eſt. Homo eſt, igitur animal eſt. Poetas no/uit, igitur didicit. Hæc argumentatio confutatur, ſi non cohærere conſequens oſtẽditur: ut, Si mater eſt, diligit filium. At Medea (dicet aduerſarius) filium interfecit. Poeta eſt, igitur laſciuus. At Prudẽtius continentißimæ uitæ fuit. Sunt enim quædam, quæ pro/babiliter quidẽ, ac iuxta ſenſum cõmunem, ſed neq; neceſſario, neq; perpetuo conſequũtur. Ferè fit, ut iuuenes illaqueentur amoribus, ſed reperias caſtißimis moribus præditos. Aut ſi quod antecedit, negabitur: ut ſi in primo exemplo dicat aduerſarius, eum nõn

De ſimplici concluſione

Romæ,ſed in prouincia fuiſſe. Subiectio eſt,argumẽtatio,in qua quærimus, quid pro aduerſario, aut contra nos dici poßit. Deinde per ſingulas interrogationes propere ſubijcimus rationes, quibus id quod dictum eſt,non ita eſſe oſtendimus,hoc modo: Quæro igitur, unde iſte ex tenui, tam pecunioſus ſit factus? Patrimonium amplum relictum eſt? At patris bona uenierunt. Hæreditas aliqua obuenit? At à ſuis exhæredatus eſt. Ex mercatura quam agere conſtituit, quæſtum maximum cõſequutus eſt? At ex ea re,quæ habere uidebatur,omnino amiſit. Quare ſi his rationibus locupletatus non eſt, aut illi aurum domi naſcitur,aut unde nõ oportuit, ſurripuit. Numeratur hæc argumentatio & inter exornationes. Nam quatenus aliquid colligimus, argumentatio eſt: quatenus ornatam conficit orationem, exornatio putatur. Neque tantum ad concludendum adhibetur, quum non minus habeat dignitatis,hoc modo: Quid faciam miſer? taceam? inſtigem? purgem me? laterem lauẽ. Reprehenditur hæc argumẽtatio,ut enumeratio: à qua non multũ differt, ſi aut aliquid prætermiſſum oſtenditur,aut infirmatur aliquid ex enumeratis. Oppoſitio eſt,argumentatio, in qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam propoſitionem reuertimur, hoc modo: Si eo tempore,quo hunc hominem in prouincia occiſum dicitis,Romæ fui, relinquitur à me occiſum non fuiſſe. Hæc propoſitio eſt,cuius oppoſitum ſequitur. Nam ſi eo tempore, quo hunc hominem in prouincia occiſum dicitis, in prouincia fuiſſem, à me occiſum

De oppoſitione.

fum

ſum ſuſpicari poteratis: nunc autem, cùm eo tempore in prouincia non fuerim, nihil eſt, quod hominem à me occiſum ſuſpicemini.

ALIVD EXEMPLVM.

Oportet nouo exẽplo contra Cimbros C. Ma*rium imperiũ cõtinuare:* Nam *ſi pax eſſet, & nullus nos ad novas cogitationes cogeret, liceret autẽ facere quæ uolumus, nunquam nobis, Quirites, nouandũ aliquid dicerem contra exempla atq; instituta maiorum. Cõtentus enim eſſem moribus his, legibus, eaq; conſuetudine, quæ nobis à patribus tradita eſt.* Nunc *autem cum bellum acerrimum ſit, & hoſtes* Italiam *deuaſtent, quotidieq; propius ueniãt, ac iam urbi imminere uideantur, is qui omnibus imperatoribus antecellit* C. Marius, *uel cõtra inſtituta ciuitatis (ſilent enim leges inter arma) ut nos liberet, nouo quodam exemplo, hoc etiam anno conſulatum ac imperium contra Cimbros accipiet. Etenim quæ nõ faceremus ſi pax eſſet, hæc nobis cum bellum ſit, neceſſario ſuſcipienda uidentur.*

Redit ad priorem propoſitionem.

ALIVD EXEMPLVM.

Non *ab inſignibus modo, uerum etiam à leuiſſimis uitijs nobis temperandum eſt.* Nam *ſi nulli nobis eſſent inimici, facile iſtis uitijs ignoſcerem, quæ & humana ſunt, & ipſa ætate penè excuſantur.* Nunc *autem quum in dignitate uitæ conſtitutus, à pluribus inuidis & maleuolis obſerueris, dandam tibi operam cenſeo, ne uel in minima culpa deprehendi queas.*

Hæc propoſitio eſt oppoſitio.

ALIVD

ALIVD EXEMPLVM.

Grauiſſimè omnino iſtam iniuriā ferā neceſſe eſt, quæ ſi mihi ab alieno quopiam, de quo nihil eſſem benemeritus, obiecta eſſet, æquiore animo ferrē: liceret enim inimicū ulciſci, & ſimplex uulnus eſſet: Nunc autem cum ab eo hanc contumeliam acceperim, qui cum ſumma mihi familiaritas fuit, et in quem tantum officiorum contuli, quantum in alium neminem, non moleſtiſſime ferre non poſſum. Duplicatur enim uulnus, cum iniuriæ ingratitudo ſumma additur, et eum quo amico ſum uſus, ſine ſumma turpitudine non licet ulciſci.

ALIVD EXEMPLVM.

Haud æquum eſt, ut tibi meam operam ſine fructu commēdem. Nam ſi referendi facultas tibi deeſſet, uoluntas prompta adeſſet, uoluntate contentus eſſem: Nunc autem quum ſis opulentiſſimus, & id tibi ſuperſit, quod mihi deeſt, haud par eſt, te gratis meum officium poſtulare.

Violatio. *Violatio, quam Græci βιαῖον appellāt, eſt argumentatio, in qua ex aduerſariorum ratione, non id quod ipſi uolūt, ſed quod nobis utile eſt, ſequi demonſtramus. Hæc in confutatione ſolum adhibetur.*

EXEMPLVM.

Non eſt ducenda uxor. Ratio, eo quod ex connubio, in orbitatem & luctum incidamus. Imò eo maximè eſt uxor ducenda, quæ filijs alijs procreatis, luctum orbitatis à nobis expellit.

ALIVD

ALIVD EXEMPLVM.

Non ſunt legendi poëtæ, demulcent enim legentis animum, & alliciunt. Imò *ob id ipſum ſunt legendi, quia demulcent animum.*

ALIVD EXEMPLVM.

Nihil eſt magni tentandum cuiquam, eo quod breuis ſit hominis uita. Imò *tãto magis aliquid egregij tentandum erit, ut quum diu uiuere nõ poßimus, aliquid relinquamus, quo nos uixiſſe teſtemur.* Et iterum: *Damnandus eſt, occidit hominem, imò præmio donandus, qui tyrannum hominem occidit.*

Inductio *eſt, argumentatio, quæ rebus non dubijs conceßis, propter ſimilitudinẽ, rem quæ dubia erat, comprobat.* Dic *mihi prætor, uarijs ſentẽtijs pugnãdũ, nec ne, ſi illo die inter nos diſſenſiſſemus, utrius ſententiæ ſtaretur?* Non *eſt dubium, inquis, quin conſulis.* Quod *ſi diuerſa fuiſſent auſpicia, et mea quidẽ pugnandum eo die ſignificaſſent, tua quieſcendum, meis ne auſpicijs pugnãdum fuiſſet, an tuis quieſcendum?* Meis *ſcilicet, quia conſul fui, parendum dices.* Age *uerò, ſi meis auſpicijs, mea ſentẽtia, pugnatum proſpere eſt, æquúmne tibi uidetur, eum honorem ex ea re aſſequi, cuius ne ſentẽtia, nec auſpicijs quicquam actum eſt?* De inductione.

ALTERVM EXEMPLVM.

Dic *mihi ſenex ingratißime, ſi nihil in te beneficij colloca ſſem, num tu me iniurium uocaſſes?* Non, *inquies.* Neq; *enim iniuria uideri poteſt, ſi nihil de eo benemerearis, cui nihil debes.* Nunc *igitur quum ultro*

dolus acerrimi & capitalis inimici, nihil metuētis ſolitudo et ſecuritas, poteſtātē interimendi fortiſſimū uirum deterrimo omnium atq; perfidiſſimo præbuerunt. Non credat hoc quiſquam, niſi cōſtet nihil eſſe *Vlyſſis animo ſceleratius atq; improbius.* Cuius rei *indigna mors* Palamedis, *præclarum teſtimoniū eſt, quum ſingularis prudentiæ uirum dolo atq; inſidijs confiſus, uel publico iudicio ſuperare poſſe ſperauerit.* Quod ſi non in ſyluis, neq; in ſolitudine, ſed celeberrimo loco, cunctis ſpectantibus, publico iudicio ſapientiſſimum hominē ſuperare poſſe credidit, quāto magis ſolum atq; incautum, idq; in latebris interimere poſſe ſperauit? præſertim cum Palamedis iniuſta nex animum ad maius facinus audendū accenderit. Quare ſi ſyluā, ſi ſolitudinem, ſi illum inermem, incautum, hūc præmeditatum hæc omnia, paratūq; fuiſſe intellexiſtis, nolite amplius dubitare iudices, Aiacem ab Vlyſſe occidi potuiſſe.*

ALIVD EXEMPLVM.

Nihil dementius eſt, quàm de improbo homine benemereri. Quiſquis enim id facit, ſuo officio, ſuoq; ſumptu hoſtem ſibi facit eum, quem neq; amicum, neq; inimicum habere licuit. Nam ſi eum ſuis officijs nullis deuinxiſſet, nihil cum improbo commercij fuiſſet. Nunc quum is ei ſe deuinctum ſentiat, cui gratias referre nolit, cui debitorem uideri pudeat, neceſſe eſt, ut eiuſmodi hominem extinctum uelit, ne ſit, cui debere ſuperbiſſimus ſimul & ingratiſſimus homo uideatur. Id ſi cui obſcurū uidetur, Trebonij hominis* Propoſitio. Ratio. Confirmatio.

minis innocentiſsimi caſu, liquido poterit intelligere, qui cùm Varum ſenem, omnium quos terra ſuſtinet, ingratiſsimum, amicum etiam habere potuiſſet, ſi nihil de eo meritus eſſet, eum ſuis ſummis beneficijs, acerrimum effecit inimicum. Itaq; quanto ſe deuinctiorem illi intelligit, cui homo ſuperbiſsimus minime uelit, tanto diligentius in eius perniciem incumbit.

Expoſitio. Quis eum hominem ſanæ mētis iudicaret, qui latroni gladium quo ipſum iugularet, ultro miniſtraret? Nihilo plus ſapit is, qui improbum & ingratum demerēs, cauſam illi præbet, cur ſe perditum uelit.

Concluſio. Quare cum noſtro beneficio ſummum malum nobis parari intelligamus, & quemadmodum amico noſtro ceſſerit, uideamus, ipſo Oreſte uidebimur inſaniores, ſi poſthac improbum hominem noſtris beneficijs demereri uelimus.

ALIVD EXEMPLVM.

Propoſitio. Sapientis eſt, famæ ſuæ longe diligētius, quàm opibus ſuis, non minus uerò diligenter quàm uitæ conſulere.

Ratio. Minus ſiquidem damni & incommodi accipit, qui pecuniam, aut etiam uitam amittit, quàm qui famam.

Confirmatio. Pecunia enim amiſſa ſarciri poteſt, fama ſemel amiſſa, in integrum reſtituitur nunquam. Et uita quidem corporis, quum certos à natura terminos acceperit, in longum tempus extendi nequit. Fama uerò hominis, quæ eſt altera & potior uita noſtra, etiam poſt cineres & rogum ſupereſt. Vitam igitur quiſquis eripit, rem adimit, qua nullo etiam auferēte, diu frui non poteramus.

Ad

At famā qui eripit, re immortali & pulcherrima nos ſpoliat. Quod ueteres recte intellexiſſe mihi uidentur, qui non pecuniam modò, uerumetiam uitam ipſam effundere non dubitabant, quo nomen ſuum quàm maxime prorogarent. Multos fuiſſe eo animo legimus, ut poſtquam ſe fama ſpoliatos uiderent, ne cauſam quidem eſſe putarent, cur diutius in uita manerent. Adeo grauius famæ, quàm uitæ diſpendiū iudicabant. Quod ſi homines iis rebus maxime timere uidemus, quæ cùm ſint precioſiſſimæ, facilimè tamē perduntur, ac difficilime reſtituuntur: ſapiens exiſtimandus non eſt, qui famæ, quæ neq; reſtitui poteſt ſemel amiſſa, & qua nihil habet homo precioſius, nō multo diligentius conſulendū putat quàm pecuniæ, aut etiam uitæ. Poteſt etiā tribus duntaxat, aut quatuor partibus confici collectio: ſi uel cōfirmatio, uel expolitio, uel utraq; omittitur. Ratiocinatio eſt, argumētatio perfectiſſima, quæ accōmodatione aſſumptionis, ad id quod propoſitum eſt, elicit concluſionē. Hæc quoq; ſicut collectio paucioribus partibus conſtare poteſt, tamē ea quæ perfectiſſima putatur, quinque partibus cōſumitur: propoſitione, ratione, propoſitionis aſſumptione, aſſumptionis ratione, & complexione. Propoſitio eſt, per quam breuiter is locus proponitur, ex quo omnis emanat uis argumentationis. Ratio eſt, quæ demonſtrat uerum eſſe, quod propoſuimus uno, pluribusúe argumentis. Aſſumptio eſt oratio, per quam id, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur.

Expolitio.

Concluſio.

De ratiocinatione.

Propoſitio.

Aſſumptio.

m Aſſum-

Aſſumptionis ratio eſt,per quã id quod aſſumptũ eſt,confirmatur.Cõplexio eſt,per quã id quod ex tota argumẽtatione cõficitur, exponimus hoc modo:

Omnes qui cauſam habent ad ſuſcipiendũ facinus, ſi uita eorum à maleficio non abhorret,libenter maleficiũ ſuſcipere ſolent. At Vlyſſes interficiendi Aiacis ſummam cauſam habuit: nec eſt homicidium ab eius uita alienum. Vlyſſes igitur interficiendi Aiacis maleficium ſuſcepit. Hæc eſt ratiocinatio tripartita, omiſsis rationibus. Hanc quinq; partibus hoc pacto tractabimus. Omnes homines,iudices, quorum uita per cõſuetudinem à ſcelere nõ abhorret,odio ſic mouentur,ut uehementer exoptent,ſuas inimicitias quouis explere facinore. Nã eiuſmodi homines,qui manus ſemper iniuſto ſanguine cruentas habere conſueti ſunt,cùm non poßint à uitio animi recedere: nõ ſolum,cum aut ita accidit, ut commodum conſequantur,aut incommodum maleficio uitent,mouentur ad facinus,uerumetiam ipſi cauſas quærunt, quibus ſocio iniurias manus adferant. Etenim ſi boni uiri cauendum putant,ut ne cauſam quidem habeant, qua prætermittere officium cõpellantur,hos crudeles uiros,hos iniquos, qui ſemper ſanguine gaudent, non mirũ eſt interficiendi hominis cauſam quærere. Præterea,ſi boni nonnunquã metu aut inimicitijs, à recta uia qua ſemper uixerunt, depulſi ſunt, quis non credat homines prauos cõmodo ſuo moueri, ut conſeruare conſuetudinem ſuam uelint?

Illi uirtutem ſibi ſolitã utilitate decepti omittunt,

hi officium quod nunquam obſeruauerunt, cum utilitatem ſcelere adipiſci ſe poſſe intelligunt, obſeruabunt? Videlicet ignoratis, iudices, quanta uis ſit iræ? quid inimicitiæ poßint, quid odium pariat? Non dico hic beluas ira & odio moueri, ut alteri noceant. Non dico multos ſapientißimos uiros, odio atq; ira permotos, temperare ſibi nõ potuiſſe. Præterire melius eſt, quot urbes, quot regna, quot gentes infectæ odio iacent. Quare iudices, ſi etiã bonos inimicitijs corrumpi uidetis, huiuſmodi homines, qui per conſuetudinẽ à maleficio abeſſe nõ poſſunt, odio motos, obtruncare inimicũ uoluiſſe dubitatis? At Vlyſſes acerrimus inimicus, capitaliq; odio ab Aiace dißidebat. Scitis enim omnes, ſcitis: nec opus eſt, ut altius rẽ uobis aperiã, quem in illum animũ geßit, poſt iniquiſſimam illam contẽtionem armorum. Scitis timidum hunc hominem qui nihil unquam uirtute animi, omnia fraude egerat, fortißimum hominem, acerrimum hoſtem, inimicorum perſecutorẽ, iniuria laceßitum uehementer extimuiſſe. Intelligebat enim, niſi uitam illi eriperet, ſe incolumem eſſe non poſſe. Conſueuerat, ſi manifeſte non poterat, quouis modo aduerſarios aggredi: cui rei Palamedis indigna mors teſtimonio eſt, quẽ quum prudentia omnes ſuperare uidebat, non ignoratis qua proditione, quibus inſidijs, quia inuidia motus, occiderit. Atq; ex illo nullũ periculum metuebat. Aiacis metu conficiebatur. Hac in re inuidia, odium, ira, & metus, ſimul concurrunt. In Palamedem inuidia ſolum mouebatur. Quare iudices, huiuſmodi homines, uel parua de cauſa

*maleficia ſuſcipere ſolēt.*Hic *autē odio acerbo Aia cis,ac metu perculſus erat.*Non *eſt audiendus,ſi ne/ get ſe* Aiacem *interficere uoluiſſe.* Propoſitiones *au tem,à principalibus cauſarum locis inueniuntur,ut in coniecturali ſtatu, à petitione teſtium,hoc modo: Sine teſtibus non eſt audiendus aduerſarius.*In *nego ciali conſtitutione,à lege hoc pacto:* Non oportet ali quid *innouari contra leges.*His *cõtraria,ut non ſunt omnis rei petēdi teſtes: plurima enim flagitia occul te cõmittũtur.* Et *hoc tēpore cõtra leges aliquid in/ nouare oportet.Si uerò id quod ab aduerſarijs propo ſitum eſt,aut proponi poterat,refellere uoluerimus, tum utendum erit propoſitione,ſublatione,oppoſita propoſitione,ſolutione.* Propoſitio *eſt, ſublationis pollicitatio.*Exemplum: Nec *me clàm eſt,quid calli diſsimus ſenex calumnietur.*Sublatio *eſt aduerſarij.* Exemplum: Non *debuiſſe me contra pactionē diſce dere.* Oppoſita *propoſitio eſt,ſolutiõis pollicitatio:* Vt,Verum *id quàm friuolum ſit,nõ eſt difficile oſten dere.*Solutionē *ſecũdarijs locis cõfirmabimus, hoc modo:* Ridicule *enim mihi pactionem allegat, quã ipſe prior ſoluit.*Conuenerat,*ut biennium abs me do ceretur,fateor:uerũ ea lege, ut ille mores in melius mutaret:* Nunc *cum ex malo factus ſit peſsimus, ab utro noſtrum eſt pactio uiolata?nempe ab iſto.*

De propoſitionis inuentione.

ALIVD EXEMPLVM.

Nec *audiendos* Theologos *puto,qui poëtas legen dos negent, quod uerborum nitore legētis animum uehementer alliciant.* Quid *enim magis pro poëtis*

dici

dici poteſt? Nam ſi, ut fatentur, poëtæ mira quadam dicendi politie, uenuſtateq; delectant: cum ea uoluptas nō modo à turpitudine abſit, uerumetiam ſummam adferat utilitatem, cauſa eſt oſtenſa, cur maxime poëtas legere debeamus.

Rationes porrò, quibus propoſitiones confirmantur, inueniuntur à circūſtantijs, quæ ſex numerari ſolent, perſona, res, cauſa, locus, tempus, modus: quibus additur à nōnullis ſeptima, materia. Perſona eſt, quæ ad aliquā rem confirmandā uel infirmandā capitur, hominis cōditio. Perſona eſt duplex: Vna extra cauſam, ut maiorum aliorum iudicum, auditorū. Alia in cauſa, ut accuſatoris, rei, iudicis, teſtium. Perſona in decem partes diſtribuitur: Nomen, naturam, uictū, fortunam, habitum, adfectationē, ſtudia, facta, caſus, orationes. Additur & conſilium. Nomen proprium, ut Cato Sapiens, Ariſtides Iuſtus, Metellus Numidicus Pius, Pomponius Atticus, Melauius Polynices, Petrus Candidus. Nomē commune ciuitatis, aut gentis, aut prouinciæ: ut Pœnus perfidus, Græcus leuis, Athenienſes ſtudioſi, Romani bellaces. Ab his ſæpe rationem ducimus, maxime in genere demōſtratiuo, nomen fortuitò impoſitum in calumniam trahentes: Vt, Hic uerò nomine Niger, nomen ex re habet. Credo hoc nomen non fortuitò, ſed præſagio quodam et omine cōtigiſſe. Aut inuertimus nomen, ut, falſo nomine Innocentius, cùm nihil ſit eo nocētius. Candidus, cùm præter nomē nihil habeat cādidi. Aut per antiphraſin: Vt, Vigilantius dictus, cùm Dormitantius

De rationum inuentione. Perſona. Quæ conſideranda in unaquaq; perſona.

Nomen.

tius merita debeat appellari. Fingimus & ipſi nomina, de quo ſuo loco dicemus. Nihil enim ad rationũ inuentiones ea res attinet. Natura aut diuina, aut humana & mortalis eſt. Diuina ſumitur ex augurijs, extis, ominibus, prodigijs, oraculis diuinitus dictis. Mortalis natura diuiditur in ſexum, ut Vir, mulier: Nationem, ut Græcus, Barbarus: Patriam, ut Romanus, Athenienſis: Cognationẽ, ut nobilis, ignobilis: Aetatem, ut puer, iuuenis, ſenex: Dignitatem, quæ in commoda animi & corporis diſtribuitur, ſiue etiam incommoda. Animi autem commoda, et incommoda ſunt, ut acutus, hebes, memor, obliuioſus, prudẽs, ſtultus, timidus, audax: dum hæc inſunt à natura, nõ induſtria comparata. Corporis autem ſunt, ualetudo, imbecillitas, longitudo, breuitas, formoſitas, uelocitas, tarditas, candor, fuſcedo. Item & naſutus, hirſutus, glaucus, et huiuſmodi. Victus diſtribuitur in educationem, apud quos, quo modo, et cætera. In uſum, ut quo in negocio, quo quæſtu ſit occupatus, & cætera. In mores, ut libidinoſus, an frugi: auarus, an liberalis, & eiuſmodi. In fortuna conſiderandũ eſt, ſeruus ne ſit, an liber: pecunioſus, an tenuis: exul, abdicatus, an ſecus: priuatus, an cũ poteſtate: fortunatus, an infortunatus. Adfectio, eſt animi & corporis ex tempore aliqua mutatio: ut, uultus lætus, triſtis, cupiditas, metus, titubatio, pallor, rubor, tremor, oculorũ ſuffuſio, geſtus inſolitus, inceſſus modo citus, modo tardus, quæ inter ſigna cõiecturalia numerãtur. Habitus, uirtutes & uitia corporis & animi complectitur,

Natura. Victus. Fortuna. Adfectio. Habitus.

tur,quæ non inſunt à natura,ſed induſtria ſunt com parata:ut,uelocitas,robur,ingenium,memoria,pro bitas,eruditio,facundia & huiuſmodi. Studium eſt, uehemens animi ad rem quampiã applicatio:ut,me-dicus,orator,poëta,theologus,miles,uel equorũ ſtu dioſus,& eiuſmodi. Facta,caſus,& orationes,ex tri bus temporibus cõſiderantur. Ex præterito,quid fe cerit, quid illi acciderit, quid dixerit. Ex præſenti, quid faciat,eueniat,quid dicat. Ex futuro, quid factu rus ſit,quid illi euenturum ſit, quæ dicturus ſit, aut ipſe aut eius ſocij,ciues,maiores,amici,inimici. Cõſi lium eſt faciẽdi excogitata ratio. Res eſt totius nego cij certis ſignis conflata complexio, quæ potiſſimũ in epilogis adhiberi ſolet. Cauſa diuiditur in impulſi onem,ratiocinationẽ. Impulſio eſt, temerarius impe tus animi ad aliquid faciendũ,aut non faciendum:ut, ira,cupiditas,uiolentia,timor,furor,& omnis animi perturbatio. Ratiocinatio eſt,quæ commodorũ com paratione,aut incommodorũ uitatione ad rem hor-tatur. Ea conſiſtit in commodorum adeptione,reten tione,augmento,aut incommodorum euitatione,re-iectione, diminutione. Eſt autem duplex cauſa, prin cipalis, & acceſſoria. Principalis, ut occidit homi-nem, ex quo pecuniæ maximam ſummam ſperabat. Acceſſoria,præterea non ignorans ſe Clodio, huius inimico acerrimo,rem gratã facturũ. Locus oppor tunus,aut importunus, anguſtus, amplus, nemoro-ſus, montoſus, longinquus an propinquus, celebris an deſertus,ſacer an prophanus,publicus an priua

Studium. Facta. Conſilium. Res. Cauſa. Locus.

qui ſemper ad utilitatem Reip. aliquid noui ſolemus excogitare. Maiores enim noſtri ex cõmodo Reip. reges expulerunt, & decemuiros continuare impe rium paßi ſunt: & tribunos plebis ſacroſanctos con ſtituerunt. Scipionem ante tempus conſulem creaue runt. Si paterfamilias multa è re ſua, innouare nõ ue retur, ſenatus ob Reip. commodum quippiam inno uare non audebit? Si tẽpore pacis innouare quicquã ſolemus, tempore belli, cum res poſtulat, eſt innouan dum. Profluit expolitio à circunſtantijs, unde & ra tiones. Eſt autem expolitio, quiddam ex ratione con firmationeq́; conflatum, hoc modo: Continuare Sci pioni imperiũ, uel contra leges oportet. Nã & ma iores noſtri ex utilitate Reip. decemuiros facile con tinuare imperiũ paßi ſunt. Atq; illi tũc in pace, nos coacti bello quid faciemus? Et illi ad ornandã Rem pub. nos ad defendẽdam libertatem faciemus. Et illi decemuiros cõtinuare imperiũ ſimul paßi ſunt, nos unum ſolummodo non patiemur? Et illi Appiũ Clau dium hominem, ut res docuit, libidine perditum, atq; tyrannicum, nos Scipionẽ, qui ea continentiæ exem pla dedit Numantiæ, ut omniũ probatißimus uidere tur. In exornationibus uerò lõge aliter de expolitio ne præcipitur. Hoc monendus eſt ſtudioſus, ſicut ad unam propoſitionem confirmandã, plures rationes adferri poſſe, ita unamquanq́; rationẽ pluribus con firmationibus poſſe muniri: & item ad confirman das ſingulas, plures expolitiones poſſe adhiberi. Ve rum quemadmodum rationes propoſitionibus bre-

[Margin: Ab exemplo A minori. / Cõfirmatio à contrario. / De inuctione expolitionis. / Confirmatio. Expolitio. ex tempore. / A cauſa. / A re. / A perſona.]

uitatis cauſa nonnunquã admiſcentur, ita confirmatio rationi, cõfirmationi expolitio intexitur. Eſt igitur hoc loco expolitio, ſiue enthymema, oratio quæ à circunſtantijs ad confirmationẽ nõ ſine collatione fertur. Epenthymema eſt, quædam addita enthymemati, acuta excogitatio. Exempli cauſa: Coriolani factum pluſquam hoſtile nobis uideri debet: tyrannicum enim eſt, patriã expugnare. Hoſtes enim oppugnãdi nõ ſunt, quibus hic maiori odio eſt proſequendus, quod illi alienam, hic ſuam patriam oppugnat. Et cui plurimum debet, hãc euertere conatur. Fluit quidem comprehenſio à circunſtantijs, ſed approbatur à quadam, aut totius in minora, uel pauciora, inciſione, aut ſimilium enumeratione, aut fictoria ratione, quæ oppoſitum rei confingat.

De enthymemate, & epenthymemate.

Propoſitio.
Ratio à re.
Confirmatio à contrario.
De comprehenſione.

EXEMPLVM.

A fictoria ratione.

Simulat, non amat puella: quæ ſi uirum quenpiam amaret, non ego te ueneficij accuſarem. Si teipſum arderet, artes tuæ mihi ſuſpectæ non eſſent. Si alium quendam furorem fureret: ſi alia ægritudine laboraret, non te accuſarem. Pater tres ſemel interfecit filios, ſi duos interfeciſſet, ſi unum ſolum, ſi nõ filium, tamen moleſte ferretis. Miſit centum talenta Philippus Athenienſibus, quibus Demoſthenes ſibi traderetur. Non ſi mille daret, nõ ſi decem milia, non ſi ciuitates, gentes, prouincias, regna ſimul omnia conferret, Demoſthenem qui Græciæ libertatẽ, tum prudentia ſua, tum eloquentia tutatus eſt, tradituros putarem. His ego talẽtis, nõ dico Hyperidẽ, aut Aeſchinem,

A ſimiliũ enumeratione.
Ab inciſione totius in pauciora.
Ab inciſione in plura.
Ab inciſione in minora.

nem,ſed ne plebeium quidẽ quẽpiam, aut opificem, aut omnino ciuem infimum traderem.

ALTERVM EXEMPLVM.

Ego ſi tuos filios(ſi modo tui dicẽdi ſunt,quos crudeliſsime trucidaſti)aut uerberibus affeciſſes,aut exilio & abdicatione notaſſes,moleſte tamen etiam ferrem, tot pulcherrimos iuuenes uel clariſsimo patriæ ſolo priuari,uel indigne uerberibus cædi. Nũc uerò cum non abdicatione,non exilio,nõ uerberibus:ſed morte tres ſimul abſtuleris,non expoſtulem? non accuſem? nõ grauiter ferã? Et qui ſi unum interfeciſſes,exclamarẽ,nunc tribus necatis,ſilebo? Inueniuntur item argumẽta & rationes à locis topicis, nempe à genere,ſpecie,differentia,proprio,definitione, toto,partibus,cauſis,effectis, uſibus, iunctis,iudicato,ſimili,maiori,minori,pari,proportione,oppoſitis,tranſumptione,caſu,cõiugatis,diuiſione. Genus eſt, quod continet ſpeciem. Ad generis negationem conſequitur & ſpeciei remotio,non cõtra:ut,uirtus non eſt,igitur nec iuſtitia. Animal non eſt,igitur nec homo. Remota ſpecie,non conſequitur remotio generis,ſed affirmata ſpecie,ſequitur affirmatio generis. Iuſtitia non eſt, igitur uirtus non eſt, non conſequitur: iuſtitia eſt, igitur uirtus eſt, conſequitur. Ad remotionẽ tamen totius generis, conſequitur remotio cuiuslibet ſpeciei. Rurſus ad affirmationẽ totius generis,conſequitur affirmatio uniuſcuiuſq; ſpeciei: ut,omne argentum legauit,igitur & cælatum legauit. Omnibus ſcientijs operam dare iubemur, igitur

Ab inſiſcne totius in pauciora.

A genere.

& poëticæ. Nullà uirtus eſt principi negligenda, igitur nec clementia. Remouetur tamen neceſſario genus, ſi quis formas eius omnes per enumeratione͂ negauerit, hoc modo: Nã quod nec ratione utitur, nec A differe͂tia. *brutum eſt, id ne animal quidem eſt. Differentia eſt, qua genus diducitur in ſpeciem. A differe͂tia æqualiter infertur, & remouetur ſpecies, quam conſtituit. Genus aũt comprobatur, non improbatur, ut ſuprà dictum eſt de ſpecie: ut ſi ſentit, eſt animal: ſi ratione caret, homo non eſt. Ratione nõ caret, igitur & animal eſt. Nam ſi ratione non caret, nõ ſtatim animal* A proprio. *non erit. Propriũ eſt, quod ſoli ſpeciei accidit, ut homini riſus. Id, quemadmodũ differentia, id cuius eſt proprium poſitum, infert, remotum aufert. Vt, quod riſibile eſt, id hominem eſſe neceſſe eſt. Quod riſibile non eſt, id ne homo quide͂ dici poteſt. Si tyrannicidæ propriũ eſt, tyrannum occidere, hic tyrannũ occidit, igitur præmio donãdus. Hoc quoniã propriũ non eſt, ſic cõfutabimus: Si tyrannũ occidere, tyrannicidæ proprium eſt, carnifices, quibus tyrannos occidendos tradimus, tyrannũ occidunt: carnifices igitur præmium accipiant. Definitio eſt, cuiuſq; rei breuiter & abſolutè poteſtate͂ complecte͂s oratio. Hæc cum re definita cõuertatur, neceſſe eſt: ut, Si animal rationale eſt, igitur & homo: Quod nec animal eſt, nec rationale, id homo nõ erit. Si homo eſt, ergo & animal rationale. Si homo non eſt, igitur ne animal quidem rationale. Definitio cõfutatur, ſi aut uerum proprium, aut differentia uera, aut genus uerum po*

ſitum

ſitum non eſt: ſi quid in altero cōtinetur, aut excludi tur, quod non idem in altero contineatur, aut exclu datur hoc modo: Monetā omnem uxori legauit: *cælatum autem argentum moneta eſt: argentum igitur cælatum omne legauit.* Neq; *enim omne cælatū ar- gentum, moneta dicitur.* Nam *patera, et huiuſmodi, cælatum argentum eſt, nec tamen iſta monetam uo- cāt.* Conſtituuntur & *definitiones ex accidentibus, quæ ſi huiuſmodi ſint, ut cum re definita conuertan tur, ualet conſequutio: ut, homo eſt animal bipes, ere ctū, ſine pennis.* Pſitacus, *auis eſt uiridis, roſtro ad- unco, collo rubro, torque inſigni in ſenecta, quæ alte ro pede cibum tenens ueſcitur.* Conſtituuntur & *de finitiones ex enumeratis abſolute partibus, ſpecie- bus, ſiue formis: ut,* Reſpublica *eſt, quæ unius aut paucorū, aut populi poteſtate regitur.* Hoc *genus fa cile cōfutatur, ſi qua ſpecies in enumeratione præte rita additur.* Exemplū: *Iniuriæ ſunt, quæ aut pulſatio ne corpus, aut conuicio aures afficiunt.* Confutatur: *Quid ſi quis filiā tuā rapiat, iniuria nō erit?* Etymo *logia eſt, nominis interpretatio, ſiue notatio: ut,* Hic *Chryſogonus eſt appellatus, quod aurū undecūq; pa riat: nam* χρυσὸς Græce, *aurū:* γόνος, *fœtū ſignificat.* Fingit, *igitur poëta.* De *Deo diſputat, igitur* Theolo *gus.* Medetur, *ergo medicus.* A *toto inferuntur par- tes, nō remouētur, hoc modo: Si tota reſp. cōſilio gu bernanda eſt, ergo & domus, & unuſquiſq; ciuium.* Non *tamen quoniam tota* Reſp. *fortunæ cōmittenda non eſt, idcirco nec tu te caſui cōmittes.* Neq; *enim quia*

Ab Etymologia.

A toto.

quia tota domus redintegrãda nõ eſt, igitur nec paries unus. Verũ partes ſi uniuerſæ colligãtur, totũ inferunt: ſi uniuerſæ remouεantur, totũ auferunt. Conſiderantur autem partes, à tempore, à quantitate, à loco: ut, Si neq; in cœlo, neq; in terra inuenitur, nuſquam igitur inueniri poterit. Cauſa & effectus conuertuntur, ſi modo eiuſmodi ſit cauſa, ut ab ea una fluat effectus, & ea ſola ſit idonea ad producendum effectum. Ea quadrifariam diuiditur, in efficientem, materialẽ, formalem, & finalem. Ab efficiente cauſa: Vt, Nõ poteſt nõ eſſe dies, exorto ſole. Nec uirgo eſt, ſi cum uiro concubuit. Si ſapientia uirum bonum facit, & ipſa bona eſt. Corpus in lumine eſt, ergo facit umbram. Voluptas infamiã gignit, igitur fugienda. Virtus honorem adfert, igitur appetenda. Coloratus eſt, igitur fuit in ſole. Puluerulentus eſt, igitur in itinere fuit, non eſt conſequens: harũ enim rerum plures poſſunt eſſe cauſæ. Sublata materia, & effectus neceſſario aufertur: ut, Lignum nullum habuit, nec naues igitur potuit fabricare. Ferrũ cùm deſit, qui poſſunt gladios cudere? A forma: ut, Aperte mẽtiuntur poëtæ uolaſſe Dædalum: nam quod natura negat, nemo poteſt facere. A fine ducuntur argumẽta: ut, Felicitas eſt expetenda, igitur & uirtus. Nõ malum eſt uiuere, igitur nec comedere. Bona eſt medicina, nam & ſalus bona eſt. Bona eſt pax, igitur & bellum utile. Hæc argumentatio in coniecturali ſtatu potiſſimũ adhibetur. Ab uſibus: ut, Equitare oportet, igitur & equi habendi. Nauigare conuenit, igitur

Ab efficiente.

A materia.

Ab uſibus.

tur & naues parare conuenit. Tueri uitam licet, igitur & gladium ferre licet. Veterem theologiam ſcire pulchrum, ergo & poëtas didiciſſe pulchrũ erit. A generatione ad corruptionẽ: ut, Malum eſt extinguere Rempub. igitur bona eſt Reſp. Concordia ciuium optima, cur non igitur & ciuitas? Ab adiunctis: ut, Cæſarem ſapientiſſimum fuiſſe conſtat, quem nullius unquam rei pœnituerit. Stultus Antonius, qui nihil unquam geſſit, cuius nõ poſtea pœnituerit. Pallet, cogitabundus ſedet, ſubinde animum mutat, igitur amat. Expalluit, titubauit, trepidauit, igitur conſcius ſibi fuit. Si tibi famam meam contaminare licuit, mihi expurgare non licebit? Quem quis amat, non lædit: quem hæredem facit, charum habuit. Orbæ inſeruit, igitur hæreditatem captat. Si poëta eſt, igitur laſciuus. Si dialecticus, igitur cõtentioſus. Si theologus, moroſus. Si medicus, auarus. Quæ tamen facile confutari poſſunt, præſertim ſi eiuſmodi ſint, ut ſæpenumero non conſequantur. Ab iudicio, uel autoritate: ut, Optima ſtatim diſcenda ſunt. Sic enim Quintilianus, inſtitutor optimus faciendum exiſtimauit. A ſimili ſic: Vt in tempeſtate, quum maximum periculum mare uentiq; minantur, tum peritus nauclerus minime à clauo decedit, oculos & manus ad omnia intentas habet: Ita uir ſapiens, cum maxime ſæuit fortuna, & cum res ſint maxime dubiæ, tum maxime conſilio uti, & uigilare ad omnia debet. Locus autem à ſimili confutatur, ſi aut diſſimile eſſe docebimus, quod alter ſimile dixit, aut aliã commo

A generatione.

Ab adiunctis.

A iudicatis.

A ſimili.

modiorem ſimilitudinem adducemus,hoc modo. Vt *picem nemo tractat,niſi cõtaminetur: ita poëtas nemo poteſt legere,quin ad libidinem incitetur.* Negabimus *ſimile quippiam poëſim, diuinã ſcientiã cum pice habere,aut commodiorem ſimilitudinem dabimus,hoc modo:*Imò *quod apes facere uidemus,ut ex unoquoq; floſculo,quicquid eſt optimũ,id excerpãt, ſi quid ueneni,id araneæ exugendum relinquãt: Ita nos in poëtis,quod eſt eruditionis,& bonæ doctrinæ,id nobis rapiemus, ſi quid obſcœnitatis occurrerit,id relinquemus.*Vt *neq; equus indomitus quamuis natura bonus,ad eas utilitates, quæ ab eo deſiderantur,idoneus eſt:*Ita *nec homo indoctus, quamuis ingenioſus, is eſt à quo uirtutis fructum poßis elicere.*Non *enim,ut qui curenti ad curſum ſuccedit, uelocior eſt: ſic qui imperatori,ad regendum exercitum,melior.*Nec *ut nauis,ita amicitia noua fidelior.*

Simile per negationem.

A maiori. A *maiori,hoc modo:Parenti nõ obtemperat, & audiet alienũ? Huius mortẽ tam fert familiariter, quid mihi hic faciet patri? Si adulterum occidere licet,ergo & loris cædere.* A *minori uerò ſic: Si furẽ cædere licet,& latronem.Si puer iſta potuiſti, uir nõ poteris?* A *pari: Si lex parricidam damnat,& matricidam.Si patri in filium ius eſt,igitur & in filiam.Si fratrem domi alis,cur me eijcias?Porrò exemplum, aut ſimile eſt,aut contrarium,aut maius, aut minus. Simile exemplũ:ut,Iure occiſus Saturninus,quoniã & Gracchus.Cõtrarium:ut,Brutus filios,proditionem molientes,occidit.Manlius uirtutem filij morte mulcta-*

A minori.

A pari.

Ab exẽplo.

mulctauit. Marcellus ornamēta Syracuſanis hoſtib. reſtituit, Verres eadem ſocijs abſtulit. Maius: ut, Si propter matrimonium uiolatum Troia funditus excisa eſt, quid fieri adultero par eſt? Minus: ut, Tibici nes, cùm ex urbe receßiſſent, publice ſunt reuocati: ciuitatis principes, qui bene de Repub. meriti ſunt, cum inuidiæ ceßiſſent, ab exilio nō ſunt reuocādi? Simile oſtenditur, à genere, natura, ui, magnitudine, multitudine, tēpore, loco, cauſa, perſona, opinione, modo. A genere ſic: Extinguitur intellectus, quoniā & uiſus. Confutatur: ſed uiſus materialis, non itē intellectus. A ui: inſit iuuentuti ſeueritas quædam, quoniam & ſenibus. Confutatur: ſed iucūditas iuuētutis propria. A magnitudine: Si forte, nō electione fit gubernator nauis, nec imperator claßis. Confutatur: at maiori maius ratione gerendū eſt. A multitudine: Noſtræ ne, an hoſtiū hæ ciuitates ſint, dijudicemus: ſic enim & maiores de duabus fecerunt. Cōfutatur: ſed in pluribus maius periculum. A tempore: Continuet Pompeius imperium, quoniam & Marius. Confutatur: ſed ille atrocißima. Reip. tempeſtate, quum nunc urgeat nemo. A loco & cauſa: Quū in Italia bellū ſit, nō traijciātur in Africā copiæ, ne ſimile qd cū Atheniēſib. patiātur. Cōfutatur: ſed lōgius illi et ignota in loca: propius nos, & cognita, et ea ex re alios quoq; hoſtes illi attraxerūt, nos hoſtē Hānibalē ab Italia expellemus. A perſona. Continuet Marius imperium, quoniam & Scipio. Cōfutatur: at ſanctus ille uir, hic non æquè. Ab opinione: Qui Cereris ſacra

A genere.
A ui.
A magnitudine.
A multitudine.
A tempore.
A loco & cauſa.
A perſona.
Ab opinione.

n cra

cía ſtuprauit obeuntem, ea pœna plectatur, qua qui Veſtæ obeũtem corrupit. Cõfutatur: ſed quæ maiori conatu ſuſcipiuntur peccata, atrocius puniẽda ſunt. Poſſunt aũt multa horũ ad eiuſdẽ euerſionẽ cõcurrere. Locus à proportiõe, hoc differt à ſimili, quod ibi à ſimili ſimile ducitur: hic ſimilitudinis ac proportionis fit collatio. Per ſimile effertur argumentũ: Nã ut in nauis gubernator nõ ſorte, ſed iudicio eligitur: ita in Repub. Magiſtratus ſunt eligendi. Per proportionẽ ſic: Ita ſe habet ad nauim gubernator, ut ad Rempub. magiſtratus. At iudicio, nõ ſorte gubernator eligitur: Oportet ergo & magiſtratus, iudicio, non ſorte eligere. Locus à proportiõe eodẽ modo reprehenditur, quo locus à ſimili. Locus ab oppoſitis quinque partibus diuiditur. A priuatiue oppoſitis ſic: Cæcus eſt, igitur nunquam uidebit. Item: Non eſt ſolus cæcus, qui caret oculis: nam multos, tametſi oculos habent, tamen cæcos appellare non dubitamus. A negatione: Pacem contempſere Carthaginenſes, in Hiſpania enim noſtros ſocios ſollicitant. A relatiuẽ oppoſitis: Carthaginenſes Romanis ſubiectos eſſe cõceditis? Conſtat igitur Romanos Carthagini imperaſſe. Si tu me præceptorẽ appellas, cur ego te non appellem diſcipulum? Si fateris à me tibi creditam pecuniam, tu mihi debes: Si me pro filio non habes, nec tu mihi pro patre habeberis. Si nos pro tuo exercitu non habes, nec te pro imperatore ducemus. A cõtrariẽ oppoſitis: Si ſanus non es, ægrotare conſtat. Si amãdus qui bene meretur: odio proſequendus qui male.

Ab oppoſitis. A priuatiue oppoſitis.

A negatione.

A relatiue oppoſitis.

A contrariẽ oppoſitis.

le. Si præmio dignus qui tyrannum occidit: ſupplicio afficiendus qui tyrannum iuuat. In contrarijs, quæ mediata uocantur, non conſequitur neceſſario: ut, Si niger non eſt, igitur albus eſt: nam uiridis, aut ruber eſſe poteſt. A diſparatis: diſparata genere ſunt, quæ ſub eodem genere poſita, diuerſis differētijs, uel proprijs ſeparantur. Quanquam etiam quæ genere diſtant, diſparata poßint uocari: ut, Si homo eſt, igitur nec aſinus, nec Deus, &c. Tu quum decem pondo argenti depoſueris, qua fronte auri tantundem repetis? Marmoream domum diruiſti, & reponis lateritiam? A tranſumptione: Philoſophus non inuidet, quoniam nec ſapiens. Diſtinguitur hic locus ab interpretatione, quoniã hic nihil exponitur, ſed à uerbo notiori minus notum infertur, illic nominis ratio affertur, hoc modo: Sapiens nõ inuidet, philoſophus amator eſt ſapientiæ, igitur non inuidet. A coniugatis: Si Rhetorice uirtus eſt, rhetorem ſtudioſum eſſe neceſſe eſt. A caſibus: Si ingratitudo turpis eſt, turpiter igitur facis, qui bene merito gratiã non referas. A diuiſione: Diuiſio fit, aut per negationẽ, aut partitionem. Per negationẽ hoc modo: Aut utile eſt bellum indicere, aut non: ſed non eſt utile bellum inferre, igitur quieſcere utile eſt. Partitio autem eſt generis in ſpecies: ut, Animalium quædam ratione participant, quædã ſunt rationis expertia, aut totius in partes, aut uocis in ſignificata, aut ſubiecti in accidẽtia, aut accidentis in ſubiecta, aut accidentis in accidentia. Sed de his hactenus ſatis, iam ad partes ſuaſo

A diſparatis.

A tranſumptione.

A coniugatis.

A caſibus.

A diuiſione.

Tutum. rio generi proprias redeamus. Tutum, quod ad inco
Iucundum. lumitatem pertinet. Iucundum, quod uoluptatem aut
Facile. animi, aut corporis, aut utriuſq; adfert. Facile, quod
Neceſſarium. ſine periculo aut negocio fieri poßit. Neceſſarium, quod aliter fieri nequit. Cætera à rhetorũ præceptis petantur. Nemo putet omnibus his partibus ſemper in ſuadendo utendum eſſe, quod perlongum foret, præſertim in epiſtola. Sed quot incidunt, & quanta ex parte, eatenus attingere ſat fuerit. Conciliato igitur eius animo, cui ſcribimus, deinde ſi inciderit, ſubiecta narratione, tertio loco id quod ſuadere, aut diſſuadere uolumus, cum amplificatione quadã eſt proponẽdum. Deinde poſt diuiſionem, aut etiam omiſſa diuiſione, ratio, aut multæ rationes ſunt ſubdendæ, rationibus confirmationes ſubiungendo. Confirmationi ipſi nonnunquam altera confirmatio firmamẽti cauſa apponitur. Deinde rẽ locupletabimus exemplo, autoritate, prouerbio, ſententia, ſimili, diſsimili, contrario. Quæ ita inter ſe miſcebimus, ut nũc à ratione ad ſimile, à ſimili ad exemplũ, ab exemplo rurſus ad rationem, uel eandem alijs uerbis ueſtitam, uel aliam ueniamus. Nam ab exemplis rationes nõnunquam naſcuntur. Item autoritati, ſententiæq; rationem conuenit ſubijcere. De exemplorum uarietate iam diximus. Similia ex omni rerum genere petuntur, quare plurimorum animantium, herbarum, aliarumq; rerum ſpecies & naturas cognitas & perſpectas habere conducet: autoritates quoq; aliâs philoſophorum, aliâs oratorum, theologorum, hiſtoricorum.

rum. Quæ ſi ſcite intermiſcebimus, nunquam deerit quod dicamus, & ſacietatem uarietate facile uitabimus. In hac uarietate, expolitione, et collectione rhetorica diligenter utemur. Huius præceptiunculæ hoc erit exemplum.

EXEMPLVM EPISTOLAE ſuaſoriæ.

*Q*VANQUAM pro tua ſingulari ſapiētia, ipſe abunde per te ſapis affinis iucundiſſime, nec alienis eges conſilijs: tamen hoc uel ueteri noſtræ amicitiæ, quæ ab ipſis propè cunabulis unà cū ætate nobis accreuit, uel tuis ſummis in me officijs, uel arctiſſimæ deniq; affinitati debere me putaui, ſi is eſſe uellem, quem tu me ſemper exiſtimaſti uirum & amicum, et gratum, ut id, quod ad tuā tuorumq; ſalutē, ac dignitatem plurimum intereſſe iudicaſſem, te libenter ac liberè admonerē. Aliena nonnunquā rectius quàm noſtra perſpicimus. Tuum conſilium meis in rebus perſæpe ſum ſecutus, neq; minus fœlix mihi cōperi, quàm erat amicum. Nunc ſi uiciſſim in tuis meū ſequi uoles, futurum arbitror, ut neq; me ſuaſiſſe, neq; te pœniteat paruiſſe. Cœnauit apud me ſexto Idus Aprilis, cùm in uilla Montana eſſem, Antonius Baldus, homo, ut ſcis, tuarum rerum ſtudioſiſſimus, generiq; tuo iam inde ab initio coniunctiſſimus. Triſte plenumq; lachrymarum conuiuium. Nunciabat mihi magno utriuſq; dolore, matrem tuam, fœminam integerrimam, è uiuis conceſſiſſe: ſororem tuam luctu ac deſiderio uictam, ſterili dicatarum uirginum

Beneuolentiā captat.

Narratio.

choro aſcriptã eſſe, ad te unũ ſpẽ ſtirpis tuæ rediſſe: amicos ſummo conſenſu tibi puellam ſummo genere natã, forma præſtanti, optime moratã, poſtremo tui amantiſſimã, ſumma cum dote obtuliſſe. Te uerò ne- ſcio qua ſeu doloris impotentia, ſeu religione, ita cœlibatum decreuiſſe, ut nec generis ſtudio, nec ſobolis amore, nec amicorum ullis aut monitis, aut precib. aut lachrymis abduci poſſis à ſentẽtia. Tu tamẽ uel me autore, mentẽ iſtã mutabis, & cœlibatu relicto, ſterili ac parum humano uitæ inſtituto, ſanctiſſimo coniugio indulgebis. Qua in re neq; tuorum charitatem, quæ tamen alioqui animum tuum uincere debebat: neq; meam autoritatem quicquam mihi prodeſſe cupio, niſi clariſſimis rationibus oſtendero, id fore tibi longe tum honeſtius, tum utilius, tum iucundius. Quid quod etiam hoc tempore neceſſarium?

Semina argumentorum. Propoſitio. Diuiſio, hoc eſt, limẽ argumentationis.

Nam primum hac in re, ſi te honeſti ratio mouet, quæ apud probos uiros plurimum ualere debet, quid matrimonio honeſtius, quod ipſe Chriſtus honeſtauit, qui nuptijs unà cum matre, non ſolum intereſſe dignatus eſt, uerumetiam nuptiale conuiuium miraculorum ſuorũ primitijs conſecrauit? Quid ſanctius, quod ipſe rerum parens inſtituit, adiunxit, ſanctificauit, quod ipſa ſanxit natura? Quid eo laudabilius, quod qui reprehendit, hæreſeos damnetur? Tam eſt honorificum matrimonium, quàm eſt infame uocabulũ hæretici. Quid æquius, quàm id reddere poſteris, quod ipſi à maioribus accepimus? Quid inconſideratius, quàm id ſanctimoniæ ſtudio, perinde ut

Ab honeſto primo ratiocinatur. A laudabili. Ab æquo. Rationes per contrarium.

pro-

prophanum fugere, quod deus ipſe, totius ſancti-
moniæ fons ac parens, ſanctiſsimum haberi uoluit?
Quid inhumanius, quàm hominem ab humanæ con
ditionis legibus abhorrere? Quid ingratius, quàm
id negare minoribus, quod ipſe niſi à maioribus
accepiſſes, ne eſſes quidem qui negare poſſes? Quod
ſi matrimonij quærimus authorem, non à Lycur-
go, non à Moſe, non à Solone, ſed ab ipſo ſummo
rerum omnium opifice conditum & inſtitutum eſt:
ab eodem & laudatum, ab eodem honeſtatum con-
ſecratumque. Siquidem initiò cùm hominem è li-
mo finxiſſet, miſeram prorſus & inamœnam eius
uitam fore intellexit, niſi ſociam Euam adiungeret.
Quare uxorem non è luto illo quo uirum, ſed ex A-
dæ cratibus eduxit, quo prorſus intelligeremus ni-
hil nobis uxore charius eſſe debere, nihil coniun-
ctius, nihil tenacius adglutinatum. Idem ille poſt di-
luuium mortalium generi reconciliatus, hanc pri-
mam legem promulgaſſe legitur, non uti cœlibatum
amplecterentur, ſed ut creſcerent, ut multiplicaren-
tur, ut terram implerent. At quo pacto, niſi coniu-
gio darent operam? Et ne hic uel Moſaicæ legis li-
bertatem, uel tempeſtatis illius neceſsitatem cauſe-
mur, quid aliud ſibi uult illud in Euãgelicis quoq; li
teris repetitum, cõprobatumq; Chriſti ſuffragiũ?
Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & ma-
trem, & adhærebit uxori ſuæ. Quid parentum pieta
te ſanctius? At huic tamen coniugalis præfertur fi-
des. Quo autore? nempe Deo. Quo tempore? non Iu

Confirmationes cũ laude matrimonij.

Homo primũ cõditus, mox uxori iũctus.

Poſt diluuiũ renouata matrimonij lex.

Quod naturæ lege fuerit proditũ, Euãgelica comprobauit autoritas.

daiſmi tantū,ſed Chriſtianiſmi quoq;. Deſeritur pa/ter,deſeritur mater,& adheretur uxori. Filius emā cipatus incipit ſui iuris eſſe. Filius abdicatus deſinit eſſe filius. At ſola mors dirimit coniugium,ſi tamen illa dirimit. In his modò dirimitur, qui coniu/gium repetunt. Quàm diu perſeuerat coniuga/lis adfectus, non uidetur diremptum matrimo/nium. Iam ſi cætera ſacramenta, quibus eccleſia Chriſti potiſsimum nititur, religioſa quadam uenera tione coluntur, quis non uidet huic plurimum reli/gionis deberi, quod & à Deo, & primum omnium eſt inſtitutum? Et cætera quidem in terris, hoc in pa radiſo:cætera ad remedium, hoc ad conſortium feli citatis:cætera naturæ collapſæ ſunt adhibita,unum illud conditæ datum eſt. Si leges à mortalibus inſtitu tas ſanctas habemus, non erit coniugij lex ſanctiſsi/ma,quam ab eodem accepimus,à quo et uitam,quæ unà propè cum ipſo hominum genere nata eſt? Deni que ut legem exemplo confirmaret,adoleſcens,ut di

Confutatio. *ctum eſt, ad nuptiale conuiuium uocatus, unà cum matre libens adfuit:nec adfuit modo,uerumetiā pro digioſo munere honeſtauit, haud alibi miraculorum ſuorum initium auſpicatus.Cur igitur,inquies,Chri/ſtus ipſe à coniugio abſtinuit? Quaſi uerò non pluri rima ſint in Chriſto,quæ mirari potius quàm imitari debeamus:Sine patre natus,ſine parētis dolore pro ceßit,clauſo monumento prodijt.Quid in eo non ſu*

Ratiocinationes. *pra naturam? Sint hæc illi propria.Nos intra natu ræ legem uenientes,ſuſpiciamus illa,quæ ſupra natu ram ſunt, quæ pro modulo noſtro ſunt, æmulemur.*

Sed

Sed è uirgine naſci uoluit. E uirgine quidem, ſed cõ iugata. Virgo mater, deum decebat: cõiugata, nobis quid eſſet agendum, ſignificauit. Virginitas eam decebat, quæ cœleſtis afflatu numinis illibata pareret illibatum. Sed Ioſeph ſponſus, nobis caſti coniugij leges cõmendat. Qui magis coniugalẽ ſocietatẽ potuit cõmendare, quàm quod arcanã illam, & angelicis quoq; mentibus ſtupendã, diuinæ naturæ cum humano corpore animaq; coniunctionẽ, quod ineffabilem illum & æternũ in eccleſiam ſuam amorẽ declarare uolens, ſe ſponſum illius, illã ſponſam ſuã appellat? Magnum, inquit Paulus, matrimonij ſacramentum eſt, in Chriſto, & in eccleſia. Si qua fuiſſet in rerum natura ſanctior copula: ſi quod fœdus religioſius, quàm coniugium, profectò ab eo ſumpta fuiſſet imago. Quid ſimile uſquã de cœlibatu legis in arcanis literis? Honorandũ connubiũ, et thorus immaculatus prædicatur apud apoſtolũ Paulum, cœlibatus hic ne nominatur quidẽ. Nec excuſatur quidem, niſi cõpenſatione maioris boni. Alioqui ſi quis naturæ legẽ ſecutus, det operã liberis, præferẽdus eſt illi, qui perſeuerat in cœlibatu, non ob aliud, niſi ut ſibi liberius uiuat. Verè cõtinentes, ac uirgines laudatas legimus: cœlibatus ex ſe nullam habet laudem. Iam uerò Moſaica lex ſterile coniugium execratur, atq; ob id à cõmunibus aris quoſdã ſubmotos legimus. Quam obrem tandẽ? nempe ideo, quod tanquam inutiles, & ſibi duntaxat uiuentes, populum nulla ſobole augerent. In Deuteronomio præcipuum benedictionis argumentum proponitur Iſraëlitis, quod nullus eſ-

ſet inter illos futurus ſterilis, nec mas, nec fœmina. Et Lya dicitur deſpecta à domino, quod non pareret. Quin et in Pſalmis inter præcipuas beatitudinis partes refertur uxoris fœcunditas. Vxor, inquit, tua ſicut uitis abundans, filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu mēſæ tuæ. Quòd ſi lex damnat, ac notat ſterile matrimoniū, cœlibes multo amplius damnauit. Si natura pœnam nō effugit, ne uoluntas quidē effugiet. Si damnātur quorum uoluntati natura defuit, quid commerentur ij, qui ne operam quidem dederunt, ne ſteriles eſſent? Hebræorum leges hoc honoris habebant matrimonio, ut qui ſponſam duxiſſet, codē anno nō cogeretur in bellū exire. Periclitatur ciuitas, niſi ſint qui eam armis tueātur. At certū exitium eſt, niſi ſint qui coniugij beneficio iuuentutem, ſemper mortalitate deficientem ſufficiant. Quin & Romanæ leges eos qui cœlibes eſſent, damno etiam mulctabant, à reipub. muneribus ſecludebāt. At qui liberis rempublicā auxiſſent, eis tanquam bene meritis præmium è publico ſtatuebant. Priſcæ leges pœnas conſtituerant aduerſus cœlibes, quæ tametſi per Conſtantinum Cæſarem temperatæ ſunt in fauorem Chriſtianæ religionis, tamen arguūt quàm non ſit è Repub. uel minui ciuitatē amore cœlibatus, uel ſpurijs impleri. Quin Cæſ. Auguſtus Cenſor, inquiſiuit in militem, quòd in ducenda uxore non paruiſſet legibus, & periclitabatur, ni docuiſſet ſe trium liberorum parentem. Declarant & in hoc Cæſarum leges fauorem erga coniugium, quòd indictas uiduitates à Miſcella inductas ſuſtulerunt, ac ſublatis pœnis, huiuſmo-

Laus coniugij, à premijs

iuſmo-

iuſmodi pacta, tanquam præter æquum & bonum inita pro irritis haberi uoluerunt. Adde quòd Vlpianus *declarat dotis cauſam ſemper & ubique præcipuam, quod haud quaquã fuiſſet, niſi præcipua quædam utilitas ex matrimonio proficiſceretur.* Habitus *eſt honos coniugio, ſed maior fœcũditati.* Simulatq; *contigiſſet nomen patris, hæreditatis & omnis legati atq; etiã caduci capax reddebatur, id liquet etiam ex poëta* Satyrico: *Per me ſcriberis hæres,* Legatum *omne capis, nec non & dulce caducum.* Plus *etiam commodorum adferebat ius trium liberorum, in his eſt immunitas à publicis legationibus.* Quinq; *porrò liberi uacationẽ impetrãt à perſonalibus quoq; muneribus, quod genus eſt tutela.* Ei *cui tredecim liberi contigiſſent,* Iulianus Imperator *non modo uacationem indulſit à decurionatu, ſed ſimpliciter ab omnibus muneribus.* Nec *ſilent huius tanti fauoris cauſam ſapientiſsimi legum cõditores.* Quid *immortalitate felicius?* Hanc *natura negatam matrimoniũ arte, quatenus licet, largitur* Reipub. *Cui nõ optabilis eſt apud poſteros memoria?* Hæc *nullis fornicibus, nullis pyramidibus, titulisúe certius propagatur, quàm liberorũ procreatione.* Apud Adrianum *imperatorem cauſam uicit* Albinus, *non alia cõmendatione, quàm quòd* Reipub. *dediſſet numeroſam ſobolem.* Proinde *diſpendio fiſci, paſſus eſt liberos in paterna bona in ſolidum ſuccedere: quòd intelligeret imperiũ magis fulciri propagatione iuuentutis, quàm pecuniarũ acceßione. Poſtremò cæteræ leges*

nec

nec omnibus regionibus, nec quibuslibet tempori/bus congruunt, ſola coniugij lex ad omnes orbis nationes, ad omne tempus pertinet. Lycurgus leges tulit, ut qui uxores non ducerent, hi & æſtate arcerentur à ludis ac ſpectaculis, hyeme uerò nudi forũ circuirent, ac ſemetipſos execrati iuſta pati dicerent, quòd legibus nõ paruiſſent. In ſumma, uis ſcire quantum matrimonio tribuerit antiquitas, uiolati matri/

A pœnis. monij pœnam perpẽde. Græci quondam uiolatũ matrimonij ius decenni bello uindicandum cenſuerunt. Ad hæc non Romanis modo, uerumetiam & He/bræis, et Barbaricis legibus, adulteris pœna capitalis ſtatuebatur. Furẽ quadrupli pœna abſoluebat, adulterij ſcelus ſecuris expiabat. Apud Hebræos autẽ populi manibus lapidabatur, qui id uiolaſſet, ſine quo populus non eſſet. Nec hoc cõtente legum ſeueritas, illud etiam permiſit, deprehenſum adulterum ſine iudicio, ſine legibus confodere: nimirum id do/nans dolori maritali, quod grauatè concedit uim à capite propellẽti: quaſi lædas atrocius, qui coniugẽ adimat, quàm qui uitam. Profectò ſanctiſsimã quan/dam rem coniugium uideri neceſſe eſt, quod uiola/tum humano ſanguine ſit expiandum: cuius ultio, nec leges, nec iudicem expectare cogitur: quod ius nec in parricidio eſt. Sed quid de ſcriptis legibus agimus? Naturæ hæc lex eſt, non in tabulis æreis exarata, ſed animis noſtris penitus inſita: cui qui nõ paret, ne homo quidem ſit exiſtimandus, nedum bonus ci/uis. Nam ſi, ut Stoici homines acutiſsimi diſputant,

recte uiuere, eſt naturæ ductũ ſequi, quid tam naturæ conſentaneũ, quàm matrimoniũ? Nihil enim tã à natura, nõ hominibus modò, uerũetiã reliquo animãtiũ generi inſitũ eſt, quàm ut ſuã quodq; ſpeciẽ ab interitu uindicet, & propagatione poſteritatis, tãquam immortalẽ efficiat: Quod ſine cõiugali cõiunctione fieri nõ poſſe quis ignoret? Turpiſſimũ autẽ uidetur, muta pecora naturæ parere legibus, homines gigantũ more naturæ bellũ indicere. Cuius opus, ſi oculis haud cæcutiẽtibus inſpiciamus, intelligemus in omni rerum genere coniugij ſpeciẽ quandã ineſſe uoluiſſe. Omitto enim iã de arboribus, in quibus, Plinio autore certiſſimo, adeò manifeſto ſexus diſcrimine coniugium inuenitur, præſertim in palmis, ut niſi marita arbor in fœminas circũſtantes ramis incũbat, tanquã concubitũ appetens, hæ planè ſteriles manſuræ ſint. Idem indicat autores eſſe, qui credũt in omnibus, quæ gignit tellus, ineſſe ſexum maris et fœminæ. Taceo de gemmis, in quibus ſexum inueniri ſcripſit idem autor, at non ſolus. Nónne deus ita res cunctas uinculis quibuſdam connexuit, ut aliæ alijs egere uideantur? Quid cœlum perpetuo motu uerſatile, nónne dum tellurem omnium parentem ſubiectam, uario rerum genere fœcundat, uelut infuſo ſemine, mariti fungitur officio? Sed ſingula percurrere nimis longum arbitror. Quorſum autem hæc ſpectant? eo uidelicet, ut intelligamus coniugali ſocietate & conſtare, et contineri omnia: ſine ea diſſolui, interire, collabi cuncta. Fingunt ueteres illi ac ſapientiſſimi poetæ, quibus ſtudium fuit philoſophiæ præcepta fabularum inuolucris

A natura.

A minore.

In arbore. coniugium.

Coitus Cœli & terræ.

Fabula & eius expoſitio.

cris tegere, gigantes anguipedes, terræ filios, extru ctis in cœlum montibus bellũ ſuperis intuliſſe. Quid hæc ſibi uult fabula? Nimirum immanes quoſdam ac feros homines & obſcuros, à coniugali cõcordia ue hemẽter abhorruiſſe, eoq́; fulmine præcipitatos, hoc eſt, funditus interiſſe, cum id uitarent, quo ſolo con/ ſtat humani generis incolumitas.

At ijdem Orpheum poëtam ac citharœdum ſaxa duriſsima cantu mouiſſe commemorant. Quid ſigni ficantes? Nempe uirum & ſapientem, & facundum, homines ſaxeos & ferarũ ritu uiuentes, à uago con cubitu prohibuiſſe, atque ad matrimonij ſanctiſsimas leges adduxiſſe. Apparet igitur qui connubij amore non tangitur, cum non hominem, ſed ſaxum uideri, hoſtem naturæ, numini huius rebellem, ſuapte ſtulti tia ſibi perniciem accerſere. Crudelior enim eſt, qui generi ſuo, quàm qui uni ſibi molitur exitium.

Age uerò, quandoquidem in fabulas minime fa/ buloſas incidimus, idem Orpheus, cum apud inferos Plutonem ipſum, maneſq́; permouit, ut Eurydicen ſuã liceret abducere: quid aliud poëtas cogitaſſe pu- tamus, quàm ut nobis cõiugalem amorem cõmenda rent, qui apud inferos quoq; ſanctus, ac religioſus ha beretur? Eodem pertinet, quod antiquitas coniugio Iouem Gamelium præfecerit, Iunonem pronubam, Lucinam, quæ parturientibus adeſſet: ſuperſtitioſe quidem errans in deorum nominibus, at non errans in hoc, quod matrimonium, rem ſacram ac dignam, quæ dijs curæ ſit, iudicarit. Diuerſi quidem apud di/ uerſos populos ac nationes, ritus legeſq́; fuere. Nul/

Ab autoritate & exemplis.

la unquam gens tam fuit barbara, tam ab humanitate omni aliena, apud quam coniugij nomen non ſanctum, non uenerandum ſit habitum. Hoc Thrax, hoc Sarmata, hoc Indus, hoc Græcus, hoc Latinus, hoc uel extremus orbis Britanus, aut ſi qui ſint his quoq; ſemotiores, religioſum habuit. Quid ita? quia neceſſe eſt omnibus eſſe commune, quod communis hominum parens inſeuit, & adeo penitus inſeuit, ut huius rei ſenſus nõ ſolum ad turtures & columbos, uerum etiam ad immaniſſimas feras pertingat. Siquidem leones in uxorẽ mites ſunt. Pro catulis dimicãt tigrides. Aſinos per obſtantes ignes agit prolis tuendæ pietas. Atq; hoc ſanè ius naturæ uocant, ut efficaciſſimum, ita latiſſime patens. Vt igitur diligens cultor non eſt, qui præſentibus rebus contentus, arbores adultas ſatas quidem accurate tractat: cæterum neq; propagandi, neq; inſerendi curam agit, propterea quod neceſſe eſt paucis annis eos hortos, quantumuis diligẽter excultos interire: ita parũ diligens in Repub. ciuis cenſendus, qui præſenti turba cõtentus, de propaganda ciuium multitudine nõ cogitat. Nemo igitur unquam egregius ciuis habitus eſt, qui nõ liberis gignendis recteq; inſtituendis operam dederit. Apud Hebræos & Perſas laudi in primis erat quàm plurimas habere uxores, tanquã ei patria plurimum deberet, qui eam numeroſiſſima ſobole locupletaſſet. Num tu Abraham ipſo ſanctior uideri ſtudes? Is pater multarum gentium non eſſet appellatus, idq; deo auſpice, ſi uxoris cõtubernium refugiſſet.

Simile.

Hebræi Perſæ.

ſet. Num tu Iacob religioſior haberi quæris? Is Ra/chelis amplexus, tam diuturna ſeruitute, redimere non dubitauit. Num Solomone ſapientior? At quantum ille uxorum gregem domi aluit. Num Socrate caſtior? qui Xanthippen, fœminam etiam moroſam domi pertuliſſe legitur: non tam, ut ille ſuo more iocabatur, quo domi diſceret tolerantiam, ſed ne in naturæ officio claudicaſſe uideretur: Intellexit enim uir unus Apollinis oraculo ſapiens iudicatus, hac lege ſe genitum, ad hāc natum, hoc ſe debere naturæ. Nam ſi recte à ueteribus philoſophis dictū eſt, ſi nō temere à noſtris theologis comprobatum: ſi merito uelut adagionis uice ubiq; decantatum, neq; deum, neq; naturam quicquā fruſtra facere: cur hæc membra tribuit, cur hos ſtimulos, hanc gignendi uim ad/didit, ſi cœlibatus per ſe laudi ducitur? Si quis te magnifico munere donaret, arcu, ueſte, aut gladio, indignus accepto uideberis, ſi uti eo aut noles, aut neſci/es. Cum cætera omnia tanta ratione ſint conſtituta, haud ueriſimile uideri debet, hac una in re naturam dormitaſſe. Nec audio, qui mihi dicat fœdam illam & obſcœnam pruriginem & Veneris ſtimulos non à natura, ſed à peccato profectā. Quid tam diſsimi/le ueri? Quaſi uerò matrimonium, cuius munus ſine his ſtimulis peragi nequit, non culpam præceſſerit. Iam in cæteris animantibus unde illi ſtimuli? à natura, an à peccato? Mirum ni à natura. Nam in corporis affectionibus minimū intereſt inter hominem & reliquos animantes. Poſtremò nos imaginatione fœdum reddimus, quod ſuapte natura pulchrum ac ſan

Confutatio.

ctum

ctum eſt. Alioqui ſi res nō opinione uulgi, ſed ipſa natura uelimus expendere, quî minus fœdū brutorum animantiū more edere, mādere, concoquere, excernere, dormire, quàm licita permiſſaq́; Venere uti?

At uirtuti potius quàm naturæ parēdū. Perinde quaſi uirtus ſit ulla dicenda, quæ cū natura pugnet: unde niſi proficiſcatur, ne eſſe quidem poterit, quæ cultu & diſciplina perficiatur. Sed apoſtolorum te inſtitutum delectat, qui & ipſi cœlibatum ſunt ſecuti, & alios ad id uitæ genus ſunt cohortati. Imitentur ſanè apoſtolos uiri apoſtolici, quorū cum ſit muneris, & docere, & inſtituere plebem, non queunt ſimul & gregi, & uxori ſatisfacere. Quanquam & apoſtolis aliquot uxores fuiſſe conſtat. Epiſcopis cœlibatum concedamus. Quid tu apoſtolicū inſtitutum ſequeris, ab apoſtolico munere lōge alieniſſimus, homo nimirū & prophanus, & priuatus? Illis hoc ueniæ datum eſt, ut uacent à coniugij munere, quo magis uacarēt copioſiorē prolem Chriſto gignere. Sit iſtud ſacerdotum ac monachorum priuilegium, quos apparet in Eſſenorum inſtitutum ſucceſſiſſe. Tui ſtatus alia ratio eſt. At ipſe Chriſtus, inquies, beatos pronunciauit, qui ſeſe caſtrarunt ob regnum dei. Non reijcio autoritatem, ſed ſententiam interpretor. Primū arbitror hoc Chriſti dogma, ad ea tēpora potiſſimū pertinere, quib. oportebat eccleſiaſtē ab omnib. mūdi negocijs quàm maxime expeditū eſſe. Curſitandum erat per omnes terras, imminebat undiq́; perſequutor. Nunc is eſt rerum ac temporū ſtatus, ut nuſ-

Confutatio.

Confutatio.

quam reperias minus inquinatam morum integritatem, quàm apud coniugatos. Exaggerent quantumlibet ſuum inſtitutum monachorum ac uirginum examina: iactent quantum uolent ceremonias, cultusq́; ſuos, quibus potiſsimum inter cæteros eminent: ſanctiſsimum uitæ genus eſt, pure caſteq́; ſeruatum coniugium. Præterea non is modò ſeſe caſtrat, qui uiuit cœlebs, ſed qui caſte, ſancteq́; colit coniugij munus. Atq; utinam uere caſtrati ſint, quicunque ſuis uitijs magnificum caſtrationis prætexunt titulum, ſub umbra caſtitatis turpius libidinantes. Neque enim mei pudoris eſſe puto cõmemorare, in quæ dedecora ſæpe prolabantur, qui naturæ repugnant. Poſtremo ne præcipit quidem Chriſtus ulli cœlibatum, at idem diuortiũ palàm interdicit. Mihi ſanè uidetur, nõ peſsime conſulturus rebus ac moribus hominum, qui ſacerdotibus quoq; ac monachis, ſi res ita ferat, ius indulgeat coniugij: præſertim quum ubiq; tam ingens ſit ſacerdotum turba, quorum quotuſquiſq; caſtam agit uitam? Quanto ſatius cõcubinas in uxores uertere, ut quas nunc habẽt cum infamia, cum irrequieta conſcientia, habeant palàm cum honeſta fãma: ac liberos gignant, quos ut uere legitimos ament, ſancteq́; inſtituant, quibus & ipſi pudendi non ſint, & uiciſsim ab illis cohoneſtentur: atq; id opinor, iam pridem procuraſſent epiſcoporũ officiales, niſi prouentus amplior eſſet ex concubinis, quàm ex uxoribus.

Confutatio. *Sed diuina quædã res eſt, angelica res eſt, uirginitas: at humana quædam res eſt, coniugium. Ego nunc*

nunc homo loquor homini. Laudāda quidem res eſt uirginitas, at ita, ſi non hæc laus ad quàm plurimos transferatur. Quam ſi uulgo uſurpare homines incipiant, quid uirginitate dici cogitariúe poſſit exitiabilius? Tum ſi in cæteris maxime laudē mereatur uirginitas, in te certe reprehenſione carere non poteſt, per quem ſtabit, quo minus optimum illud genus & immortalitate cum primis dignum obliteretur. Poſtremò minimū abeſt à uirginitatis laude, qui ius illibatum coniugij ſeruat, qui uxorem gignendæ proli, nō libidini habet. Si frater fratris ſine liberis defuncti ſemē excitare iubetur, tu uniuerſi tui generis ſpē interire ſines, præſertim cùm ad te unum reciderit? Neq; uerò me clam eſt, magnis uoluminibus priſcorum patrum decātatas uirginitatis laudes: quorum Hieronymus adeò miratur eam, ut non multum abſit à contumelia matrimonij, & ab epiſcopis orthodoxis ad palinodiā ſit inuitatus. Verum donetur hic ardor illis temporibus: nunc optarim, ut iſti qui paſſim ſine delectu, ad cœlibatum ac uirginitatē adhortantur, ætatem quæ ſibi nondum eſt nota, hoc operæ collocarent in deſcribenda imagine caſti puriq; matrimonij. Atqui his ipſis quibus tantopere placet uirginitas, nō diſplicet bellum aduerſus Turcarū gentem, qui numero tot partibus nos ſuperant: quorum ſi rectum eſt iudicium, conſequetur, ut in primis rectum & honeſtū habeatur, pro uirili liberis gignendis operam dare, & iuuentutē in belli uſum ſufficere. Niſi forte bombardas, tela, naues, ad hoc bellū ap-

Ex legē Moſaica.

Hieronymus.

parandas putant, uiris opus eſſe non putant. Itidem probant, ut ethnicorum parentes ferro trucidemus, quo liceat filios etiam inſcientes baptizare. Id ſi uerum eſt, quanto mitius eſt idem efficere coniugiorū officio? Nulla natio tam immanis eſt, quin execretur infanticidium. Principum leges pari propemodum ſeueritate puniunt prouocatum abortum, & acceſſitam pharmacis ſterilitatē. Quur ita? Quia minimū intereſt inter eum, qui quod naſci cœperit, intercipit: & eum, qui procurat, ne quid naſci poſſit. Hoc quod in tuo corpore uel areſcit, uel magno etiam ſalutis periculo corrumpitur, quod in ſomnis elabitur, homo erat, ſi modo tu eſſes homo. Execrantur Hebræorum literæ uirum, qui iuſſus congredi cum uxore fratris defuncti, ne quid naſceretur, proiecit ſemē in terrā: & uita iudicatus eſt indignus, qui uitam inuidit naſcituro fœtui. At quantulū ab hoc differunt, qui ſibi perpetuam ſterilitatem inducunt? An non uidētur tot homines occidere, quot erāt naſcituri, ſi liberis gignendis dediſſent operam? Quæſo, ſi cui ſit fundus ſoli natura feracis, quem incultum ſinat perpetuo ſterilē eſſe, nonne legib. pœnas daret, eo quòd Reip. interſit, ut ſuam quiſq; rem bene tractet? Si punitur is, qui negligit agrum, qui ut maxime colatur, nihil aliud fert, quàm triticū, aut fabas, aut piſa: qua pœna dignus eſt, qui recuſat eum fundum colere, qui cultus fert homines? Atq; illic diutino moleſtoq; labore eſt opus, hic breuem culturam etiam uoluptas, ueluti paratum præmium inuitat. Quare ſi quid natura

Epilogus ſuperiorum argumentationum.

turæ ſenſus, ſi honeſtum, ſi pietas, ſi religio, ſi offi- cium, ſi uirtus te mouet, cur ab eo abhorres, quod deus inſtituit, natura ſanxit, ratio ſuadet, diuinæ pa riter & humanæ literæ laudant, leges iubent, omniũ gentium cõſenſus approbat, ad quod optimi cuiuſq; exemplum adhortatur? Quòd ſi pleraq; res etiam acerbæ, uiro bono ſunt expetendæ, nõ alio nomine, quàm quod honeſtæ ſunt, matrimoniũ profectò mul to maxime expetendũ, de quo quis dubitare poßit, plúsne habeat honeſtatis, an uoluptatis? Quid enim dulcius, quàm cum ea uiuere, cum qua ſis non bene-uolentiæ modo, uerumetiam corporum mutua qua-dam communione arctißime copulatus? Si magnam quandam animi delectationem ex reliquorũ neceſ-ſariorum beneuolentiæ capimus, quàm dulce in pri mis ſit habere, quî cum animi tui ſecretos affectus communices, quî cum perinde tu tecum loquaris: cu ius fidei te tuto committas: qui tuas fortunas ſuas eſſe ducat? Quid tu credis habere felicitatis mariti uxo-risq; coniunctionem, qua nulla poßit in rerum natu ra inueniri, neque maior, neque firmior? Cum cæte ris enim amicis amicorum duntaxat beneuolentia coniungimur, cum uxore & ſumma charitate, & corporum permixtione, & ſacramenti fœdere, & fortunarum omnium ſocietate copulamur. Præterea in cæteris amicitijs quanta ſimulatio? quanta perfi-dia? Sed ij quos noſtri amantißimos exiſtimamus, ſi-cut hirundines, exacta æſtate deuolant, ita fortuna reflante deficiunt. Nonnunquam recentior amicus

A iucundo.

Rationes.

Confirmatio ex collatiõe.

ueterem eijcit. Paucos audiuimus, quorum fides uſq; ad uitæ finem conſtiterit. Vxoria uerò charitas non perfidia corrumpitur, nulla ſimulatione obſcuratur, nulla rerum mutatione conuellitur: deniq; ſola morte, imò ne morte quidem diſtrahitur. Illa parentum, illa ſororum, illa fratrum pietatē tui amore contemnit, te unum reſpicit: ex te pendet: tecum emori cupit. Res eſt? habes quæ tueatur, habes quæ augeat. Non eſt? habes quæ quærat. Si res ſecundæ ſint, duplicatur felicitas: ſin aduerſæ, erit quæ te cōſoletur, quæ aßideat, quæ inſeruiat, quæ tuum malum ſuum eſſe cupiat. An tu uoluptatem ullam cum hac tanta coniunctione conferendum cenſes? Si domi agis, adeſt quæ ſolitudinis tædiū depellat: ſi foris, eſt quæ diſcedentem oſculo proſequatur, abſentem deſideret, redeuntem læta excipiat. Dulcis iuuentæ tuæ ſodalis, gratum ſenectutis ſolatium. Natura quidem homini dulcis eſt uel quæuis ſocietas, quippe quē ad beneuolentiam atq; amicitiam genuit. Hæc igitur quomodo non erit dulciſsima, in qua nihil non commune eſt? Contrà autem, ſi feras quoq; ſolitudinem horrere, ſocietate delectari uidemus, mea ſententia, ne homo quidē ſit exiſtimandus, qui ab hac ſocietate omnium & honeſtißima & iucundißima abhorreat. Quid enim eo homine odioſius, qui tanquam ſibi uni natus, ſibi uiuat, ſibi quærat, ſibi parcat, ſibi ſumptum faciat, neminem amet, ametur à nemine? An nō iſtiuſmodi portentum dignum cenſebitur, quod cum Timone illo ex uniuerſo hominum contubernio in me-

dium mare proijciatur? Neq; hic auſim illas tibi uo/ luptates proponere, quibus cum natura nihil uolue rit eſſe homini dulcius, neſcio tamen quo pacto à ma gnis ingenijs diſsimulantur potius, quàm cõtemnun tur. Quanquam quis adeo ſcuero, ne dicam ſtupido, ſit natus ingenio, qui eiuſmodi uoluptatum genere non capiatur: præſertim ſi citra numinis, aut homi/ nis offenſam, citra famæ detrimentum poſsit contin gere? Equidem eum non hominem, ſed planè ſaxum dixerim. Etiam ſi minima bonorum, quæ habet con iugium, pars eſt, ea corporum uoluptas. Sed fac te iſtam ut uiro indignam contemnere: quanquam ne uiri quidem uocabulum ſine his meremur: ponatur, ſi uis, inter extrema coniugij commoda: iam quid ca ſto amore eſſe poteſt amabilius, imò quid ſanctius atque honeſtius? Accreſcit interim dulcis affinium turba. Duplicatur parentum, fratrum, ſororum, ne/ potum numerus. Natura enim unam duntaxat ma/ trem, unum patrem tribuere poteſt. Coniugio pater alter, altera mater accedit, qui te, ut cui ſua uiſcera commiſerint, ſingulari pietate non proſequi nõ poſ- ſunt. Iam uerò quanti illud æſtimabis, ubi pulcherri ma coniunx pulchra faciet te prole parentem? Vbi quis tibi paruulus aula Luſerit Aeneas, qui tuos tuæq; coniugis uultus referat, qui te blanda balbu tie patrem appellitet? Iam acceſſerit coniugali chari tati uinculum adamantinum, quod ne mors quidem ipſa queat abrumpere.

Felices, inquit Flaccus, ter & amplius: Quos irru

pta tenet copula, nec malis Diuulſos querimonijs, Suprema citius ſoluet amor die. Habes qui ſenectutem tuã oblectent, qui oculos claudant, qui iuſta perſoluant, in quibus renatus uidearis, quibus ſuperſtitibus tu ne occidiſſe quidẽ puteris. Non abeunt ad alienos hæredes, quæ tibi paraſti. Ita tanquam omnibus perfuncto uitæ munijs, ne mors quidem ipſa acerba uideri poterit. Omnibus, uelimus nolimus, ſenectus imminet. Hac ratione natura proſpexit, ut in liberis ac nepotibus repubeſcamus. Quis enim grauiter ferat ſenectutem, ubi ſuos uultus, quos adoleſcens geſſit, in filio conſpexerit? Mors omnibus parata eſt. At hac una uia, uelut immortalitatem quandam meditatur naturæ prouidentia, dum ſic aliud ex alio propagat, ut ueluti cùm plãta arbore exciſa repullulat, nec intereſſe uideatur, qui prole relicta moritur. At minime me fugit, quid inter hæc obmurmures. Beata res eſt coniugium, ſi omnia ſecunda eueniant: ſed quid ſi moroſa contingat uxor? quid ſi impudica? quid ſi liberi impij proueniant? Occurrẽt animo tuo exempla eorum, quibus cõiugium exitium attulerit. Exaggera quantum potes, ſed tamen hominum iſta uitia fuerint, nõ cõiugij. Crede mihi, nõ ſolet niſi malis maritis mala uxor cõtingere. Adde quod tibi magna ex parte in manu eſt, ut bonã eligas. Quid ſi corrũpatur? A malo quidẽ marito, uxor bona corrũpi poteſt: à bono mala corrigi cõſueuit. Falſo uxores accuſamus. Nemo, ſi quid mihi credis, unquã niſi ſuo uitio improbã uxorem habuit. Iam ex bonis parentibus,

bus, ferme ſimiles naſcuntur liberi. Quanquam & hi utcunq; nati, ferè tales euadunt, quales illos finxeris inſtitutione. Iam uerò non eſt quòd zelotypiam metuas. Iſte ſtulte amantium morbus eſt, caſtus ac legitimus amor zelotypiam neſcit. Quid tibi tragœdiæ in mentem ueniunt? Hæc maritum adultera ſecuri percußit, hæc ueneno ſuſtulit: illa morum odio ad mortem adegit. Cur nō potius Tiberij Gracchi Cornelia ſuccurrit? Cur non Alceſtis non optimi mariti coniunx optima? Cur non occurrit uel Iulia Pōpeij, uel Bruti Portia? Cur non æterno nomine digna Artemiſia? Cur non Hypſicrate Mithridatis Pontici regis uxor? Cur nō Tertiæ Aemiliæ comitas in mentem uenit? Cur non Turiæ fides? Cur non Lucretia, Lentulaq́; ſuccurrit? Cur non Arria illa à Plinio celebrata? Cur non innumeræ aliæ, quarum & pudicitia, et fides in maritos, ne morte quidē potuit immutari? Rara, inquis, auis in terris, mulier proba. Et tu rara uxore dignum te finge. Mulier, inquit ſapiens ille, bona, pars bona. Aude tuis moribus dignam ſperare. Plurimum in hoc ſitum eſt, quam deligas, quomodo fingas, qualem ipſe te illi præbeas. Sed dulcior eſt, inquies, libertas. Quiſquis uxorē accipit, cōpedes accipit, quas ſola mors poßit excutere. Quid autem dulce eſſe homini ſoli poßit? Si dulcis eſt libertas, ſociam aſſciſcēdam cenſeo, qua cum bonum iſtud tibi commune eſſe uelis. Quanquam quid iſta ſeruitute liberius, ubi ita uterq; alteri obnoxius eſt, ut neuter manumitti uelit? Aſtrictus es ei quem in amicitiā re- A ſimili.

 cipis.

Orbitas. *cipis. At hic nemo libertatem ademptã clamitat. At uereris, ne liberis morte abſumptis, orbus in luctũ incidas. Si orbitatẽ times, ob idipſum ducenda uxor eſt, quæ ſola hoc præſtare poteſt, ne ſimus orbi. Sed quid tu tam diligenter, imò anxie, omnia matrimonij incõmoda diſquiris, quaſi cœlibatus nihil habeat incõmodi? Quaſi uerò ulla ſit uita mortaliũ, quæ nõ ſit omnibus fortunæ ſubiecta caſibus. E uita migret oportet, qui nihil incommodi ferre uelit. Quod ſi ad cœleſtem tuã uitam reſpicias, mors hæc hominũ uita eſt, haud uita dicenda. Sin intra humanam conditionem animum cõtineas, nihil eſt coniugali uita, neq; tutius, neq; tranquillius, neq; iucundius, neq; amabilius, neq; felicius. Ab exitu rem ſpecta: quotũquenq; uides, qui ſemel expertus coniugium, non auide repetat? Mauricius meus, cuius eximia prudentia tibi nõ eſt incognita, nónne ab obitu coniugis, quam unice deamabat, altero menſe duxit in thalamũ nouam ſponſam? Non adeo libidinis impatientia, ſed negabat ſibi uitam uideri uitam abſq; cõiuge, rerum omnium conſorte. Iouius noſter, nónne iam quartã ambit uxorem? Sic adamabat uiuas, ut nullam conſolationẽ admiſſurus uideretur. Sic una defuncta, ad ſarciendam thalami ſolitudinem properabat, quaſi leuiter illas amiſſet. Sed quid nos de honeſto ac iucundo*

Ab utili, ac neceſſario. *diſputamus, cum non utilitas modo ſuadeat, uerum etiã neceſſitas ad coniugiũ impellat? Tolle matrimonium, perpaucis annis uniuerſum hominum genus funditus intereat neceſſe eſt. Xerxem illũ Perſarum*

regem,

regem, cum ex ædito loco ingẽtem illam hominum multitudinem intueretur, lachrymas non tenuiſſe di cunt, quòd ex tot hominum milibus poſt annos ſe- xaginta, nullus omnino ſuperfuturus eſſet. Cur quod ille de ſuis copijs intellexit, nõ etiam de uniuerſo ho minum genere perſpicimus? Sublato coniugio, quo- tus quiſq; ex tot regionibus, prouincijs, regnis, urbi- bus, cœtibus poſt centum annos ſupererit? Eamus nunc, & cœlibatum miremur, qui æternam ſit gene ri noſtro cladem allaturus. Quæ peſtis, aut lues à ſu peris aut inferis immitti poßit nocentior? Quid ab ullo diluuio timeri poßit acerbius? Quid triſtius ex- pectetur, etiamſi Phaethontæum redeat incendium? At ex huiuſmodi quidem tempeſtatibus multa relin qui ſolent incolumia, ex cœlibatu nihil reliqui fieri poteſt. Videmus quantum morborum agmen, quot caſuum diſcrimina noctes dieſq; hominum paucita ti inſidietur. Quot peſtis abſumit, quot abſorbet ma re, quot Mauors abripit? Taceo enim de quotidianis mortibus. Circumuolat undiq; mors: ruit, rapit, pro perat quantum poteſt, genus noſtrũ extinguere, & nos cœlibatum miramur, coniugiũ fugimus? Niſi for tè placet Eſſenorum inſtitutum, aut Dulopolitarũ, quorũ gentem facinoroſorum nunquã deficiens nu meroſitas propagat. Nũ expectamus, ut Iupiter ali- quis nos eodẽ munere donet, quod apibus tribuiſſe dicitur, ut ſine concubitu fœtificemus, & poſterita- tis ſemina è floſculis ore legamus? An uerò poſtula mus, ut ſicut è Iouis cerebro Mineruam prognatam

poëta

poëtæ fabulantur, ita nobis è capite liberi exiliant? An denuq; ut iuxta ueterum fabulas, è terra, è ſaxis proiectis, è duris arborum truncis homines produ/cantur? E terræ gremio permulta ſine noſtro cultu enaſcuntur. Plantulæ ſub umbra matris ſæpe pullulaſcunt: at homini hanc tuam propagandi uiã natura eſſe uoluit, ut mutua mariti uxoriſq; opera mortaliũ genus ab interitu uindicaretur. Quod ſi fugiant tuo exemplo mortales, ne iſta quidẽ, quæ tu miraris, eſſe poterunt. Cœlibatũ miraris, ſuſpicis uirginitatem? At nec cœlibes erunt, nec uirgines, ſi coniugij uſum ſuſtuleris. Cur igitur prælata eſt uirginitas? cur ho/norata, ſi exitiũ adfert mortalibus? Laudata eſt, ſed pro tempore, ſed in paucis. Voluit enim deus hominibus cœleſtis illius uitæ tanquam imaginem quan/dam & ſimulacrũ oſtẽdi, ubi neq; nubent ullæ, neq; nuptum dabunt ulli. Sed ad exemplum paucitas idonea eſt, multitudo inutilis. Quemadmodũ nõ omnes agri, quanquam feraces, ad uſum uitæ ſeruntur: ſed pars negligitur, pars oculis paſcendis colitur. At patitur hoc ipſa rerum copia, in tanta aruorũ amplitudine, exiguam partem ſterilem relinqui. Verum ſi nulli ſerantur, quis nõ uideat nobis ad glandes fore redeundum? Ita cœlibatus in tãta hominum multitudine, in paucis quidẽ laudem habet, in omnibus ſummam reprehenſionem habiturus. Iam maxime in alijs ſit uirtutis nomen habiturá uirginitas, in te certe uitioſa fuerit. Cæteri enim puritati ſtuduiſſe uidebuntur, tu generis parricida iudicaberis, quod cum hone/

honeſto coniugio propagare potueris, turpi cœliba
tu paſſus ſis interire. Liceat è numeroſa ſobole uir/
ginem deo conſecrare. Ruſtici frugum primitias ſupe
ris immolant, nō uniuerſum prouentum: at te unum
ſtirpis tuæ reliquias eſſe memineris oportet. Nihil
autem refert, utrū occidas, an ſeruare recuſes, qui à
te uno ſeruari & poterat, & facile poterat. At ſoro **Violatio.**
ris exemplum te ad cœlibatum adhortatur. At iſta
uel una re potiſſimum debebas à cœlibatu deterreri.
Generis enim ſpem, quæ prius utriſq; erat commu/
nis, nūc totam ad te unum reuolutam intelligis. De
tur hæc uenia ſexui, detur ætati: puella dolore uicta
peccauit, ſtultarum muliercularū, aut ſtultorum mo
nachorum impulſu ſeſe præcipitem dedit. Tu maior **Exemplū cū collatione.**
natu, uirum te eſſe memineris neceſſe eſt. Illa maiori
bus ſuis cōmori uoluit, tu ne moriantur, operam da
bis. Soror ſubduxit ſeſe officio, tu duorū tibi partes
obeundas eſſe cogita. Non dubitarūt filiæ Loth cum
patre temulento rem habere: ſatius eſſe iudicātes ne
fario etiam inceſtu generi conſulere, quàm pati inte
rire. Tu matrimonio honeſto, ſancto, pudico, ſine of **Epilogus.**
fenſa, ſumma cum uoluptate, non conſules tuo ge/
neri alioqui intermorituro? Quare ſinamus eos Hip
polyti inſtitutū imitari, ſectentur cœlibatum, uel qui
mariti fieri poſſunt, patres non poſſunt: uel quorum
tenuitas liberis educandis non ſuppeditat, uel quorū
genus aliorū opera poſſit propagari: aut certe eiuſ/
modi eſt, ut magis Reip. conducat intermori, quàm
propagari: uel quos peculiaris quidam æterni numi
nis

nis fauor, communi hominum ſorte ſelectos cœleſti cuipiam functioni deſtinauit, quorum mira eſt raritas. Tu uerò cum teſte medico uiro neque imperito, & minime mendaci, magnam poſteritatem promittere uidearis, patrimonium habeas ampliſsimum, genus autem cum optimũ, tum clariſsimum, ita ut obliterari ſine nefario ſcelere, magnoq; Reipub. detrimento non poßit: tum adſit ætas integra, nec deſit forma: offeratur uerò coniux puella, qua neq; integriorem, neq; illuſtriorem ullam uiderunt ciues tui, pudica, modeſta, pia, facie diuina, cum dote ampliſsima: cum rogent amici, lachrymentur propinqui, inſtent affines, patria flagitet: ipſi maiorum tuorum cineres è tumulis idipſum te obteſtẽtur: tu tamen adhuc cuntaris, adhuc cœlibatũ cogitas? Si qua res parum honeſta abs te peteretur, ſi qua difficilis, tamen uel tuorum uota, uel generis charitas animum tuum expugnare debuerat. Quanto æquius eſt id amicorum lachrymas, patriæ pietatem, maiorum charitatem abs te obtinere, ad quod te diuinæ pariter & humanæ leges hortantur, natura inſtigat, ratio ducit, honeſtas allicit, tot commoda inuitant, neceßitas etiam ipſa cogit? Sed iam argumentorum plus ſatis. Confido te iamdudum me monitore ſententiam mutaſſe, animumq; ad ſalubriora cõſilia appuliſſe. Plurimum conducet in hoc ſuaſorio genere longe omnium utiliſsimo, diligẽter exerceri. Dominatur enim ferè in omnibus generibus. Primũ igitur cuiuſmodi ſit, quod perſuadere cupis, attẽte eſt conſiderandũ:

De exercitatione huius generis præceptio.

Deinde

Deinde quæ ſunt in eo commoda, omnia diligenter colligemus, & amplificabimus: contrà uerò ſi qua inſunt incommoda, quæq; illius animum poſſe deterrere uidentur, ea aut extenuabimus, aut remouebimus, excogitatis quàm plurimis rationibus, & rationum cõfirmationibus, ac locupletationibus. Qui loci incidẽt cõmunes, ad rem accommodandi ſunt: uelut hic incidebat, omnibus rebus inſitam eſſe uim propagandi ſui. Item mille morbis, mille caſibus atteri genus humanum. Item quàm nihil in hac uita iucundum ſine conſorte. Item ſenectutem ac mortem tolerabilem fieri, paratis liberis. Poſtremo uerò uidendum quibus argumentationum formis, aut quibus exornationibus ea quæ excogitata ſunt, quàm commodiſsime poſsint explicari.

DE GENERE DISSVASORIO.

IN diſſuaſione omnia incõmoda colligemus. Hæc quemadmodũ inueniri poſsint, mox paucis demõſtrabimus, quæ quidem meditata, et tanquam ad manum habere oportebit. Proponat autem didaſcalus aliquod argumentum ſcite excogitatũ, capita rationũ, exempla, ſimilitudines: & ſi uolet, diſpoſitionem paucis oſtẽdat, reliqua puerorũ ingenijs relinquat. Deinde illorum inuenta caſtiget, mox palinodiam ſcribere iubeat. Nonnunquã etiam acuendi ingenij gratia, infames materias proponat. Veluti ſi quis ſuadeat paupertatẽ, exiliũ, ingratitudinem, ægrotationem, contemptum ſtudiorum, neglectũ linguarũ, tyrannidẽ, uel ut uetulus uetulã ducat, ut domũ ducat

uxo=

uxorem improbam. Nibil enim eſt ita natura bonũ, quin ab ingenioſo oratore deprauari poßit. Hac ex*ercitatione cum copia, tum promptitudo quædam quauis de re dicendi parabitur.* A me *modo ſuaſum eſt matrimonium, ubi pleraq; eius uitæ cõmoda collegi, contrà autem cœlibatus incommoda exaggeraui. Incommoda uerò matrimonij, quæ illic partim extenuaui, partim refelli, ea in palinodia erunt exaggeranda: contra, commoda aut uehementer deprimenda, aut commoda eſſe neganda.*

Q*uo nam igitur modo erit hæc palinodia inſtituẽda?* Aut *hoc ipſum argumentũ iiſdem poſitis circunſtantijs, in diuerſam partem tractabimus: aut fingemus amicum ſecum hæſitantẽ, utram uitam uelit amplecti, aut iam nuptias animo deſtinaſſe.* Et *ut à circunſtantijs diſcamus inuenire argumenta, thema certis perſonis confictum proponemus, hoc pacto:* Petrus *adoleſcens, minimus fratrum ſuorum, ſummo ingenio, & iam literis initiatus, matris opera à ſchola reuocatus, ab eadem ad ducendam uxorem ſolicitatur, puellam, & diuitem, & egregia forma.* Pater *neq; uxori, neq; filio refragatur, ſed liberum illi permittit, ut eligat.* Scribit *nunc illi ſodalis, æqualis, & ſocius ſtudiorum, conaturq; illum à matrimonio deterrere.* Hic, *ut coniugium quàm miſerrimum oſtendat, omnes eius uitæ ærumnas contrahet: primum ab ipſius coniugij natura.* Adducet *enim ſeruitutẽ, & eam quidem, quam ſemel admiſſam effugere nullo modo poßis.* Nulla *enim ſeruitus, nõ miſera eſſe poteſt.*

teſt, quum hominem natura libertatis auidum finxerit. Atq; hic incidit locus communis, late tractabilis. Ad hæc, quum omnis ſeruitus miſera eſt, tum illa minime uiro conuenit, qua cogimur mulierculis inſeruire. Præterea quòd mutua eſt ſeruitus. Accedit etiã alterum incommodum, quòd eam ipſam ſuſtinere cogeris & alere, cui inſeruis. Nam reliquis in ſeruitutibus, ſerui ex dominis pendent, at illa ex te. Prius ibas, quò uolebas: cœnabas, ubi uolebas, uiuebas quicum uolebas, uagabaris, nugabaris, conuiuabaris, luſitabas, confabulabaris. Nunc domi deſidendum, cœnandum domi, cubandum domi uiuendum more illius. Quæ ſi facis, ubi dulcis illa libertas? Sin minus, lites domi paratæ, audienda iurgioſæ uxoris conuicia. Res augeri poterit per contentionẽ. Seruus uernaculus ſiue emptitius, uel precio dato, uel ex heri benignitate, ſperat libertatem: hic ſola mors habet ius manumittendi. At formoſa eſt, non poteſt non eſſe uoluptati. Imo ſi formoſa eſt, certam miſeriam effugere non potes. Nam ſi deformis eſſet, minus quidem animum uoluptate oblectaret: at rurſum metu minus angeret, minus procax eſſet.

Nunc quum formam ſuã non ignoret, multo erit inſolentior. Tum ſi parum pudica ſit, quì tibi iucunda poterit eſſe uita? Sin publica, quod haud ſcio an fieri poßit, perpetuo metu cruciaberis, ne te non ſatis amet, ne corrumpatur, ne mutet animum. Nam ſi non ames, miſerum eſt uiuere cum ea, quam nõ ames. Sin ames, hæc omnia ſecum incõmoda adfert amor,

ſuſpiciones, iniurias, iurgia, rixas, & cætera. Prætere*rea ſtulti eſt, compedes ſuas quamuis aureas amare. Quid refert, lineo an ſerico fune ſtranguleris?* Dein*de extenuabis eam corporis uoluptatem, qua nega/bis tantos dolores eſſe emendos. Eſt enim pecunia prorſus plena faſtidij, plus aloês quàm mellis habẽs, indigna magnis ingenijs.* An *hæc una tãti eſt, ut multo dulciores uoluptates relinquas, & tot miſerias adeas?* Atque hic *rurſus incidit locus communis, aduerſus eam uoluptatem, quæ ex coitu percipitur, quam quidam non inſcite morbi comitialis ſpeciem dixere,* Plato *eſcam malorum.* Nulla *res magis hebetat animi uigorem, nulla magis eneruat uires corporis, nulla magis accelerat ſenium. Poſt hæc oſtendat rem eſſe plenam periculoſæ aleæ.* Hic *locus incidet odioſus, de uitijs fœminei ſexus, quã paucæ bonæ aut pudicæ reperiantur, quàm paucos non pœnituerit initi cõiugij.* H*æc omnia quæ nimium frequenter accidũt, ponet ob oculos.* Vx*orem rixoſam, procacem, impudicam: breuiter his moribus, ut, quod frequenter accidit, maritum ad mortem adigat: perẽnes querelas, dotis exprobrationem, affiniũ graue ſupercilium, garrulam ſocrus linguam, ſuffoſſorẽ alieni matrimonij, liberos impios ac perditos, aliaq́; quæ plurima collegere* Iuuenalis, T*ertullianus,* H*ieronymus & alij qui in uituperando matrimonio uires eloquẽtiæ deprompſerunt.* At*q; hinc ueluti gradu facto, deſcendet ad ea incommoda, quæ felix etiam matrimonium ferè conſequuntur: maiorem rei domeſticæ curam,*

ram,ſtudium augendarum facultatum,adipiſcendo-rum honorum (huc enim extimulat uxoris fœcundi tas) morbum filiorum aut uxoris, mortem, luctum, orbitatem. Contrà, quæ uoluptas ſit in literis. Non poſſe quenquam ſimul & uxori & muſis uacare. Quæ dignitas, quæq; felicitas uirginitatis. Hic per contentiones enumerabit,quæ relinquat, quæ ſube-at. Sed ſine matrimonio genus humanũ ſuſtineri nõ poteſt: quaſi uerò deſint,qui iſto munere fungantur. Iſthuc alijs relinque, qui humanis rebus ſunt nati,tu ad diuina,ad cœleſtia factus es. Sunt tibi fratres,quo rum opera genus tuum poſſit propagari,tuum eſt il-lud non liberis,ſed literis illuſtrare. Plures filios tibi parabis beneficijs tuis,quàm uxor poßit gignere. Et ſæpenumero fidelius amãt, quos pararis,quàm quos genueris. Puta te tot habere filios,quot pueros,quot adoleſcentes ad honeſtas literas,ac piam uitam inſti tueris. Hi parentem non grauant ſumptu,non diſcru ciant alendi ſolicitudine, imò potius alunt parẽtem. Et hic eſt locus cõmunis, longe uerius eſſe patrem, qui fingit,ac format animum,quàm qui generat cor-pus. Ad horum omnium ſingula poterunt accommo dari exempla, cæteraq; quibus oſtendimus oratio-nem locupletari. Hæc indicaſſe ſuffecerit,ne plus ſa-tis oneremus lectorem.

DE CONSOLATORIA EPISTOLA.

QVũ uita mortalium undiq; plena ſit calamita tũ,neq; multos reperire liceat, quos ſuæ fortu-næ non pœniteat, nullum officium incidit frequẽ-

tius, quàm ut amicorum animos conſolando ſubleue mus. Neq; uerò mediocre beneficium eſt, tempeſtiua & amica cõſolatio, qua quoties in rebus afflictis eo/ rum, quibus beneuolumus, ægritudini re mederi non licet, uerbis ſaltem lenimus dolorem. Verum ſcite id ipſum faciamus oportet, ne uelut imperiti medici uul nus crudum adhuc & recens exulceremus potius, quàm mitigemus. Proinde triplex erit ratio tractan dæ conſolationis: una ſimplex & aperta, per quã ar gumentis declaramus non eſſe cauſam dolendi: quũ uiro ſapienti nihil accidere poßit triſte præter turpi tudinẽ, neq; à quoquam lædi poßit, niſi à ſeipſo. Hu iuſmodi ualidis pharmacis utemur, quoties nobis cũ philoſopho, aut alioqui uiro cordato res eſt. Altera per inſinuationem ſumenda, quoties aut animus eſt infirmior, aut dolore recentior, acerbiorúe, quàm ut apertè patiatur ſibi admoueri manus. Siue quum ere ctior eſt animus eius, quẽ cõſolamur, quàm ut uideri uelit opus habere conſolatore. Nam quemadmodum ſunt quidã animo tam excelſo præditi, ut cùm ægro tent grauiter, tamen pudeat medicũ accerſere, quòd ignauũ, ac forti uiro pudendũ æxiſtiment ægrotare: ita ſunt qui pudore quodã generoſæ mẽtis, quãlibet magnũ dolorẽ animi premũt, ac dißimulãt. His hac arte erit obrependũ, ut negemus non conſolandi gra tia ſcribere, quũ multis modis perſpectã habeamus illius eximiã ſapientiam, tum infractã animi magni/ tudinẽ omnibus fortunæ procellis maiorẽ: tametſi ſa tebimur cauſam eſſe eiuſmodi, ut aliũ quẽlibet facile

Triplex ratio tractandæ cõ ſolationis.

poßit

poßit deijcere, tamen non dubitare nos, quin homo à puero ueræ philoſophiæ præceptis inſtitutis, longo rerũ uſu doctus, adhæc inuicto quodã animi robore præditus, fortiter ferat, quod ex cõmuni mortalium lege uitari non poteſt: nos illius fortitudini gratulari uelle potius, quàm dolori mederi. Priori incommodo *ſic medebimur, ut eius, quem cõſolari uolumus, affectum in nos transferamus, ſic attemperantes orationẽ, ut noſtro dolori magis obſequi, quàm illius ægritudinem mitigare uelle uideamur.* Hac arte M. Tullius Milonis *cauſam agens, ficte metum in ſe transfert, quo iudicum animis metum eximat.* Siquidem *quos dolor adhuc totos poßidet, non aliter tractandi ſunt, quàm iſti, qui ob morbo uitiatum animi iudicium, ſibi uidentur eſſe cornuti, aut naſo in longum prominenti, aut mortui, aut teſtacei.* Oderunt *diſſentientes, amant eos, qui per diſsimulationem ipſorum imaginationi aſſentãtur.* Proinde *qui his mederi ſtudent, nõnunquam ſimulant ſeſe eodem teneri malo.* Porrò *contracta beneuolentia, facile perſuadent remedium, ac paulatim obrepentes, tandem eximunt falſam imaginationem.* Itidem *agendum erit cũ his, quorum animus nondum admittit manum medicantis.* Dicemus *nos ipſos ad conſolandum parum eſſe idoneos, qui non minus angamur animo, quam is ipſe, quem cõfirmare deberemus.* Deinde *doloris cauſas etiam exaggerabimus, eamq; exaggerationem non ſolum à re ipſa, ſed ab eius etiam qui patitur, indignitate ſumemus, non ſine laude quadam eius iniu*

riã quã plurimis bonis uiris dolere dicemus. Quod ubi erit factum, tum medicamentũ adhibebimus: hic omnia quæ dolorem lenire poſſint, diligẽter colligemus. Id fiet, ſi ipſum malum in quod incidit, ueriſſimi liter extenuabimus: & bonum unde excidit, quantũ licet eleuemus. Malum extenuabimus, ſi minime diuturnum fore oſtendemus. Solent enim patientius ferri incommoda, quæ breui finem habitura putentur, præſertim ſi eam incommoditatẽ magna aliqua ſpes ſequutura monſtretur. Hic omnes rerũ coniecturas diligẽtiſſime diſpiciemus, quibus eam ſpẽ quàm maxime probabilem efficiamus. Vnde autem coniecturæ ſumantur, rhetorum de ſtatu coniecturali præceptiones haud obſcurẽ demonſtrant: & Ciceronis cum multæ, tũ illa in primis ad Cæcinnam epiſtola, exemplo eſſe poteſt, ubi idem facere ſuo more tantum quam augurandi diſciplinam quandam tradere uidetur. His omnibus aſſentationem quãdam admiſcebimus. Quod ſi eiuſmodi ſit incommodum, ut diuturnum uideri neceſſe ſit, aliis extenuandi rationibus utemur. Aut enim nõ eſſe incommodum, aut non eſſet tam graue, quàm apparet nitemur oſtẽdere. Id faciemus, ſi quicquid erit in eo commodi, id accuratè cum amplificatione quadã indicemus. Nullum enim tam graue malũ homini poteſt accidere, ex quo non aliquid cõmodi decerpi queat. Si negabimus ullũ eſſe malum exiſtimandum, quod citra culpã homini obtigerit, quemadmodũ docet Ariſtoteles, iucundã eſſe malorum recordationẽ, quæ cũ honeſta fama coniun

Extenuandi malum modus primus.

Alter modus extenuandi malum.

cta ſunt: ita leuius ferimus, quæ noſtra culpa contra cta non ſunt. Hic philoſophorũ rationes, & præter cæteros Stoicorũ plurimũ adiuuabũt: ſi eiuſmodi calamitatẽ uel famæ eius profuturã, uel gradũ quendã ad maxima cõmoda iactũ eſſe oſtẽdemus. Solet enim ſumma uirtus, ſummaq́; felicitas à duriſsimis initijs plerunq; proficiſci: idq́; exemplis approbabimus, ſi theologico more eiuſmodi tempeſtatẽ à ſuperis propitijs immiſſam dicemus, corpori quidẽ moleſtã, ſed animæ ſalutarem. Nihil aũt æquè dolorẽ leuat, teſte Cicerone, ut cõmunis tanquã legis humanæ conditionis recordatio: quare id mali, illi cũ uniuerſo mortalium genere, uel certe cum clariſsimis, optimisq́; uiris quàm plurimis cõmune eſſe declarabimus. Hic illuſtrium uirorum exempla, qui in eoſdẽ luctus inciderunt, aut certe ſimiles, quiq́; eos fortiſsimo animo, maxima cum laude tulerunt, accumulabimus. Poſtremò ad exhortationem ueniemus: ad priſtinam animi tolerãtiam, magnitudinem, ſapientiam, eruditionem uocabimus. In concluſione omnem operam, ſtudium, diligentiam, & ipſi, & eius filijs, ac neceſſarijs deferemus. In hoc conſolando iocus erit uehementer fugiendus, niſi leue ſit incommodum, ut ioco poßit exhilarari. Tum ſi modo cui ſcribimus is erit, qui huiuſmodi rebus capiatur, quàm blandiſsime iocandum erit, ita tamen, ut ueras conſolationes cum iocis permiſceamus. Præterea cauẽdum, ne nõ tam amice conſolari, quàm præcipere uideamur, niſi uehementer erit familiaris, cui ſcribimus: nc tanquam

ſani ægrotãtibus imperemus: ne quid de noſtra, alio rumúe felicitate cõmemoremus: ne Tityrum illum Vergilianum ruſtice imitemur, O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit. Vt enim ſocietas miſeriam leuat, ita alienæ immunitatis recordatio, ægritudinem exaſperat. Quæ quum ſatis diligenter præcepta putem, exemplum adijciemus. Canidius uir in rep. ſua præclarus, per inuidiam factionum aduerſarum eiectus, in longinquis regionibus exulat, relicta domi uxore paruisq́; liberis, eum amicus conſolatur. Officium meũ tibi, ut à quo perſæpe meo in luctu fuerim amantißime cõfirmatus, uiciſsim in tuo triſtißimo caſu deberi quidem agnoſco: ſed te nihil egere gaudeo. Ita enim fortiter ſapienterq́; exilium ferre audio, ut nos, qui tui deſiderio angimur, tua potius, quàm tu noſtra conſolatione ſimus ſubleuãdi. Næ tu ſanè uir fortißime, nihil à tuis ſtudijs alienum facis. Ita enim à puero, et optimis maiorum inſtitutis, et philoſophiæ rationibus animum præparaſti, ut nullus te fortunæ ſtatus, nec ſecundus erigere, nec aduerſus poßit deijcere. Non quo te tam acerbi uulneris ſenſu omnino carere putem: id enim ſtupentis magis, quàm excellentis animi uidetur. Quis enim tam ſaxeo pectore ſit, qui, quod tibi euenit, quum pro ſummis in remp. meritis, ſummam contumeliam acceperit, tanta ingratitudine nõ permoueatur? Quis tantum obliuionis ex illo Lethæo flumine bibit unquã, ut nullo natalis terræ, amicorum, uxoris, liberorũ deſiderio teneretur? Non tibi doleat uulnus qui acceperis, quum mul-

Argumentum ſiue thema epiſtolæ.

Epiſtola conſolatoria exiij.

multis nõ tuis modo, uerum alienis, bonis tamen, do leat? Quare ſi te dolere uetẽ, inhumaniſsimus planè uidear, tametſi affirmare auſim, permultas eſſe cauſas, cur tu malum moderatius ferre debeas: quod ſi etiam diuturnum fore uideretur, tamen erat quo te ſuſtentares, nempe in primis tua uirtute, literis, conſcientia rectè factorum: qua quidem nulla eſt in rebus aduerſis uel uerior, uel præſentior conſolatio. Nunc certiſsimo augurio breui futurum ſpero, ut tibi de honeſtiſsimo reditu gratulemur: omnesq́; exiſtiment æmulos tuos, qui tuam ſalutem extinguere credebantur, dignitatem tuam uehementer illuſtraſſe. Id quidem ego auguriũ, ne uanum putes, certiſsimis ſignis, partim quidem à tua uirtute, & maximis in Remp. officijs, partim à temporũ natura colligo. Eam enim in te ſapiẽtiam, integritatem, induſtriam, noſtra Reſp. domi, belliq́; experta eſt: ut etſi tu pro animi tui magnitudine, patria carere facile poſſes, illa certe tali ciue diutius carere omnino nõ ſuſtineat. Cur igitur ſic meritũ eiecit, inquies? Rerumpub. tempeſtates noſti: nec uulgi animos ignoras, quibus nihil inſtabilius: qui procellarum in morem ſurſum ac deorſum fluctuãt, nec quenquã conſtanter aut odiſſe ſolent, aut amare. Ita eſt humanũ ingenium, uirtutis nec præſentis fulgorẽ, nec abſentis deſiderium ferre poſſumus. Præſentẽ, ut Flaccus ait, odimus, ſublatam ex oculis quærimus inuidi. Camillum uirum clariſsimum, cuius in pace ſplendorẽ Romanã Reſpub. ferre non potuit, afflictis in rebus, coacta eſt reuocare:

A perſona.

Confutatio.

Exempla.

nec prius quàm expuliſſet, qualẽ ciuem habuiſſet ci uitas alioqui non ſapiens intelligere potuit. Itaq; *quũ abſenti patriam reddidiſſent, & dictaturam non am bienti decreuiſſent, imperium quod à ciuibus deſere batur, ab exule defenſum eſt. Socratẽ, uirum omniũ quos terra produxit optimũ, Anyti et Meliti calum nia, undecim uiri ueneno damnarunt, quem ubi deſi derare cœpit ciuitas Athenienſis, repente omnium cõuerſis animis, in ipſos accuſatores publicus eſt im petus factus: Socrati ſtatuæ erectæ. Serius quidẽ illi, quàm Socrati cõmodum erat, reſipuerũt: tu nondũ ita cecidiſti, quin facile reſtitui poßis. Iã multos quos tuus in Rep. ſplẽdor urebat, tui deſiderium cruciat: factionis aduerſæ qui ſunt, partim amicorum præci bus uicti, partim abſentia tua, partim ipſa die muta ti, poſuerũt odium: nonnulli ad amicorum tuorũ par tes transfugerunt. Nemo certe eſt, qui nõ minus ode rit. Peropportune uerò bellum oritur, & magnũ, & periculoſum, & quidem cum ijs ipſis, quos aliquan do tua uirtute coercitos meminerunt. In quo quum uehementer Reſp. tuam operam ſit deſideratura, in certã ſpem adducor fore, ut qui ab ingratis ciuibus fueris eiectus, à ſupplicibus reuoceris, ut nõ tã acer bum fuerit eiectum fuiſſe, quàm glorioſum ſic fuiſſe reuocatum. Habes augurium meum: quod ita meum eſt, ut idem amicorum tuorum nemo non ſperet, ini micorum nemo non metuat. Quo ſi quid addubita rem, non uterer ullis remedijs potius quàm illis, qui bus te uirum fortem facile ſuſtentari uideo, quibusq́ ipſe*

Facit uetiſl. uſita.

ipſe utor quotidie,& te uti facile ſuſpicor. Optima conſolatrix philoſophia, quæ non unum aliquod malum inanibus fomentis lenire,ſed ad omnes fortunæ incurſus animum amare ſolet. Huius, ut ita dicam, lacte quũ ab ipſis ſis incunabulis enutritus,quid ego ſus Mineruam, aut ululas Athenas?ſed tamẽ pro tua modeſtia memorem,ut aiunt, te moneri patieris,uidelicet ut hominis felicitatem non in fortunæ temeritate, ſed in animo eſſe ſitam memineris. Patriam, opes,honores,cæteraq́; munera ſua,fortuna poteſt eripere:animum ſapientem neque dare,neque eripere poteſt. In te ipſo omne præſidium tuum conſtitutum eſſe cogites:ſapienti uiro,præter turpitudinem, nihil acerbi poſſe accidere. Virtutem ſeipſa contentam non è caſuum mutabilitate pendere. Non cruciari,ſed cruciatu dignum admittere, in malis eſt numerandũ.Tua te uirtute inuoluas oportet. Exilium dolet?Non tu miſer, qui immeritus pateris,ſed ij longe miſerrimi, qui immerentem eiecerunt. Infelicius enim lõge eſt facere iniuriã,quàm accipere.Patriã ingratiſsimi ciues eripuerunt: animi magnitudinẽ, uirtutem,integritatem,eruditionem,honeſtã famam eripere non potuerunt,nec poterunt. At hoc ipſum dolet,quòd optime meritus ab ea Repub.quam ſæpe numero tua uirtute ſeruaris,exulas. At iſthuc maximam ægritudinis partem leuare deberet. Socrates, uir integritate laudatiſsimus,uenenũ bibiturus,uxorem eiulantem, deplorantemq́;, quòd innocẽs eſſet moriturus,obiurgãs: Stulta,inquit,nocentem me mori

Conſolatio è philoſophorũ decretis.

Paradoxa.

Confutatio.

ri malles? At quod euenit ex merito, leuiter, lenteq́; ferēdū. Quæ uenit indigno pœna, dolēda uenit. Vul gi iſta ſententia eſt, & ſtultitiæ plena. Sapienti uerò quæ maior eſſe poſsit conſolatio, quàm ex rectè factorum conſcientia? quæ quum aderit, etiam ſi fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ. Omne ſolum forti patria eſt. Egeſtas, exilium, bellum, non mala, ſed materia uirtutis ſunt. Creſcit enim, & alitur aduerſis rebus animi uigor, perinde ut ilex: quæ quo diligentius duris bipennibus tondetur, eo latius ramos diffundit. Darius ſe rebus aduerſis prudentiorē fieri dicebat. Ego uerò ita exiſtimo, multos egregios uiros, fortunæ ſæuitia non prudentiores modo, uerumetiam clariores euaſiſſe. Num Herculis gloria per orbem ſic emanare potuiſſet, niſi illi Iuno tot monſtra, tanquā uirtutis materiam obieciſſet? Vlyſſem equidem non tam bellicis rebus, quàm tolerantia malorum, quibus decennium eſt iactatus, immortale nomen adſequutum puto. Cedunt ipſa interdum feliciter mala, & à ſuperis propitijs immittuntur. Multos tibi recēſere poſſem, quibus ita ceſsit exiliū, ut optandum fuiſſe uideretur: qui quum in patria uel obſcuri, uel inuidioſi uixiſſent, apud exteros & rem ampliſsimā, et ſummos honores ſunt aſſequuti. Claudium uirum nobiliſsimum, à ciuibus in exiliū actum, Gallia excepit. Iam exul adeò locuples, claruſq́; eſt, ut non modo patriam non deſideret, uerumetiam quòd non ante reliquerit, pœniteat. Petrum Aliacenſem Cameracenſis ciuitas epiſcopum eiecit, Ro

Confutatio.

Sentētia mixta ſimili.

Apophthegmata.

Exempla fabuloſa.

Exemplum confictum.

ma ex exule fecit Cardinalem. Multa apud noſtros, ad gloriam uirtutis uia graſſantibus obſtant, æmulatio, inuidia, poſtremo uirtutis & ſplendoris ſacietas quædam. Quare cum ex his rebus, quas tu ſemper es admiratus, & in quibus felicitatem cõſtituendam iudicauiſti, nihil tibi deceßit, nihil eſt, quod te his caſibus uehementer afflictes, quibus natura uniuerſum hominum genus ſubiectum eſſe uoluit. Hac enim lege naſcimur omnes, ut omnibus fortunæ caſibus ſubiaceamus. Sic libitum eſt fortunæ in rebus humanis ludenti, indignos attollere, optimum quenq; deijcere, læta miſcere triſtibus. Quid autem acerbũ uideri poteſt, cuius conditio tibi cum omnibus eſt communis? Repete cogitatione & ueteres & recentes annales. Mitigatio mali à Cõmunitate.

Quem tu regem, quem ducem, quem clarum uirum ab hoc ſæuo fortunæ ludo immunem fuiſſe cõperies? Quoties illa è domino ſeruum, è rege captiuũ, è conſule rhethorem, è triumphatore exulẽ, ex patriæ conſeruatore hoſtem patriæ fecit? Quid unquam habuit Græcia Alcibiade uel generoſius, uel fortius? At hic ubi ſplendore ſuo inuidiam ſuſcitaſſet, ex ea Repub. quam multis uictorijs illuſtraſſet, in exilium eiectus eſt Ariſtides ob inuidiam, quod ob morum incorruptam integritatẽ, uulgo Iuſtus cognominaretur, oſtraciſmo damnatus ſolum uertere iuſſus eſt. Quid Phocione iuſtius? at hunc etiam uenenum bibere coẽgit. Quid Socrate caſtius? at huic ſua uirtus exitum attulit. Quid de Scipione dicã? quid de Bruto, quid de Catone, quid de Cicerone, qui ea Rep. carere cõpulſi ſunt, Exemplum Græcum. Exemplum Romanorum:

ſunt, quam magno ſuo periculo ipſi ſeruaſſent? At quanto animo, ſapientiſsimi uiri ciuium iniurias tulẽrunt? nimirum intelligebant uirtutem ſuã, et gloriam bene geſtis partã, non in ingrata patria reſidere, ſed unà in exiliũ comitari. At fruſtra ſuã operam in ingratiſsimos ciues cõtulerant. Minime. Quid ita? quia non ut in patria ſeneſcerent, ea pericula ſuſceperant, ſed ut æternã ſibi famam cõpararent. Exules tamen erant. Minime. Quamobrem? eam enim pro patria habere deſierant, in qua talibus uiris locus non eſſet. Vbicũq; bene ſumus, in patria ſumus. Quare nõ magno eius deſiderio tenebantur, ubi minus tute, quàm in exilio uiuendum intellexerant. Numidico Metello, qui ob ſummam animi conſtantiam eiectus erat, quũ in ſpectaculo ſedẽti, literæ reuocationis redderẽtur, ne aperiendas quidem putauit, ante quàm ludi finirentur. Et metellus quidem Roma negligenter plane carebat, ſed Metello Roma carere nõ potuit. Quamobrẽ non poterat? quia cuius præſentis animi magnitudine ciues inuidi cruciabantur, eius abſentis induſtriam requirebant. Ille uerò exulem ſe eſſe non meminit, ne afflictum quidem aut miſerum putabat. Cur ita? Nimirum perſuaſum habebat eos, qui rem exilio dignam admitterent, miſeros eſſe: eos uerò, qui ob uirtutis inuidiam exularent, non ſupplicium, ſed gloriæ materiam accepiſſe. Secundis enim in rebus animum magnum obtinere, nõ magni negotij eſt. At ſæuiente fortuna, animo nõ frangi, ſed æquabilem mentis ſtatum tenere, id uerò longe pulcherrimum putatur.

Subiectio.

tur. Tu uerò quum ſis iſtis uiris, neq; rerum uſu, neq; animi magnitudine inferior, literarum etiam peritia ſuperior, ſtrenuos gubernatores debes imitari, qui quum maxime aduerſa tempeſtas incumbit, tum minime à clauo diſcedunt. Neque enim magni artificij eſt tranquillo mari, uentiſq; ferentibus, rectum tenere curſum, ſed egregium nauclerum tempeſtas arguit diuerſa. Et quoniam mare ingreßis uenti in manu non ſunt ijs, qui contigerunt, æquo animo utendum erit. Adde fieri nõnunquam, ut uenti nimiũ ſecundi plus periculi adferant, quàm aduerſi: cogũturq; plus æquo turgentia uela contrahere. Rebus enim plus ſatis ex ſententia procedentibus, facilè præcipites in exitium ferimur: aduerſis uerò, ut cautiores, diligentioresq;, ita tutiores nonnunquam ſumus. Collectio Allegoria

Quapropter cordatis uiris fortunæ fauorem ſemper ſuſpectum eſſe uideo, quæ tum maxime inſidiatur, quum blanditur maxime. His ego te rationibus facile confirmaſſem (quanquam quale eſt Herculem uelle conſolari?) niſi iam certa de reditu tuo ſpes omnium tuorum animos obtineret. Tu fac, ut animi uirtutem domi belliq; ſpectatam, in iſta interim palæſtra parem obtineas. Mihi liberorum tuorum negotia tantæ ſunt curæ, ut ne tibi quidem ipſi maiori eſſe poßint. Vale. Concluſio.

Quanquam autem orbitati, & exilijs potißimum adhiberi ſolet conſolatio, tamen licebit & alia themata comminiſci uarijs de rebus, quæ moleſtiam adferunt: ueluti de morbo corporis, de ualetudine parũ

pro-

proſpera aut firma, de ſenectute, de parum bonis aui bus contracto matrimonio, cuius fruſtra pœnitet: de monachali inſtituto, de ſacerdotio, aut alio uitæ gene re, cuius tædet eum, qui ſeſe addixit: de generis infeli citate, de conditionis humilitate, de paupertate mole ſta, de inuidia, de rebus aliquo caſu ereptis: de benefi cijs penes ingratum hominem depoſitis: de liberis improba uita dehoneſtantibus parentem: de peſtilen tia, de bello, cæteriſq; innumeris. Nam *hos ueluti fon tes uiſum eſt indicare præceptoribus, unde ſumant ſubinde nouum thema.*

Subijciemus & alterum exemplum. Antonius Suc *quetus amiſit filium optime ſpei adoleſcentem.* Hunc *conſolatur amicus.*

ALIVD EXEMPLVM CON/
ſolationis.

Quàm acerbum uulnus ex adoleſcẽtis optimi de/ ceſſu Pater *acceperis,* Antoni, *clariſſime, equidẽ ex meo ipſius dolore facilè coniecturam facio.* Qua/ *re uehementer ſim inhumanus, ſi parentem in tam triſti caſu lugere uetem, cum alienus ipſe non queam*

Tranſitus ad argumenta tionem.

non lugere. Impudens *autem merito uidear, ſi tuo do lori parẽ mederi, cum ipſi mihi medico ſit opus, ſiq; patri coner lachrymas abſtergere, cum ipſi lachry/ marum nullarum adhuc modũ facere poſſim.* Quan

Argumẽtatio.

quam enim hoc fortunæ telum, paternum pectus al/ tius ferire debuit, tamen illud tibi præſtare ſolet ſin/ gularis quædã ſapientia, ut omneis caſus humanos, non ſolum forti & infracto, uerumetiam alacri per/ feras

*ſeras animo. Proinde tibi conſtes oportet, ut animi
dolorem, omnino iuſtiſsimum (quis enim neget?) ſi
nondum potes abijcere, certe premas, ac modereris.
Cur autem non etiam abijcias? Videlicet, ut quod ab
idiotis impetrat paucorum dierum ſpacium, id à ſa-* Ratio.
*pientiſsimo uiro impetret ratio. Nam quæ matercula
tam impotenter filij mortem luget, cui dies non ægri
tudinem leniat primum, deinde penitus etiã adimat?
Nuſquã animo deijci, ſapientis eſt. At in his caſibus,
quibus omnes ex æquo maximi pariter ac minimi ſu-
mus obnoxij, dolore immoderatius, extremæ uecor-* Exemplum impar.
*diæ mihi uidetur eſſe. Quis enim ingnorat, niſi pror
ſus incogitãs, hac ſe lege natum eſſe, ut quandocunq;
uocarit Deus, ſit protinus hinc emigrandum? Itaque* Mitigatio mali à communitate.
*qui mortem hominis deplorat, quæſo, quid aliud,
quàm ſe mortalẽ eſſe deflet? Aut cur potius mortem
deplores, quàm natiuitatem, cum utraq; iuxta ſecun
dum naturã ſit? Perinde ac ſi quis gratias agat, quod* A ſimili.
*ad conuiuium ſit admiſſus, queratur autem ſeſe di-
mitti. Quòd ſi quis uelut è ſublimi ſpecula, uniuerſi
mortalium generis conditionem, uitamq; contemple
tur, non meritò delicatius ſibi uideatur, ſi inter tot or
bitatis exempla, inter tam denſa ſenum ac iuuenum
funera, grauius diſcrucietur animo, perinde quaſi ſo-
li nouum aliquod, ac magnum malum acciderit, qua
ſiq; unus tanquam albæ, quod aiunt, gallinæ filius,
extra publicam aleam ſtatui poſtulet? Quas ob res ſa
pientiſsimi legum conditores, ut luctum aliquem pa-
rentum affectibus indulgent, ne uidelicet, à quibusli* Ab autoritate.

bet ἀπάθειαν illã exigere uideantur, à nonnullis etiam Stoicis damnatam, ita eum modicis ſanè finibus circunſcripſerunt: Siue quod intelligerent, in id genus caſibus, qui cùm omnium ſunt communes, tum uerò non fortunæ iniuria, ſed ipſo naturæ curſu atq; ordine inducuntur, breuem mœrorem ſufficere: uel infirmioribus, utpote natura, uulnus quod inflixit, leniente, ſenſimq́; cicatricem obducente: ſiue quia perpenderint, dolorem non ſolùm inutilem eſſe ijs, quibus impenditur, uerumetiam pernicioſum ijs, à quibus ſumitur, grauem ac moleſtum amicis ac familiaribus, uitæq́; ſocijs.

Iam uerò ſi quis rem recta reputet uia, an non dementiæ ſpecies eſſe uidetur, ultrò malum malo addere: & cum fati iacturam nulla ratione ſarcire poſſis,

Simile. tamen ultro tibi perniciem accerſere? Perinde ut ſi quis ab hoſte, nonnulla facultatum parte ſpoliatus, quicquid reliquum eſt, id omne iratus in mare deijciat, atq; eum in modũ fortunam ſuam deplorare ſeſe prædicet. Quod ſi nos parum mouet Mimus ille no-

Exempla. bilis, & quouis etiam philoſopho dignus: Feras, non culpes quod mutari non poteſt, certè Dauidis ſapientiſsimi regis exemplum pulcherrimum in mentem ueniet: cui ſimulatq; pueri, quem tenerrime diligebat, mors eſt nunciata, confeſtim ſolo erexit ſeſe, puluerẽ abſterſit, cilicium abiecit, deinde lotus et unctus, uultu mutato, alacris ad epulas acceßit. Id factum admirantibus amicis: Quid eſt, inquit, cur me iam conficiam dolore? Nam antehac, utcunque ſpes erat fieri

poſſe,

poſſe, ut meo luctu flexus Deus, infantem ſeruaret: nunc nullis ille lachrymis ad nos reuocari poteſt, nos ad illum breui properabimus. Quis tam demens, ut cuiquam ſupplex eſſe uelit, quem certo ſciat præcibus non cõmoueri? At morte nihil inexorabilius, nihil ſurdius, nihil rigidius. Arte manſueſcunt feræ uel immaniſſimæ. Eſt quo frãgatur marmor: eſt quo molleſcat adamas, nihil eſt quo mortem delinias. Ea nec formæ parcit, nec opibus, nec ætati, nec imperijs. Atque ob idipſum æquiore ferenda animo, uel quod inæuitabilis, uel quòd tam ex æquo cõmunis omnibus. Iam uerò quid ego tibi recenſere pergam tot ethnicorum exempla, qui ſuorum interitũ excelſo infractoq; tulerint animo? A quibus animi fortitudine ſuperari Chriſtianos, nónne turpiſſimum uideatur? Nunc tibi ſuccurrat nobilis illa, meritoq; literis omnium celebrata Telamonis & Anaxagoræ uox: Sciebã me genuiſſe mortalem. Succurrat Pericles Athenienſium dux, non tam eloquentia, quàm animi fortitudine celebris: qui cum intra quatriduũ duobus mirificis adoleſcentulis orbatus eſſet, ſolito uultu, atq; adeò coronatus, etiã in cõcione diſſeruit. Succurrat Xenephõ ille Socrate præceptore dignus: cui cũ inter ſacrificandum, mors filij eſſet nunciata, coronam modò depoſuit, atq; eandem mox repoſuit, ſimulatq; fortiter in acie cecidiſſe cognouit. Succurrat Dion Syriacuſanus, qui cum in amicorũ conſeſſu nõnihil agitaret, ac ſubito tumultu in ædibus coorto ſciſcitatus, quid eſſet rei, didiciſſet filium de tegulis lapſum interiſſe,

Aſſimil.

Exempla impatiã.

nihil cõmotus, iuſsit extincti corpus mulieribus rite ſepeliendum tradi, ſeſe quod inſtituerat, non omiſſurum. Hunc imitatus Demoſthenes, amiſſa filia chariſſima, atq; unica, ſeptimo ab eius obitu die coronatus, & candido ueſtitu ad populum prodijt. Cuius facti & fidem confirmauit, & illuſtrauit gloriam Aeſchinis inimicis criminatio. Succurrat rex Antigonus, cui cùm nunciatum eſſet, filiũ in extraordinario conflictu cecidiſſe, pauliſper cunctatus, & intuens eos qui renunciarant, magno quidem animo, Sero, inquit, interiſti Alcyoneu (nam id erat filio nomen) qui tã temere in hoſtes te conieceris, neq; tuæ ſalutis, neq; meorũ memor monitorũ. Quod ſi Romana te magis capiunt exempla, reſpice Horatiũ Puluillum, cui capitolium dedicanti, cùm nunciatũ eſſet, filium uita defunctum eſſe, nec manũ à poſte remouit, neq; uultum à religione ad priuatum dolorem flexit. Reſpice Paulum Aemiliũ, qui intra ſeptem dies duobus amiſsis filijs, progreſſus in concionem, ultro populo Romano gratulatus eſt, quòd publicam fortunæ inuidiam, domeſtico luctu redemiſſet. Cogita Q. Fabium Maximum, qui cùm filium conſularem, & egregijs clarum geſtis amiſiſſet, conſul in concionem prodijt, & encomium filij recitauit. Intuere Catonem Cenſorium, cui cùm filius natu maior obiſſet, ſingulari ingenio, ſumma uirtute iuuenis, ad hæc prætor iam deſignatus, nihil tamen hoc caſu commotus eſt, ut Reipub. negotia ſegnius adminiſtraret. Occurrat Martius cognomento Rex: Is cùm filium ſummæ pieta/

pietatis,magnæ ſpei, poſtremò unicum amiſiſſet,or bitatem ſuam adeò infracto tulit animo, ut ſtatim à rogo iuuenis curiam petere,ac ſenatum legis feren dæ cauſa euocaret.Occurrat L. Sylla,cui filij mors, nihil omnino acerrimam illius in hoſtes uirtutem contudit,nec effecit,ut falſo ſibi Felicis cognomen tum uſurpaſſe uideretur. L. Bibulus poſtero ſtatim die,quàm utrunq; filium interfectum cognouit,ad ſolita officia proceſſit in publicum. Huius collega C. Cæſar, cùm Britanniam peragraret, & filiæ mortem didiciſſet, tamē intra tertium diem imperatoria obijt munia. M. Craſſus in Parthico bello,cū filij caput pilo præfixum conſpiceret (nam id hoſtes ludibrij cauſa propius accedentes oſtentabant,conuitijs etiam exaſperantes calamitatem)uſque adeò non eſt animo conſternatus, ut repentè per omnes ordines equo circumuectus clamaret, ſuum hoc malum priuatim,cæterum publicam Reip. ſalutem in militum incolumitate ſitam eſſe.Atq; ut omittam exēplorum agmen,Gallos,Piſones,Scæuolas,Metellos,Scauros, Marcellos, Aufidios. Claudius Cæſar,cùm eum amiſiſſet,quem & genuerat, & adoptauerat, ipſe tamē pro roſtris laudauit filium, in conſpectu poſito corpore,interiecto tantūmodo uelamento, quod pontificis oculos à funere arceret,& flente populo Romano,ſolus nō fleuit pater. Atq; ut hos quidem imitari pulchrum,ita turpiſſimū ſit,non præſtare uiros eum animum,quem fœminæ præſtiterunt.Cornelia duos filios,Tib.Gracchum,& C. Gracchum, & occiſos

uidit,& inſepultos. At conſolantibus amicis,ac mi ſeram dicentibus: Nunquam,inquit,non felicē me di cam, quæ Gracchos peperi. Sed quid nos hæc ex priſcorum annalibus repetimus? Quaſi uerò nō quo tidiana uita,ſatis exemplorum ſuppeditet? Circum/ ſpice uicinos,circunſpice cognatos & affines,quot reperies etiam mulierculas, quæ mortem liberorum moderate ferant? In tantū non opus eſt ad hanc rem magnis philoſophiæ præſidijs. Nam ſi quis modo ſe/ cū animo reputarit,quàm calamitoſa ſit hæc noſtra omnis uita,quot periculis, quot morbis,quot caſi/ bus,quot curis,quot incōmodis,quot uitijs,quot iniu rijs ſit obnoxia: quàm exigua pars eius nobis abeat, non dicā cū uoluptate,ſed nō aliqua ægritudine con taminata: deinde quàm fugax etiam ac præceps,pro pemodum etiam gratul ibitur ijs, qui maturius eam reliquerint. Breuitatem grauiter expreſsit Euripi/ des,qui uitam mortalium, diecular unam appellat. Sed melius Phalereus Demetrius,Euripidem caſti/ gans,qui eam non potius temporis punctum dixerit. Optime uerò Pindarus,qui uitam hominum,umbræ ſomnium appellat. Res duas maxime nihili coniun xit, umbram & ſomnium, ut planè quàm ſit inanis hæc uita,demonſtraret. Porrò quàm eadem ſit cala/ mitoſa, probe perſpexiſſe uidentur antiqui poëtæ, qui mortaliū genus,non alio epitheto rectius inſigni ri poſſe iudicarunt,quàm ſi eos, μοχθηροὺς καὶ δειλοὺς, id eſt,calamitoſos & miſeros,cognominarent. Nam prima pars æui,quæ quidem optima putatur,ſeſe ne

Tranſitus.

Ab extenua/ tione cōmodi amiſsi.

ſcit,

ſcit. Mediam protinus negociorum tumultus, curæq; excipiunt. Extremam morbi ac ſenectus occupat, ut de felicißimis interim agamus. Quis igitur non optimo iure probet illam Sileni ſententiam: Optimum eſſe non naſci, proximum quàm ocyßime aboleri? Quis non approbet Thracum inſtitutum, qui naſcentes luctu lamentisq; excipiunt, rurſum exeuntes è uita, gaudio, gratulationibusq; proſequi ſolent? Quòd ſi quis ipſe ſibi narret, quæ ſuis authoribus ſolitus eſt Hegeſias, is & ſuam mortem optabit potius quàm horreſcet, & ſuorum obitum æquißimo feret animo. At obſtrepit interim paternus dolor. Ante diem perijt, perijt adhuc ephebus, perijt optimus, ac ſingulari pietate filius, uitaq; longißima dignus. Queritur naturæ uices inuerti, quòd filio pater, iuueni ſenex ſuperſtes ſis. Sed obſecro te per deum immortalem, quid tandem appellas ante diem? Quaſi uerò non unuſquiſque uitæ dies & ſupremus eſſe poßit. Alius inter materni latebras uteri, uix dum homo præfocatur, et inter fingentis adhuc naturæ manus intercidit. Alius dum naſcitur, alius dum uagit in cunis, abripitur. Alius in ipſo ſtatim æui flore, uix dum perpetuo uitæ ſenſu, perit. E tot hominum milibus, quàm paucis datum eſt ad ſenectæ limē, quemadmodum uocat Homerus, pertingere? Hac nimirum lege deus animū in huius corpuſculi præſidio cōſtituit, ut quocunq; die, quocunque momento iußit diſcedere, protinus inde ſit exeundum. Neq; uerò quiſquam ante diem euocari ſibi uideri poßit, cùm nulli ſit certus

Confutatio.

A finitione.

dies præſcriptus, ſed is demũ legitimus eſt dies, quẽ-cumq; imperator ille noſter ſupremum eſſe uoluerit. Nos ſi ſapimus, unumquemlibet perinde ut ſupremũ opperiemur. Quanquam in tanta uitæ breuitate, fugacitateq;, quantulum quæſo refert, paulò ſerius, an maturius eximaris? Neq; enim magis intereſſe uidetur, quàm cùm plures ad capitis ſupplicium ducuntur, primus, tertius, an octauus feriaris, nihilo minus mox feriendus. Quid enim aliud ipſa uita, quàm perpetuus quidam ad mortẽ curſus? Niſi quòd commodius cum his agitur, qui à tam laborioſa uitæ functione maturius dimittuntur. Verum ut amentis eſt, iniuſſu imperatoris è caſtris excedere: ita ſtulti atq; ingrati, miſsionem à duce celerius datam, nòn libenter amplecti. Maxime ſi iam non ſine laude diſcedat, qui dimittitur, ſiq; ad præmium, non ad ignominiam auocetur. Neq; enim conuenit æui ſpacium ſolſtitijs metiri. Recte factis æſtimanda eſt ætas: ut is diu uixiſſe putetur, non qui plurimos annos ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, ut inquit Homerus, terram preſſit, et numero addidit, ſed qui gnauiter peracta uitæ fabula, honeſtam ſui memoriam poſteris reliquit. An quereris, quòd ſtatim tibi talem filium dederit deus, qualem optaſſes poſt annos multos euadere? Quid quod neque uſq; adeo præmaturè defunctus eſt noſter adoleſcens? Iam uigeſimum attigerat annum, qua quidem ætate, mea ſententia, optimum eſt mori, quia uiuere dulciſsimum. Iam patriæ ciuem bonum, iam patri filium pium, iam æqualibus conuictorem iucundum,

Collatio.

Collatio.

Sententia.

dum, denique ſuperis bonam & integram mentem præſtiterat. Deceßit uitiorum ignarus, calamitatum imperitus. Porrò quid allatura fuerit uita longior, incertum. Certe plerunq; fieri uidemus, ut poſterior ætas, & grauioribus uitijs adoleſcentiæ puritatem inficiat, & pluribus calamitatibus iuuentutis felicitatē contaminet. His omnibus ſeu malis, ſeu periculis illum mors cita ſubduxit. Nunc deniq; tutò gloriari potes, te filium optimum habuiſſe, uel habere magis. Sed habueris tantum, non habeas etiam. Vtrum potius æquum eſt, diſcruciari te, quod amiſeris, an gaudere, qui talem habueris? Vide ne parum grati ſit animi, meminiſſe repetiti muneris, non meminiſſe dati. Magnū profectò munus, filius pius: ſed ita datum, ut ad tempus fruereris, non ut perpetuo tuum eſſet. Sic enim tecum cōſidera uir ſapientißime, imò ſic pariter conſideremus. Si quis princeps, ſummi precij, ſummæq; artis tabulam nobis dediſſet utendam, utrum eam, quandocunque collubitum fuerit, repoſcenti ſereno uultu reddemus, gratias inſuper agentes, an triſtes ad hunc modum cum eo expoſtulabimus? O te crudelem, quàm precioſo munere nos ſpoliaſti, quantā uoluptatem nobis ademiſti, quàm cito rem tam egregiam nec opinantibus eripuiſti. Nónne is optimo iure, tam ingratis querimonijs ad hunc reſponderit modum? Hoccine premij pro meo officio reporto? Itáne nihil meminiſtis, niſi hoc tantum, quod belliſsimam tabulam amiſiſtis? Excidit animo, gratis & ultro commodaſſe

A ſimili.

Proſopopœia

me? uos tot iam dies, mea benignitate pauiſſe oculos, animum oblectaſſe? Quod dedi, benignitatis erat, quod repoſco, meo iure facio. Vobis aliquid ex me lucri fuit, iacturæ nihil fuit, niſi quod ueſtro uitio id eſſe proprium fingebatis, quod erat commodatitium: proinde perire uobis uidetur, quod repetitur. Imò quo precióſior, quo iucundior ea res fuit, quam utendam permiſi, hoc magis atque magis mihi debetis. Epiphonema *Nec ante tempus repetitum uideri oportet, quod citra iniuriam poterat non committi. Hæc ratio ſi nullo pacto refelli poterat, cogita, quanto iuſtius natura dolorem ac querelas noſtras huiuſmodi ſermone poßit reprehendere. Atq; his nimirum rationibus, dolorem noſtrum leniri conueniebat, etiam ſi mors totum hominem tolleret, neq; quicquam noſtri poſt funus ſupereſſet.* Tranſitus. *Nunc ſi ſaltem hoc credimus, de quo nihil addubitauit Socrates ille Platonicus, uidelicet hominem ipſum animum eſſe, corpus hoc nihil aliud eſſe, quàm animi uel organum, uel domicilium, aut ut uerius dicam, ſepulchrum & carcerem, unde cùm emerſerit, tum demum ſui iuris eſſe, multoqúe quàm antea felicius uiuere, quid eſt quod mortē incuſemus? Quandoquidē uſq; adeò non perit ille qui moritur, ut tum demum naſci uideatur potius. Et nobis animo frui licet, quod oculis nō cernimus, nihilo ſecius quàm amicis abſentibus cogitatione frui ſolemus: Et haud ſcio an aliquando ſuauius, quàm ſi eos coràm oculis cōſpiceremus: propterea quòd corporum conuictus, non raro nobis offenſarū materiam con/*

conſueuit miniſtrare, & cõſuetudinis aſſiduitas, amicitiæ iucunditatẽ nonnihil imminuere. Eius rei ſi deſideras exemplum, an non ſat argumento ſunt apoſtoli, qui tum demum uere frui Chriſto, uereq; amare cœperunt, poſteaquam illis corporea præſentia fuiſſet adẽpta? Sic eſt profecto, bonorũ amicitia, animorum, non corporum cõiunctione conſtat. Qui uerè amant, animos amant, non corpora. At animorum copulam nulla uis, nulla temporum, nulla locorum intercapedo poteſt dirimere. Porrò nimis quàm puerile eſt, amicũ iam periſſe putare, ſimulatq; ſub oculis eſſe deſierit. Tu quoties libebit, filium tibi cogitatione, ſermonibusq; præſentem reddes. Ille uiciſſim tui meminit, ſentitq; penitus animi tui affectus, nonnunquam & in ſomnis occurſabit patri: & arcanis quibuſdam modis animus utriuſque ſeſe complectentur, et confabulabuntur. Quid autem prohibet, quo minus iam nunc imagineris cum illo te uiuere, qui cùm paulo poſt es uicturus? Quantulũ enim eſt hoc omne quod uiuimus? Sed hactenus ijs remedijs ſum uſus, quibus cum ethnico quolibet agere poteram. Nunc quid pietas, quid Chriſtiana fides à nobis impetrare debeat, paucis cõſideremus. Iam primum ſi maxime miſera mors eſſet, tamẽ oportebat boni conſulere, quod nulla uia corrigi poterat. Rurſum ſi totum extingueret hominem, æquius tamen ferenda, quod tot huius uitæ calamitatibus finẽ imponat. Porrò ſi animum originis æthere, graui corporis ergaſtulo liberat, propemodum etiam gratulandum ijs, qui

Tranſitus ad noſtratia.

Exaggeratio in fictione.

qui è uita deceſſerint,& in felicem illam libertatem poſtliminio redierint. Nunc uerò cũ haud dubie pias animas ex huius uitæ procellis, ad immortalitatis portum tranſmittat, ac ne pilum quidẽ hominis peri mat, quippe corporibus quoq; ad eandem immorta litatem aliquando reuocandis: utrum quæſo lugere, an magis gratulari conueniat ei, quem ex hoc turbu lentiſsimo uitæ pelago, in tranquillam illam immor

Contentio. *talitatis ſtationem, mors matura tranſuexerit?* Age *paulisper huius uitæ (ſi modo uita eſt appellãda) ſor des, ærumnas, pericula in unũ cõgere.* Ruſus è diuer *ſo eius uitæ cõmoda, quæ pios hinc ereptos manent, compone: & facile uidebis, hoc homine nihil eſſe in iuſtius, qui ſummum bonum, ad quod unũ nati, condi tiq; ſumus, perinde quaſi maximũ malum deploret.* Orbũ te clamitas, *cùm filiũ cœlo genueris, cuius ceu numinis cuiuſdã memoriã, ut ſacroſanctam uenerari poßis: qui cœlitus tui curã agẽs, res tuas ceu dexter aliquis* Deus, *bene fortunare ualeat.* Neq; enim ille, *aut nõ ſentit res mortaliũ, aut ſolitã in patrem pietà tem unà cum corpore depoſuit.* Viuit profecto, mihi crede, uiuit ille, adeſtq; præſens nobis: & hoc ipſum *noſtrũ colloquiũ audit, ſentitq;, ac fortaßis hunc ip ſum luctũ noſtrũ ridet, ac damnat.* Quod ni corpo *rum horũ moles obſiſteret, fortaßis & audiremus eũ lachrymas noſtras huiuſmodi dictis increpantem:*

Proſopopœia Quid iſthuc eſt, quod agitis? Quid ſenectutẽ ueſtrã *inutili, ne dicã, amẽti luctu conficitis?* Quid iniquißi *mis querimonijs, fatum, fortunam, mortẽ in ius tra hitis?*

bitis? An mihi ex iſtius uitæ malis exẽpto, & in hanc felicitatem euecto inuidetis? Sed bona uerba. Non inuidet nec paterna pietas, nec amicitiæ candor. Verũ quid aliud ſibi uult iſta cõploratio? An lachrymis dignum cenſetis, quod è ſeruitute in libertatẽ, de ærumnis ad felicitatem, de caligine in lucem, de periculis in tutum, de morte ad uitam, de morbis ad immortalitatem, de tot malis ad ſummum bonum, de caducis ad æterna, de terrenis ad cœleſtia: denique quod ab hominum colluuie, ad angelorum contubernium ſum traductus? Iam appello ueſtros iſtos animos. Quæſo per ueſtram in me pietatem, ſi uobis eſſet in manu me ad iſtam reuocare uitam, num eſſetis reuocaturi? At quo tandem flagitio tantum odium cõmerui? Si reuocare nolitis, quorſum attinent iſtæ querelæ, non ſolum inutiles, ut dixi, uerum etiam impiæ? Porrò niſi me immortalitas iamdudum omnis doloris expertem reddidiſſet, ego uiciſſim ueſtras iſtas lachrymas, alijs lachrymis deflerem, & tam craſſam animi ueſtri caliginem commiſerarer. At noſtram ipſorum uicem ploramus, inquitis. Verum iſthuc ſanè haud amantium eſt, ſed ad ſeſe reſpicientium, et uel alieno incommodo ſuis rebus cõſulere uolentium. Sed age, quid tandem iſthuc iacturæ eſt, quod mea mors uobis attulit, an quod conſpectu meo frui non licet? At qui nihilo ſecius interim memoria noſtri frui licet, tanto quidem felicius, quãto tutius. Nam exiſtimate me malis omnibus præreptum, quæcũq; in uita homini poſſunt accidere, & quorum magnam partem ueſtra

Contraria.

Fictio.

Confutatio.

uiua/

uiuactias experta eſt. Non eſt qui nobis obſequium exhibeat, ſed eſt qui apud Deum Opt. Max. pro ueſtra ſalute patronum agat, ut ſedulum, ita & efficacem. Deniq; quantulum hoc momẽti eſt, quod noſtrã dirimet conſuetudinem? Vos modo pro ueſtra uirili date operã, ut pie peracta uitæ fabula, mors dignos reperiat, qui huc traducamini. Hæc, inquam, ſi nobis loqueretur filius, nonne merito noſtri luctus nos pudeſceret? His fermè rationibus, animi mei uulnus lenire ſoleo, quæ tibi cõmunia facere uolui, nõ quod his remedijs magnopere egeres, ſed arbitratus ſum congruere, ut qui cum mihi luctus eſſet communis, cum eodem & conſolationem communicarem. Cæterum

Epilogus. *ut quæ fuſius diſſerta ſunt, in epilogum contraham, hoc pacto efferueſcentem animi tui dolorem coercebis. Mortuus eſt filius, genueras mortalem. Tanto, inquis, bono, priuatus ſum: reddidiſti ei, qui gratis dederat. Grauis orbitas: leuius ferendum, quod aliqua ſarciri poteſt. Patrem deſtituit. Quid prodeſt flere, quod mutari non poteſt? Aut cur anxie deplores, quod tibi cum tot hominũ milibus cõmune eſt? Sed interitum filij non poſſum non flere. Quiduis potius quàm perit, qui benè moritur. At occubuit immatura morte: nulla mors non matura recte morienti. Ante diem uiuere deſijt. Nullus cuiquam certus mortis dies. In ipſo æui flore extinctus eſt. Tum optimũ eſt mori, cum uiuere eſt ſuauiſſimum. Obijt adoleſcens: hoc pluribus uitæ malis ſubductus eſt. Optimum amiſi filium: gaude quod talem habueris. Innocens è uita deceſſit: nulla*

nulla mors magis optanda, minuſq; deploranda eſt. Sed interim filio frui nõ licet: at animo licet, et mox ipſo totus toto fruêris. Si quid nouiſti rectius iſtis, candidus imperti: ſi non, his utere mecum. Ac bene uale, quod quidem uult etiam ipſe filius.

SYLVA.

Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas, aut demittas animum, ne obrui, tanquam fluctu, ſic magnitudine negotij ſinas, contráq; erigas, ac reſiſtas, ſiue etiã ultro occurras negotijs. Nullus dolor eſt, quem non temporis lõginquintas minuat, atq; molliat, & cui non callum obducat. Homines nos eſſe meminerimus, ea lege natos, ut ſub telis fortunæ propoſita ſit uita noſtra. Neq; eſſe recuſandum, quò minus ea, qua nati ſumus conditione, uiuamus: ne uè tam grauiter eos caſus feramus, quos nullo conſilio uitare poſſumus. Euentiſq; aliorum memoria repetitis, nihil accidiſſe nobis noui cogitemus. Homines ſapientes, turpitudine, non caſu & delicto ſuo, nõ aliorum iniuria commoueri debent. Conſcientiam rectæ uoluntatis, maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum, nec eſſe ullum magnum malum præter culpam, memineris. Cicero.

Eſt omnino difficile, non grauiter id ferre, ſed tamen animos noſtros maximis in rebus gerendis, & ſuſtinendis exercitatos, frangi & debilitari moleſtia non oportet. Quoniam moleſtiſſime homines ferre debent, quæ ipſorum culpa contracta ſunt.

Tu, fac animo magno fortiq; ſis, ſpereſq; fore, ut

fracto impetu leuiſsimi hominis, tuam priſtinam di/ gnitatem & gloriam conſequaris.

Cic. epiſt. fam.

Me in ſummo dolore, quē in tuis rebus capio, ma/ xime ſcilicet conſolatur ſpes, quod ualde ſuſpicor fo/ re, ut infringatur hominum improbitas, & conſilijs tuorum amicorum, & ipſa die, qua debilitantur co/ gitationes, & inimicorum & proditorum. Facilè ſe/ cundo loco, me conſolatur recordatio meorum tem/ porum, quorum imaginem uideo in rebus tuis.

Lib. 4. epiſtola, Vehementer te eſſe ſolicitum. Eodem, epiſt. Poſteaquam mihi. Eodem, Neq; mone- re te audeo.

Reliquum eſt, ut conſoler, & afferā rationes qui/ bus te à moleſtijs coner abducere. At ea quidem fa/ cultas, uel tui, uel alterius conſolandi, in te ſumma eſt, ſi unquam in ullo fuit. Itaq; eam partem, quæ ab exquiſita quadam ratione et doctrina proficiſcitur, non attingam, tibi totā relinquam. Quid ſit forti & ſapiente homine dignum, quid grauitas, quid altitu/ do animi, quid acta tua uita, quid ſtudia, quid artes, quibus à pueritia floruiſti, à te flagitent, tu uidebis.

Extremum illud eſt, ut te horter & obſecrem, ani/ mo ut maximo ſis: nec ea ſolum memineris, quæ ab alijs magnis uiris accepiſti, ſed illa etiam, quæ ipſe in genio ſtudioq; peperiſti: quæ ſi colliges, & ſperabis omnia optime, & quæ accident, qualiacunq; erūt, ſa pienter feres. Sed hæc tu melius, uel optime omnium.

Quare non debes, aut propriam fortunam, aut præcipuam poſtulare, aut communem recuſare.

Lib. 5.

Lib.5.epiſtola.Etſi unus ex omnibus, tota.Eo-dem,Etſi egomet, &c.

Sed ut illa ſecunda moderatè tulimus, ſic hanc non ſolum aduerſam,ſed etiam funditus euerſam fortunam ferre debemus,ut hoc ſaltem in maximis malis boni conſequamur, ut mortem quam etiam beati contemnere debeamus,propterea quod nullum ſenſum eſſet habitura,nunc ſic affecti,nõ modò contemnere debeamus, ſed etiam optare. Tu ſi me diligis, fruere iſto ocio, tibiq; perſuade, præter culpam ac peccatum quo ſemper caruiſti, & carebis, homini accidere nihil poſſe,quod ſit horribile aut pertimeſcendum.

Lib.6.epiſtola.Etſi ea perturbatio,&c.

Sin omnino interierint omnia,fueritq; is exitus, quem uir prudentiſſimus M. Antonius iam tum timebat,cum tantum inſtare malorum ſuſpicabatur: miſera eſt illa quidem conſolatio,tali præſertim ciui,& uiro,ſed tamẽ neceſſaria: nihil eſſe præcipue cuiquã dolendum in eo,quod accidat uniuerſis. Quæ uis inſit in his paucis uerbis(plura enim committenda epiſtolæ non erant)ſi attendes, quod facis, profectò etiam ſine meis literis intelliges,&c.

Ita enim uiuere,ut non ſit uiuendũ, miſerrimum eſt,mori autem,nemo ſapiens miſerum duxit,ne beato quidem.

Sed in ea es urbe,in qua hæc uel plura, & ornatior parietes ipſi loqui poſſe uideantur,&c.

Ego tibi hoc confirmo,etſi leuis eſt cõſolatio ex

miſerijs aliorum,nihilo te nunc maiore in diſcrimine eſſe,quã quemuis aut eorũ qui diſceſſerint, aut eorũ qui remanſerint. Alteri dimicãt, alteri uictori timẽt. Sed hæc cõſolatio leuis,illa grauior,qua te uti ſpero: ego certe utor. Nec enim dũ ero,angar ulla re,cum omni uacem culpa:& ſi non ero,ſenſu omnino carebo. Sed rurſus,γλαῦκας εἰς Ἀθήνας,qui ad te hæc.

Libro 6.ex epiſtola:Noui quid ad te. Ab eo loco. Hoc loco ſi uideor augere,&c.

Quod reliquum eſt,quando tibi uirtus,& dignitas tua reditum ad tuos aperuit, eſt tuæ ſapientiæ, magnitudiniſq; animi,quid amiſeris,obliuiſci,quid recuperaueris,cogitare. Viues cum tuis,uiues nobiſcum. Plus acquiſiuiſti dignitatis, quàm amiſiſti rei familiaris: quæ tamen ipſa eſſet iucundior,ſi ulla eſſet Reſpublica.

Libro 6.ex epiſtola: Gratulor tibi mi Balbe. Ab eo loco. Mihi tamen placuit mi Balbe. *Tua me calamitas uehementer excruciat,meis incommodis modice tangor.*

Tu fac habeas fortem animum,quem ſemper habuiſti,primũ ob eas cauſas,quas ſcripſi:deinde quod ea de Rep. ſemper uoluiſti,atq; ſenſiſti,ut non modo ſecunda ſperare debeas, ſed etiam ſi omnia aduerſa eſſent,tamen conſcientia & factorum,& conſiliorum tuorum,quæcunq; acciderent,fortiſſimo & maximo animo ferre deberes.

Quamobrem fac animo magno,fortiq; ſis: & ſi turbidiſſima ſapienter ferres,trãquilliora læte feras.

De

De reliquo, ut ſæpe per literas hortatus ſum, ita uelim tibi perſuadeas, te in hac cauſa nihil habere, quod timendum ſit, præter communem caſum ciuitatis: qui etſi eſt grauiſſimus, tamen ita uiximus, & id ætatis iam ſumus, ut omnia quæ nõ noſtra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus.

Vacare culpa magnum eſt ſolatium, præſertim cùm habeam duas res, quibus me ſuſtentem, optimarum artium ſcientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi uiuo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem.

Libro 9. epiſtola: *Delectauerunt me literæ tuæ:* locos habet conſolatorios.

Ac ne ſis perturbatus. Noui *enim te: & non ignoro, quàm ſit amor omnis ſolicitus atq; anxius. Sed res eſt, ut ſpero, non tam exitu moleſta, quàm aditu.*

Sed ad hæc omnia una conſolatio eſt, quòd ea cõditione nati ſumus, ut nihil, quod homini accidere poßit, recuſare debeamus.

Ex libro ad Brutum, tota, *& elegans:* Fungerer *officio.*

EX EPISTOLIS PLINII SECVNDI.

Quibus ex cauſis neceſſe eſt, tanquã immaturã mortẽ eius in ſinu tuo defleam: ſi tamen fas eſt aut fleri, aut omnino mortem uocari, qua tanti uiri mortalitas magis finita, quàm uita eſt. Viuit enim, uiuetq; ſemper: atq; etiam latius in memoria hominũ & ſermone uerſabitur, poſtquàm ab oculis receßit.

Volo tibi multa alia ſcribere, ſed totus animus in hac una contemplatione defixus eſt. Virginium cogito, Virginium uideo, Virginiũ iam uanis imaginibus, recentibus tamen audio, alloquor, teneo: cui fortaſſe ciues aliquos uirtutibus pares & habemus, & habebimus, gloria neminem.

Vt enim crudum adhuc uulnus, medẽtium manus reformidat, deinde patitur, atq; ultro requirit: ſic recens animi dolor, conſolationes reijcit, ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis acquieſcit.

Torqueor quod diſcipulũ, ut ſcribis, optimæ ſpei amiſiſti, cuius & ualetudine, & morte impedita ſtudia tua qd neſciã, cũ ſis omniũ officiorũ obſeruãtiſſimus, cumq; omnes quos probas, effuſiſſime diligas?

Iiſdem nunc ego te, quibus ipſum me hortor, moneo, confirmo. Et gaudium mihi, & ſolatium, in literis: nihilq;, tamq; lætũ, quod his lætius: nihil tam triſte, quod non per has minus triſte. Tamen in magna conſolatione, ingens eſt ſolicitudo.

CONSOLATORIAE SYLVA MEA.

V*Aleat illa uulgi ſententia, Vbi non ſis qui fueris, non eſt quur uiuere uelis. Quæ ſi minus poteſt tota diſplicere, cogita non tantum qui nuper fueris, ſed qui olim: neq; tantum obſeruetur animo tuo, unde cecideris, ſed etiam unde ſurrexeris.*

Abſit à uiro muliebris illa uox, Dum mea me uictum doceat fortuna dolere. Imo te ratio reddat aduerſus omnes uitæ caſus inuictum, ut propellas animo dolorem, non ut aſſueſcas.

Tibi

Tibi recti conſcientia, & bonorum iudicium plu ris eſſe debet, quàm inuidorum hominum ſermo.

Magis te cõfirmare debet paucorum inſignium, & probatißimorum hominum graue teſtimonium, quàm inepti uulgi fabulæ.

Leuius iſta feres, ſi præcipias animo, quid poſte/ritas de te loquutura ſit potius, quàm tuum ſeculum, cui liuor adimit iudicium.

Neq; tantum de fortuna tua ademiſſe, quantum ad nominis tui gloriam dedidiſſe æmulorum tuorum iniuria mihi uidetur.

Non hic tui cõſolandi officiũ mihi ſumpſi, quod minus magnifice de animi tui magnitudine ſentirẽ, ſed quemadmodum gubernatores optimi uim tempe ſtatis, ita uiri fortißimi fortunæ impetum ſuperare interdum non poſſunt. Non me fugit, quàm graue uulnus acceperis ex uxoris obitu. Amiſiſti fœminam ſingularis exempli, etiam ſi priſcis ſeculis uixiſſet. Quam illa marito uerecundiam præſtitit, quum ipſa ſummã mereretur? Quàm multas, quàm eximias uir tutes, ex diuerſis ætatibus, ex uarijs matronis colle/ctas, ac mixtas una expreßit? Tamen hoc tibi debet eſſe magno ſolatio, quod tãtum bonũ tandiu poſſe/deris. Vixit enim tecum annos quadraginta quatuor ſine iurgio, ſine offenſa. Sed hoc ægrius fero, inquies, quo tenui diutius. Nam guſtatas tantum uoluptates facilius obliuiſcimur. At uide ne ingrati ſit hominis, tantum cogitare quid amiſeris, non meminiſſe quàm diu fruitus ſis. Certe prudentiæ tuæ fuerit, non com

mittere, ne hoc ualeat apud animũ tuum ratio, quod alioqui neceſſitas ipſa, & dies longa, & ſacietas doloris inducit.

Communis dolor. Tu nepotibus, ego pronepotibus orbatus ſum. Sed ſpero futurum, ut alij nati dolorem hunc gaudio mutent, quando ſalua eſt unde hoc ſperare licet.

Multum ab iſtis diſſentio, qui in graui dolore putant hominem ſibi relinquendum, donec uulnus tempore mitius medicam admittat manum. At ego quemadmodum primum arbitror, animum philoſophiæ præceptis, aduerſus omnes maiorum incurſus ueluti antidoto præmunitum habere: ita proximum arbitror ſtatim repugnare dolori, ne ueluti morbus iam familiaris factus, nullis remedijs poſſit exigi.

Scribis dolorem, quem ex uxoris obitu conceperas, non ſolùm non leniri die, ſed indies etiam incrudeſcere.

Quò magis cenſeo uelut in uetere morbo ad quælibet mutationis auxilia confugiendum. Sunt balnea, ruſticatio, negociorum cura, ſtudia literarum, peregrinatio, ſpectacula, contentio cum aduerſarijs, publici magiſtratus functio. Horum atq; his ſimilium, nunc hoc, nunc illud tentandum eſt. Fortaſſis incides tandem in aliquid, quod ægritudinem iſtam animi uel ſanet, uel ceu clauus clauum protrudat.

CON/

CONSOLATIO FAMILIARIS
cum obiurgatione mea.

TE ne ſic angi, ſic animo iacere? Quorſum tãdem attinet, ut te afflictes, ut te lachrymis conficias? An iſta malũ leuent, an non potius exacerbabunt? Quorſum attinet tam miſerè deplorare, quod mutari non poteſt? Vbi nunc eſt illa animi tui conſtantia? ubi literæ, quibus aliorũ dolorem leuare cõſueueras? Alijs mederi potuiſti, tibi nihil prodes. Ipſe tibi nunc medicus ſis oportet. Cur fruſtra & teipſum lachrymis, & amicos querelis examinas? Quæ eſt iſta animi impotentia, quæ mollities? Num te uirũ eſſe oblitus es? Itánc iſta tã grauiter fers? Quaſi uerò iſta tibi uni contigerint, aut tanta ſint, ut alijs non multo etiam acerbiora euenerint. Quid uel tuo animo, uel doctrina indignius, quàm ſic angi, ſic frangi, ſic teipſum abijcere, quo modo ne mulier quidẽ ulla poſſet? Neq; enim uideo quẽ fructũ adferre poßint inanes lachrymæ, et querimoniæ. Nã ſi eiuſmodi malũ iudicas, ut ad ſalutem reflecti nequeat, cur luctu duplicas incõmodum? Si ſpes eſt, cur non ea potius te ſuſtentas, atq; id agis, qua ratione quàm primũ ex iſtis malis queas emergere? Si deſperas, memineris illud, in iſtiuſmodi rerum conditione, bonum animum, dimidium adimere mali. Sin ſperas, cur perinde, tanquam in re deſperatißima te maceras?

Audio te tam grauiter angi, ut ex luctu, mẽtis etiam errore afficiaris. Deũ immortalẽ, quid tibi uis? Quin tu potius obduras, ac ſeruas te rebus ſecũdis?

Cur tu & amicis luctum auges, & inimicis uoluptatem prebes, & teipſum indigne conficis?
Tu contra audētior ito, Quò tua te fortuna ſinet, Ducunt uolentem fata, nolentē trahunt. Tu, dum iſta te conſcientia, iſte animus, iſta uirtus, iſtæ literæ, iſta rerum geſtarū memoria te comitabitur, caue te putes exulē ubicunq; locorū, quocūq; ſub cœlo erit uiuendum, etiamſi ultra Getas relegatus eſſes. Sed quid ego ſus Mineruam? Facit ſanè non loquacitas mea, ſed beneuolentia longiores epiſtolas. Vale.

CONSOLATIO IOCOSA, *& familiaris.*

QVod te lachrymis conficis, nō miror, qui puellā amiſeris, nondū totos ſexagintaſeptē annos natam, idq; relicta dote ſatis opima. In hoc tibi ſcribere uiſum eſt, ne doloris magnitudine uictus, tibi manus adferres. Priuſquā extilles lachrymis, fac iuxta prouerbium, Viuorū memineris. Tua puella redibit nunquam. Alioqui matrē deflere uideberis. Mitto tibi ſtrophiolum quo lachrymas extergeas: & ſuccū medicum, quo lippitudini fletu contractæ medearis. Clama te miſerum, ſed nunquam efficies, quin iſtam miſeriam tibi cōplures inuideant. Niſi deſinis macerare te, uereor ne populus in te iaciat conuitiū illud: πρὸς τὴν μυτρυιᾶς τάφον δακρύς.

AD CONSOLATIONEM RESPONSIO.

IAm quibus modis reſpondendū ſit conſolatori, res ipſa dabit conſiliū. Nam ferme gratias agimus primum pro officio, deinde laudamus ingeniū, quòd nihil

hil adduci potuerit ad leniendum dolorem, quod ille non ſumma dicendi facultate diſſeruerit. Poſtremò quod illius & prudens, & erudita, et grauis, deniq; cum primis amica oratio, aut bonã doloris partẽ no bis ademerit, aut totum excuſſerit. Aut ſi nobis non profuit illius cõſolatio, laudabimus animũ, ſtudium, & ingeniũ illius: quod tanquã bonus ac peritus me dicus nullum non remedij genus admouerit, ſed arte maius eſſe malum. Aut ita reſpõdebimus imperioſo conſolatori. Facile, quũ ualemus, recta cõſilia ægro/tis damus. Tu ſi hic ſies, aliter ſentias. Exemplo ſu/perſedimus, ſyluæ nonnihil ſuppeditabimus.

Cic. ex Famil. lib. 4. Ego uerò Serui. lib. 5. Quan quam ipſa conſolatio.

Vtinam illum diem uideam, cum tibi agam gra tias, qui me uiuere coëgiſti. Adhuc equidem ualde me pœnitet. Ad Atticũ.

Sed te oro, ut ad me Vibonem ſtatim uenias, quò ego multis de cauſis cõuerti iter meum. Sed eò ſi ue neris, de toto itinere, ac fuga mea conſilium capere potero. Si id non feceris, mirabor, ſed cõfido te eſſe omnino facturum.

Quòd me hortaris, ut firmo ſim animo, uellẽ poſ/ſes aliquid afferre, quamobrem id facere poſſem.

Quòd me ab hoc mœrore recreari uis, facis, ut omnia, &c. Sed me mihi nõ defuiſſe, tu teſtis es. Ni hil enim de mœrore minuendo ſcriptum ab ullo eſt, quod ego non domi legerim. Sed omnem conſolatio nem uincit dolor. Quin etiam feci, quod profectò an

te me nemo, ut ipſe me per literas conſolarer, quem librum ad te mittam.

Conſolari iam deſine, obiurgare uerò noli. Quod quum facis, & ego tuum amorem & dolorem deſi dero, quem ita affectũ mea ærumna eſſe arbitror, ut teipſum conſolari nemo poßit.

AD CONSOLATIONEM
mea.

Tua quidem oratio ſperare me iubet, quod improbum ſit etiam optare.

Vide ne me lactes inani ſpe, ne doloris uor/ ſuram fecero, mox cum fœnore recurſuri.

DE PETITORIA EPISTOLA.

Seruius enarrãs locum, in libro Aeneidos primo, ubi Iuno ſupplex petit ab Aeolo, ut claſſẽ Aeneæ diſijciat, indicat præcipere rhetores in omni petitiõ ne quatuor ſeruanda eſſe: primum ut quod petimus, oſtendamus eſſe in poteſtate eius à quo petimus: præ terea ut doceamus eſſe iuſtum, quod petimus: deinde ut modum ac uiã indicemus, qua confici poßit, quod petimus: denique ut ſequatur remuneratio. Hunc or dinem in petitionibus Vergilio fuiſſe perpetuum, ue lut hoc in loco: Et mulcere dedit uentos, & tollere fluctus: oſtendit facultatẽ. Mox: Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor: declarat eſſe iuſtum. Iu ſtum enim quicquid molimur in hoſtẽ. Rurſum: In/ cute uim uentis, & diſijce corpora ponto: modum aperit & uiam. Addidit remunerationem. Sunt mi/ hi bis ſeptem. Ac recte quidem Seruius & expedite:

Nos tamē paulo craſsiore Minerua rem aperiemus. Primùm, quoniam uaria eſt natura rerum, quas petimus: & magna eſt uarietas perſonarum, quæ rogant, aut rogantur, oportet & petendi rationē eſſe uariam. Sunt enim quædam quæ fauorabiliter petimus à quouis, ueluti conſilium: ſunt quæ pudore ſuffundunt rogantem, ueluti quum petimus mutuum, aut rem parum honeſtam. Igitur in genere duplex erit petendi modus, rectus, & obliquus. Vbi cauſa erit fauorabilis, aperte ſuadebimus eſſe præſtādum, quod petimus: ubi ſecus, per inſinuationem irrepemus in petitionem. Primùm exaggerantes, quanta nos circūſtet neceſsitas, & quàm magnum telum ſit neceſsitas, & quàm inutilis pudor uiro egenti: neq; fugere nos, quàm ſit improbum, rem tantā ab eo petere, de quo nihil unquam ſimus promeriti. Poſt hæc paulatim per cuniculos oſtendemus, nobis nō mediocrem ſpem porrigi ab inſigni illius benignitate, qua ſolitus ſit etiam ignotis & indignis opitulari: ob eximiam ingenij bonitatē, ad ſubleuandas omniū miſerias propenſi. Hic pudor non uulganter cōmendat rogantem, quemadmodum improbitas alienat animum. Nullus enim libenter in eum confert beneficium, qui ceu debitū flagitat, magisq; poſcit, quàm petit. Profuit Hortenſio, quod quum cuperet ex uxore Catonis Vticenſis ſuſtollere prolem, non ipſam petijt, ſed illius filiā Portiam, Bibulo nuptam, plurimas interim cauſas adducens, quare cuperet ex ea gente hæredem. Ille cùm reſpōdiſſet, ſe facile aſſenſurum,

ſi modo probaretur genero: tandem uerecunde ſub indicauit, ſe Martiam ipſius uxorē petere, cuius copiā facere, ipſi eſſet in manu, qui maritus eſſet. Iam imprudens cōceſſerat, quod petebatur. Itaq; perſuaſo Martiæ patre, duxit eam uxorem. Autor Plutarchus. Vbi nihil erit opus hac inſinuatione, tamē eius à quo rem difficilem petimus, beneuolentiam modis omnibus cōciliabimus. A perſona ipſius, cuius benignitatē quū erga cæteros, tum erga nos grate commemorabimus: dicemusq; nos ei, cui iam ſumus tot nominibus deuinctiſſimi, uelle fieri deuinctiores, à perſona noſtra teſtificantes, quanto ſtudio ſemper illum coluerimus, quodq; præcipuā fiduciā in illo ſemper habuerimus: ſimul oſtendētes hoc quod petimus, ut nulli nos libentius debituros, quā illi cui debemus omnia, ita nulli facilius eſſe præſtare. Quod etiā magis exponemus in explicando modo. Si qua erūt noſtra in illum merita, ea ſumma cum modeſtia ſignificabimus magis, quàm cōmemorabimus. A perſona maiorū utriuſq;, ſi docebimus inter utriuſq; parētes ueterem atq; arctiſſimā neceſſitudinem interceſſiſſe, complurībus mutuis officijs huc uſq; cultam, & cōfirmatam. A perſona aduerſariorū, ſi declarabimus nobis eſſe certamē cū ijs, quos is etiā odit, à quo præſidia poſcimus. A re, ſi docebimus eam piam eſſe, iuſtam, honeſtam, nobis neceſſariā, illi facilem & honorificam. Deinde ſi citra arrogantiam oſtēdemus, quid ex ea re cōmoditatis ſit ad ipſum etiam aliquādo rediturum. Si quid inerit incommodi, quod animum

mum illius,uel alienet à nobis,uel deterreat,id uel diluemus,uel extenuabimus. Si erit opus, admiſcebimus obteſtationes earum rerum aut perſonarũ,quibus ſcimus illum poſſe commoueri. Poſtremò pollicebimur memorem animũ, nec habituros modò gratiam,uerum etiam relaturos,ſi dabitur,cum fœnore:nos ipſos totos, resq́; noſtras omnes illi uiciſſim dedicabimus,ac deferemus. Facultatem noſtram extenuabimus:de animo, ſtudioq́; magnifice pollicebimur. Illud adijciam,non hic ſolum,uerum etiam alijs in rebus aliquando plus ualere iocum tempeſtiuum & aptum,quàm ſeriam petitionem. Tantum de præceptionibus ſatis eſto,reliqua iuuenibus, aut præceptori animaduertenda relinquo.

EXEMPLVM PETITIONIS *obliquæ.*

INgenij mei pudorem ipſe nõ ignoras uir eximie. Sed quò non adigit mortales, uere duriſſimum telum,neceſſitas? Eo in loco ſunt res meæ,ut ni protinus ad manũ ſint ducenti angelati,tam perierit tuus Ludouicus,quàm extrema faba,quòd aiunt. Scio beneficium eſſe magnum & eximium: neque me fugit quàm nulla ſunt mea in te officia, quorum fiducia rem tantam auſim abs te petere, præſertim quũ tot, tantisq́; nominibus iampridem obſtrictus,tibi nondum ulla ex parte retulerim gratiam. Et tamen niſi deus aliquis,uelut ἀπὸ μηχανῆς alicunde ſeſe proferat,funditus interij. Quare quemadmodum in ſumma rerũ deſperatione,nautæ ſolent ſacrã iacere an-

coram,

coram,ita ego diſpectis omnibus,ad te uelut ad propitium quoddã numen cõfugio.Non auſim rogare, quanquam huc adigit neceßitas, tamẽ illud uolui te ſcire,ſtatum rerum mearũ: ut ſi me iudicas dignum exitio,te iudice peream æquiore animo: ſin tua pietas,multis iam argumentis antehac in me declarata, dignabitur me ex hoc diſcrimine eximere, conabor omnibus neruis, ne te unquam huius capitis ſeruati pœniteat.

PETITIO REI PARVM
honeſtæ.

NOn *ignorabam, quàm impudens eſſet in cauſa peßima,à uiro omnium optimo patrocinium rogare.Non enim conabor excuſare factum meum, ne grauius peccem impudentia, quàm hactenus peccatum eſt ſtultitia & incogitãtia, ne dicam dementia. Horreſcit animus,abhorrẽs & ab ipſa malorũ meorum commemoratione, ſed tamen aperiendum uulnus,ſi ſperem medelam.Sortem ſatis amplam,quam pater dederat in negociationẽ, nuper alea perdidi. Ingens flagitiũ fateor,ſed utcunq; ſuccurri poterat, ſi ſolum eſſet. Inſcio patre, cum matris pediſſequa rem habui.Illa me callidior, negauit ſe facturam ſui copiam,niſi pollicerer me maritũ ipſi futurum. Ibi mihi non Iupiter,ut inquit Heſiodus, dimidium mentis,ſed Venus totam mentem ademit. Polliceor demens.Nunc aiunt nulla ratione reſcindi poſſe, quod ſic actum eſt:ut illis ſit peßime,qui leges tam iniquas condũt. Pater merito iritatus, abdicationem parat.*

Quod

Quod ſi fit, nullum uideo melius cōſilium, quàm ut laqueo uitã finiam. Qur enim libeat uiuere in tantis malis? Scio te nihil nō poſſe apud patrem. Solus es qui me poßis redigere in gratiã. Quod ſi quid te miſeret mei, non auſim rogare, ſed tamen uides calamitatem meam. Efficiam ut te mei ſeruati nunquam uel pudeat, uel pœnitcat. Sic admiſſum hoc, omni officiorum genere ſarciam. Aetatem uides. Sæpenumero à grauioribus cōmißis, iuuenes ſeſe ad bonam frugem conuertere. Vtinam quod factum eſt, fieri poſſet infectum. Sed quod mutari non poteſt, penſari poteſt. Maximum quidem hoc peccatum eſt, fateor, ſed primum. Deniq; quid ſibi uult pater? Si abdicat, nec mihi adimit uxorem, & ſibi parat orbitatem: ſin ignoſcit, habebit hoc ſemper addictiorem filium. Fac breui ſciam, utrum meis malis ſim omnino perdendus, an tua bonitate ſeruandus. Nihil enim miſerius, quam pendere.

PETITIONIS HONESTAE
exemplum.

IMprobũ fortaſſe alijs uidebitur, præſul amplißime, eum à quo tantum beneficiorum acceperim, quantum ne ſperare quidem unquam ſum auſus, rurſum nouis precibus ſolicitare. At ego ingenui, mihi meq; ingrati animi exiſtimo, cui multũ debeas, ei plurimum uelle debere. Cui enim extremas fortunarum mearũ partes potius acceptas ferre cupiã, quàm ei ipſi cui primas, cui medias debeo? Quid enim Lucius eſſet, niſi te tanquam numen quoddam propitiũ na

ctus

ctus eſſet? Tu me puerũ, ob neſcio quam in me uirtu-
tis indolem, prætereа fortaſſe, quod putabas meas li
teras tibi aliquando uel uſui, uel ornamento futuras
(quam utinam de me uel exiſtimationẽ, uel expecta
tionẽ non omni ex parte uidear feſelliſſe) adoptaſti.
Nec ſemel cõplexus, unquam fouere, iuuare, ornare
deſtitiſti. Itaq; ſi quid hodie in me uel uirtutis, uel bo
narum literarũ, uel dignitatis eſſe putatur, id omne
tuæ debeo munificentiæ. Sed duo mihi reſtare uiden
tur, ut & tu opus tuũ pulcherrime cœptũ perficias:
& ego efficiã, ne nullum tantorũ in me beneficiorũ
fructũ ex me cepiſſe uidearis. Quod utrũq; ut fiat, et
ego maximopere cupio, et tibi in manu eſt. Eadẽ ope
ra & tu me alumnũ beaueris, & eo in loco colloca-
Narratio. ris, quo multis in rebus tibi uſui eſſe poſſim. Poſt diu
turnos, ut ſcis, in literis theologicis exhauſtos labo-
res, ad Calend. Maias theologica laurea ſum inſigni
endus, quam quidã profeſſionẽ paulò ſplendidius ui
tæ genus decere, nõ ignoras. Præterea, quoniã hacte
nus amplitudini tuæ ſumptui tantũ fui, æquum eſt, ut
aliquãdo ſim & uſui, & dignitati. Iã uerò hoc ipſo
tẽpore uacat præpoſitura Corinthieñſis, nõ maxima
quidẽ illa, ſed meo cõſilio cõmodiſſima, tum quod et
in tua ſit patria, & à mea non ita multum abſit. Ha
bebis, qui tuorũ, tuaq; illic negotia perinde curæ ſit
habiturus, ac ſi propria forent. Prætereа quicquid
unquam dignitatis mihi acceſſurum eſt, id in tuam
unius gloriam acceſſerit, cui ſemel me debeo, quan-
tus ſum. Nec me latet, quàm potẽtes ſint competito-
res

res habiturus, quàm hoc honore indignos, quã utrique noſtrum maleuolentes. Nihil me terret, modo tu uelis, qui unus plus cæteris omnibus potes patrocinari. Quid enim tu audeas à principe petere, quod ille cunctetur præſtare? Quare ſi me non temere adoptaſti: ſi qua unquam ex parte tuo de me iudicio reſpondi: ſi me uirum gratũ exiſtimas, fac ut hæc præpoſitura mihi tribuatur. Id ego abs te & diligentius, & pluribus uerbis contenderem, niſi uererer, ne de tua humanitate, quam ego ſemper in me propenſiſſimã ſum expertus, diffidere uiderer. Ego uiciſſim modis omnibus enitar, ita me eo honore dignũ præſtare, ut neq; te noui huius in me muneris pœniteat, et ueterum tuorum erga me beneficiorum fructum aliquem percipias. Vale.

PETITORIAE SYLVA.

PLuribus uerbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem expectaret, aut id fieri noſtra amicitia pateretur, aut res uerba deſideraret, ac non pro ſe ipſa loqueretur. Cic. epiſt. fam.

Hoc uelim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam uoluptatem eſſe capturum.

Quòd ſi mihi tua clementia opem tulerit, omnibus in rebus me fore in tua poteſtate tibi confirmo.

Lib. 5. epiſtola: Coram me tecum, tota.

Cùm uerò ea tua ſit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me, libenter amplector talem animũ. Sed ita (non enim dimittam pudorẽ in rogando meum)

ſi feceris id quod oſtendis, magnã habeo gratiam: ſi non feceris, ignoſcam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuiſſe arbitrabor. Eſt enim res profectò maxima. Quid rectum ſit, apparet: quid ex pediat, obſcurum eſt: ita tamen, ut ſi nos ſumus, qui eſſe debemus, id eſt, ſtudio digni, & literis noſtris, du bitare non poſſumus, quin ea maxime conducãt, quæ ſunt rectiſsima.

Lib. 6. epiſtola: Si mihi non tecum: tota.

Lib. 9. petitio iocoſa: Et ſi munus flagitare.

Cic. ad Attic. *Tu ſi me amas tantum, quantũ profectò amas, ex peditus facito ut ſis: ſi inclamaro, ut accurras. Sed do operam, & dabo, ne ſit neceſſe.*

Non mihi & conſilijs opus eſt tuis, & amore, et fide, quare aduola. Expedita erunt mihi omnia, ſi te habebo. Multa per Varronẽ noſtrũ agi poſſunt, quæ te etiam urgente erunt firmiora. Multa ab ipſo Pu blio elici, multa cognoſci, quæ tibi occulta eſſe non poterunt: multa etiã, ſed abſurdũ eſt ſingula explica re, cũ ego te requirã ad omnia. Vnũ illud tibi perſua deas uelim, omnia mihi fore explicata, ſi te uidero.

Quamobrem, ſi me amas tantũ, quantũ profectò amas, ſi dormis, expergiſcere: ſi ſtas, ingredere: ſi in grederis, curre: ſi curris, aduola. Credibile non eſt, quantũ ego in cõſilijs, & prudẽtia tua: quodq; maxi mum eſt, quantũ in amore & fide ponã. Magnitudo rei longã orationẽ fortaſſe deſiderat, coniunctio ue rò noſtrorum animorum breuitate contenta eſt.

Quare ut Numeſtio mandaui, tecum ut ageret.

Item atq; eo, ſi poteſt, acrius te rogo, ut planè ad nos aduoles: reſpiraro, ſi te uidero.

Pluribus uerbis tecum agerem, niſi pro me apud te res ipſa loqueretur.

Tantum te oro, ut quoniã me ipſum ſemper amaſti, eodẽ amore ſis. Ego enim idem ſum. Inimici mei mea mihi, non me ipſum ademerunt. Cura ut ualeas.

Tu me, ut facis, opera, conſilio, gratia iuua.

Quintum fratrẽ optimũ, humaniſsimũq; ſuſtenta.

Omnem autem ſpem habeo exiſtimationis, priuatarumq; rerum in tua erga me mihi perſpectiſsima beneuolentia: quam ſi his temporibus miſeris, & extremis præſtiteris, hæc pericula, quæ mihi cõmunia ſunt cum cæteris, fortius feram: idq; ut facias, te obteſtor, atq; obſecro.

Te etiam atq; etiam oro, ut me totum tuendũ ſuſcipias, ut ſi ij ſalui erunt, quibus cum ſum, unà cum ijs poſſim incolumis eſſe, ſalutemq; meã tuæ beneuolentiæ acceptam ferre.

Itaq; te uehementer etiam atq; etiã rogo, magis quàm à me uis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectâre.

Quanquam hæc epiſtola nõ ſuaſoris eſt, ſed rogatoris. Igitur mi Plance, rogo te, & etiam oro, ſic medius fidius, ut maiore ſtudio, magisq; ex animo agere non poſsim, ut totũ hoc negociũ ita agas, ita tractes, ita cõficias, ut quod ſine ulla dubitatione apud Coſſ. obtinuimus propter ſummã bonitatẽ, et æquitatẽ cauſæ, id tu nos obtinuiſſe non modo facile pa-

tiâre,ſed etiam gaudeas. Qua quidem uoluntate te eſſe erga Atticum,ſæpe præſens & illi oſtendiſti, et uerò etiam mihi. Quod ſi feceris, me,quem uolunta te,& paterna neceßitudine coniunctum ſemper ha buiſti,maximo beneficio deuinctum habebis. Idq; ut facias,te uehementer etiam atq; etiam rogo.

Nunc mi capito(ſcio enim quantum ſemper apud eos,quibus cum ſis,poſſe ſoleas)eo plus apud hominem facilimum,atq; humanißimũ Plancum enitere, elabora,uel potius eblandire,effice,ut Plãcus,quem ſpero optimum eſſe,ſit etiam melior opera tua.

Quod certe facies,ſi tu neruulos tuos mihi ſæpe cognitos,ſuauitatemq;,qua nemo tibi par eſt,adhibueris. Quod ut facias,te uehementer rogo.

Ignoſce mihi,quod cũ antea accuratißime de Butrotijs ad te ſcripſerim,eadem de re ſæpius ſcribam. Non mehercule mi Plance facio,quod parum confidam,aut libertati tuæ,aut noſtræ amicitiæ,ſed cùm tanta res agatur Attici noſtri,nunc uerò etiam exiſtimatio,&c.

Oro, atq; obſecro te Cicero,neceßitudinem noſtram,tuamq; in me beneuolentiam obteſtans,ſororis meæ liberos, obliuiſcaris eſſe Lepidi filios,meq; his in patris locum ſucceßiſſe exiſtimes. Hoc ſi à te impetro,nihil profecto dubitabis pro his ſuſcipere.

Scribere multa ad te neq; poſſum præ ſolicitudine ac ſtomacho,neq; debeo. Nã ſi in tanta re,tamq; neceſſaria uerbis mihi opus eſt ad te excitandum, et confirmandum, nulla ſpes eſt, facturũ te quod uolo,

&

& quod oportet. Quare noli expectare longas preces: intuere me ipſum, qui hoc à te, uel à Cicerone cõiunctiſsimo homine priuatim, uel à conſulari tali uiro, remota neceſsitudine priuata, impetrare debeo.

Hoc te ita rogo, ut maiore ſtudio te rogare non poſsim.

Innumerabilia ſunt tua in me officia, domeſtica, forenſia, urbana, prouincialia, in re priuata, in re publica, in ſtudijs, in literis noſtris: omnia uiceris, ſi feceris, &c.

Cui enim ego potius dignitatem meam acceptum ferre cupiam, quàm cui ſalutem & omnia debeo?

Credibile non eſt, quantũ ego in conſilijs, & prudentia tua, quod maximum eſt, quantum in amore et fide ponam. Petit cõſiliũ.

Te habere conſiliorũ autorem, et ſolicitudinum ſocium, omni in cogitatione coniunctum cupio.

Quod ſi feceris, magnus ad tua priſtina erga me ſtudia cumulus accedet. Te autore, mihi uel agendi, uel quieſcendi ratio conſtabit.

Nunc mihi conſilijs opus eſt tuis, & amore, & fide. Omnia mihi expedita erunt, ubi tuam ſententiam accepero.

Hac in re conſilium de tua ſententia capiemus.

Tuum ad nos reditum, tum omnes tui uehementer deſiderant, tum tempus & res tuæ poſtulant.

Autoritate tua nobis opus eſt, & conſilio, & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & iudicijs turpibus conflictari.

Sed quid tibi mando nominatim, me totum tuo amori, fideiq́; commendo.

Sed ſi me amas, quod quidē iam facis, aut per belle ſimulas.

Nunquam putaui fore, ut ſupplex ad te uenirē: ſed hercle facilè patior, datum tempus, in quo amorem experiar tuum.

Plinius. *Quod ſupereſt, rogo ut pari ſimplicitate, ſi qua exiſtimabitis addenda, commutanda, omittenda, indicetis.*

A ſimplicitate tua peto, quod de libello meo dicturus es alijs, mihi dicas. Neq; eſt difficile, qd' poſtulo.

Petitio ius d eij.

Lib. 3. epiſtola: Aſſumo te in conſilium, &c.

Mihi & tentandi aliquid, & quieſcendi te autore ratio conſtabit. Obſequar tamen conſilio tuo, cuius mihi autoritas pro ratione ſufficit.

Petit conſilium. *Audiſti conſilij mei motus, ſupereſt alterutra ex parte iudicium tuum, in quo mihi æquè iucunda erit ſimplicitas diſſentientis, quàm comprobantis autoritas.*

Politianus lib. 7. *epiſtola: Multo æquius fuerat.*

Habes quid mihi uideatur, & *intelligis animi mei uotum, ſed tamen tuum conſilium ſine exceptione ſequar: ad tuam uoluntatem me confirmabo, à quo honeſte diſſentire non poſſum. Nihil aſſentior: tantum enim animi inductio, & mehercle amor in te meus, apud me ualet, ut quæ tibi utilia ſunt, & quæ tu uis, ea omnia mihi protinus & recta, & uera uideātur.*

Hac in re facturus ſum, quicquid tu decreueris: nam

nam huius totius cõſilij te ducem, me comitem eſſe decet.

Quod ut facias, non ſolùm te rogo, uerumetiam ſuadeo. Neq; enim mihi iucundius erit, ſi nos inuiſeris, quàm utile tibi.

SYLVA MEA.

Habes rerum mearum ſtatum. Diuinas animi mei uotum. Vides quid res ipſa flagitet: nam ipſe nihil auſim rogare, ne uidear non minus improbus, quàm miſer.

Improbus planè uideri poſſem, qui te quotidianis meis poſtulationibus occupatiſſimũ interpellẽ: niſi eo te animo eſſe cognoſcerem, ut quos ſemel tueri cœperis, non quieſcas, donec planè confirmes.

Ex tua unius humanitate, quãtus ſum, pendeo. In te uno omnes ſpes, fortunæq; meæ ſunt ſitæ.

Nihil eſt tam arduum, quod te patrono conſequi poſſe diffidam. Nihil tam amplum eſt, quod uel ego abs te petere non audeam, uel tu præſtare nequeas.

Quàm tu facilè potes, tam ego uehemẽter cupio.

Parum rectè de tua liberalitate ſentit, qui rem iuſtam uerboſius abs te petit.

Adijce & hunc calculum ad altiſſimos cumulos tuorum in me beneficiorum, quibus etſi nihil accreſcere poſſe uideatur, tamen hoc unum deſiderant, ut undiq; abſoluti, atq; exaggerati eſſe uideantur.

Quũ plurima ſint tua in me officia, nihil tamen fuerit hoc uno uel maius, uel iucundius.

Non dubito quin mirere,atq; etiam ſtomachere, quod tecum eadem de re agam ſæpius.

Scio,perfricui faciem inſigniter, qui hoc auſim abs te petere: ſed hanc impudentiam me docuit non mea natura,ſed dura neceßitas.

Res eſt tam pia,tam iuſta,ut uir æquus eam nec hoſti negare debeat. Noſtra tam arcta eſt neceßitudo,ut nihil tam iniquum ſit, quod alter ab altero nõ debeat impetrare.

Si uideor improbus,qui rem tantam abs te flagitem uerius,quàm petam, dabis ueniam.Hanc audaciam me docuit non mea natura,ſed tua humanitas, qui mihi nihil negare ſoleas.

Res eſt eiuſmodi,ut ſi tecũ conſideres,quod abs te peto,ſim abs te potius rogandus.

Inuitus onero te precibus,ſed urget neceßitas.

Scio tantos patronos non uocandos ad mediocrem,aut uulgarem operam; ſed hoc negocium eius generis eſt,ut ab uno te præſtari poßit.

RESPONSIO AD PETITIONEM.

Cic. ad Atticum.

QVod mecũ per literas agis,unã ob cauſam mallem,corã egiſſes.Non enim ſolum ex oratione, ſed etiam ex uultu & oculis,et fronte(ut aiunt)meũ erga te amorem perſpicere potuiſſes.Nã cum te ſemper amaui,primum tuo ſtudio, poſt etiam beneficio prouocatus:tum his tẽporibus Reſp.te mihi ita commendauit,ut chariorem habeam neminem.Literæ uerò tuæ tum amantißimè,tum honorificentißimè ſcriptæ,ſic me affecerunt, ut non dare tibi beneficiũ ui-

derer,

derer, ſed accipere à te ita petente, ut inimicum me um, neceſſariũ tuum, me inuito ſeruare nolles, cùm id nullo negotio facere poſſes.

Lib.3. tota epiſtola: Facis pro cætera reuerentia. Faciam ergo quod deſideras, tam diligenter, quàm libenter. Plinius.

Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. Admoneri enim debeo, ut ſciam: rogari non debeo, ut faciam, quod mihi non facere turpiſſimum eſt.

Excuſarem me profectò uel fratri, hoc ſanè tempore, ſed arctior eſt amicitia noſtra, quàm ut ullam patiatur exceptionem, quoties alterutrius ſeria res agitur. Mea.

DE COMMENDATITIA EPISTOLA.

HVic finitimum eſt cõmendatitium genus. Quum enim cõmendamus aliquem, alieno nomine quippiam petimus: quare iiſdem rationibus erit tractandum. Hic tres erunt conſiderandæ perſonæ: Noſtra, eius cui ſcribimus, eius quem commendamus. Poſtremo loco res ipſa cuiuſmodi ſit, erit inſpiciẽda. A noſtra perſona perſuadebimus, ſi cauſas, à quibus ad hunc cõmendandum fuerimus commoti, iuſtas, magnas, plurimasúe [illegible]tẽdemus: uel quod de noſtris, aut nobis ipſis ſit be[illegible]tus: uel quod nobis cum ipſo, aut noſtris cum illius maioribus, uetus, & coniunctiſſima familiaritas interceſſerit, aut hoſpitium: uel quod ſanguine propinquus, patria, ſtudijsúe coniunctus, affinis, aut alioqui charus, & cõmendatus: uel ita deniq; hominem deſcribemus, ut ob modeſtiam,

probitatem, eruditionem, integritatem, humanitatem, nobilitatem, dignus ſit qui quum omnibus bonis, tum illi in primis debeat eſſe quàm commendatiſsimus. Si qua verò vel noſtra, vel illius quem commendamus, maiorum uc eius in alterum merita præceſſerunt, ea ſumma cum modeſtia ſignificabimus, extenuantes quidem ipſa beneficia, benefaciendi autem animum amplificantes. Vehementer commendationem iuuabit, ſi eum quem commēdamus, de eo cui commendamus, quàm optime & ſentire & prædicare dicemus. Non poſſumus enim non beneuolentia quadam commoueri erga eos, quibus nos citra aſſentationem intelligemus eſſe admirationi. Quare ſcitè Iſocrates præcipuum amicitiæ conciliandæ initium commonſtrauit, ut abſentem laudemus apud eos, quos renunciaturos ſuſpicemur: ſi utriuſque noſtrum ſummam de eo fiduciam ueriſimiliter aperiemus, ſolicitudinem uidelicet quandam iniiciamus oportet, ubi eiuſmodi hominem omnem ſpem ſuam in ipſius unius humanitate repoſuiſſe intelliget, nullius præter ſuam unius opem implorare uoluiſſe. Et à perſonis quidem hoc modo commendationem tractabimus.

A perſona cō mendati, & eius cui commendamus.

A re cōmendabimus, ſi eam facilem illi duntaxat, cui commendamus, monſtremus: ſi piā, ſi honeſtam, ſi utilem probabimus. Tum ſi eiuſmodi erit, ut ex ea ad patronum aliquid laudis, gratiæ, autoritatis, aut emolumenti uenturū uideatur, id accurate admonebimus, ſi eodem beneficio quàm plurimos deuinctu

rum

rum dicemus. Deinde obſecrationibus uti licebit. Poſtremo loco, & noſtro, & cõmendati nomine pollicebimur illum gratum, & memorem futurum. Nos eodem beneficio, perinde ac ſi in nos eſſet collatum, perpetuo deuinctos fore. In calce mutuam operam, & ſtudium deferemus. Conſtat enim epiſtolam commendatitiam ex duobus miſceri generibus, ſuaſorio, & demonſtratiuo. Quum enim eum quem commendamus, cum laude deſcribimus, in demonſtratiuo genere uerſamur: quum rem ipſam aut honeſtam, aut utilem, aut facilem oſtendimus, in deliberatiuo. Sed breuis debet eſſe cõmendatio, neq; nimis accurata, præſertim ſi ad eum ſcribimus, cui ſumus ipſi uehementer commendati. Teſtimonij enim pondus habere debet potius, quàm diſputationis ſpeciem. Et huius generis eſſe poteſt triplex tractatio: Recta, obliqua, & iocoſa. Recta, quum aperte docebimus eum eſſe dignum fauore, quem commẽdamus. Obliqua, quum negabimus nos hunc commendare uelle, tantum admonere ut hominem uelit cognoſcere: futurum enim, ut quum alij gratias agere ſoleant ijs, qui commendationem recepiſſent, ille ultro gratias ſit acturus, quod noſtra opera contigerit noſſe talem uirum. Iocoſa, quum intelligemus nos plus effecturos ſermonis iucunditate, quàm ſerijs argumentis. Non arbitror operæprecium, de ſingulis exempla proponere, ne nimiũ increſcat uoluminis magnitudo. Tantum in ſylua formulas aliquot annotabimus. Cõmendatorij generis exẽpla, quum apud Ciceronem ſint pluri/

Breuis huius generis comprehenſio.

plurima,tum illa epiſtola, cuius initiũ eſt, Nondum erat auditum: uniuerſum commendandi artificium una complectitur.

HERMANNVS THEOLOGVS ANDRO/ nio Bolano antiſtiti. S. D.

QVanquam mihi Dionyſij mei fortunæ, maiori propemodũ,quàm meæ ipſius curæ eſſent,præſul humaniſsime, idq; nõ modo propter uetuſtiſsimã arctiſsimãq;,quæ mihi cũ eius familia fuit, neceſsitudinẽ, uerũ etiam propter hominis & modeſtiam & probitatem:tamen eũ tibi pluribus uerbis commendandum non putaui,ne uel de noſtra amicitia,uel de hominis uirtute parum fiſus uiderer. Id enim noſtra neceſsitudo, qua nihil arbitror inueniri cõiunctius, poſtulare uidetur, ut quemcunq; beneuolentia complectendum ſtatuiſſem, idem tibi quoq; & chariſsimus,& quàm cõmendatiſsimus debeat haberi.Tanta rurſum eſt hominis cùm probitas, tum modeſtia, tum eruditio, ut uel citra meas literas quum optimo cuique,tum tibi eiuſmodi uirorum amantiſsimo non poſsit non eſſe quàm commendatiſsimus:niſi utrũq; parum noui, præſertim quod tibi ipſi cum patre huius,uiro,ut ſcis,omnium qui unquã fuerunt, gratiſsimo,uetus hoſpitium fuerit.Non eguit quidem ille noſtra commendatione: quãquam commendari planè uoluit,& uni adeò tibi uoluit.Mirum enim dictu fuerit, quantum fiduciæ in tua unius humanitate repoſuerit, quàm amanter de te & loquatur, & ſentiat. Neq; enim quæ eſſent à mente diuerſa, loqui conſueuit.

uit. Nec erat mea quidem ſententia. Cui enim obſcu/rum eſt, quantum pro tua autoritate, & apud illu/ſtriſsimum principem, & populũ ualeas? Tum quan tum ſtudioſis uiris ſemper fauerit tua benignitas, ſæ pe maiorum ſuorum antehac, nunc & mea prædica tione didicit. Res eſt autem eiuſmodi, ut tibi non mul tum negotij, huic plurimum commoditatis ſit allatu ra. Debet huic Abbas Syrus ex agris neſcio quibus, Narratio. *iam multorum annorum fructus, homo, ut ſcis, & pe cunioſus, & calumnioſus: cuius quidem prædeceſſo res, ſine ulla controuerſia conſtanter ſoluerunt. Hic ſimul atq; inſatiabilem habendi ſitim, unà cum mitra eſt aſſequutus, debitum inficiatur, in ius, imò potius, in iniuriã uocat. Pudet dicere quas Proteus ille opti mo adoleſcenti tergiuerſationes nectat, quàm aſtu/tas elabendi uias quærat, hominem noſti. Quod qui/dem cùm ſemper moleſtũ eſſe debeat, quia iniquũ, tum hoc tempore Dionyſio meo incommodiſsime ſa nè obijcitur, hoc in tempore negari pecuniam, quum ea ſic eſt opus, ut quum maxime. Proximo uere erat doctoris inſignia cõſequuturus, quo maiore cum au toritate poſsit Reip. commodis inſeruire. Eſt enim iuris utriuſq; mire peritus. Vide autem quàm iniquũ ſit, huius Midæ cauſificationibus ſtudioſiſsimum iu/uenem, è medio ſtudiorum ſuorum curſu, ad iniuſtas lites uocari, & iam multis ſudoribus promeritum honorẽ, penè è manibus extorqueri. Rem iam par tim ex me cognoſti, reliqua ex ipſo coràm agen/te diſces. In te uno utriuſque noſtrûm ſpes ſita eſt.*

Quare

Quare te per noſtram beneuolentiam, & paterni hoſpitij memoriam, maiorem in modum oro, ut ei in cauſa æquiſsima præſidio uelis eſſe. Abbatem iſtum uel odio, uel autoritate, uel metu ad ſoluendum compellas, à litibus quibus maxime paſcitur, deterreas. Et magna & multa ſunt tua in me officia, hoc tamen ita mihi erit gratum, ut pro omnium ſummo ſim habiturus. Apud iuuenem ita beneficium collocaris, ut nunquam antehac apud quẽquam rectius. Bene uale.

Eſt uulgare ac frigidum commendationis genus, quum hoc officium extorquetur à nobis. *Si tibi moleſtus ſum, huic imputa: nam mihi fuit moleſtior.*

Tu pro tua prudẽtia, ubi ex ipſo iam cognito quid ſibi uelit cognoris, diſpicies, quid ſit factu optimum.

Commodabis illi mea cauſa, ſi modo id potes abſq; tuo incommodo: ſin minus, quo uis ablega hominem potius, quàm ut ad me redeat.

Eſt & iocoſa cõmendatio, quæ nonnunquam plus efficit quàm ſeria. Exemplum eſt in epiſtolis Ioãnis Campani, qui monachũ quendam importunũ commendat ſuo Cardinali. Et nos aliquando ſic puſillũ quendam, & recaluaſtrum ac macilentum cõmendauimus Mœcenati noſtro, qui per eum miſerat pecuniã, & in literis caluum appellarat, ſolitus & me ioco caluum dicere, quod eſſem raro capillitio. Commendauimus autem in hanc ferme ſententiam. *Caluus ille caluo pecuniam bona fide reddidit. Verum ſi pernoſſes, quo in ſtatu ſit iſte caluus, haudquaquã*

admi-

admirareris hominẽ ſic eſſe macilentũ, ut uix oßi/ bus hæreat: ſic eſſe raro capillitio, ut uix tres pili ſu/ perſint in capite. Eſt illi longa lis apud tuũ tribunal. Ea res ſic expilat, ſic exugit hominem, ut ni tua ſuc currat bonitas, ne pilum quidem nummorum ſit uſ/ quam habiturus, & periculum ſit, ne prorſus fame pereat. Cauſa pia eſt, pro matre litigat, neq; quicquã ſuper eſt, niſi ut ſuprema ſententia pronuncietur. Be ne uolo homini. Quur enim non faueat ſimilis ſimi/ li? Eodem beneficio tibi duos caluos, duos magnos uiros obligabis. Hæc friuolũ uideretur admonere, niſi conduceret ad hoc, ut præceptor ex his facile re periat uarias thematum formas.

COMMENDATICIAE SYLVA.

EPiſtola lib. epiſt. fa. .1. cuius initium: Aulo Trebo nio: tota huius generis eſt. Cic. epiſt. famil.

Lentulum noſtrũ eximia ſpe, ſummæ uirtutis ado/ leſcentem, cum cæteris artibus, quibus ſtuduiſti ſem per ipſe, tũ in primis imitatione tui, fac erudias. Nul la enim erit hac præſtantior diſciplina. Quem nos, & quia tuus, & quia te dignus eſt filius, & quia nos diligit, ſemperq; dilexit, in primis amamus, charũq; habemus.

Lib. 2. Fabio uiro optimo. Tota.

L. Valerium iuriſconſultum ualde tibi cõmendo, ſed ita etiamſi non eſt iuriſconſultus. Melius enim ei cauere uolo, quàm ipſe alijs ſolet. Valde hominẽ dili go, eſt ex meis domeſticis atq; intimis familiaribus. Omnino tibi agit gratias: ſed idem ſcribit, meas lite/ Iocoſe.

ras maximum apud te pondus habituras. Id cum ne ſallat, te etiam atq; etiam rogo.

Atq; ipſum tibi Pomponiũ ita cõmendo, ut quan quam ipſius cauſa cõfido te factum eſſe omnia, ta men abs te hoc petam, ut ſi quid reſidet in te amoris erga me, id omne in Pomponij negocio oſtẽdas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Lib. 6. Cum A. Cæcinna tanta. Tota, & elegans.

Hunc mi Cæſar, ſic uelim omni tua comitate cõ plectare, ut omnia, quæ per me poßis adduci, ut in meos conferre uelis, in unum hunc conferas. De quo tibi homine hoc ſpondeo, non illo uetere uerbo meo, quod cũ ad te de Milone ſcripſiſſem, iure luſiſti, ſed more Romano, quomodo homines nõ inepti loquun tur, probiorem hominem, meliorem uirum, pruden tiorem eſſe neminem. Accedit etiam, quod familiari tatem inducit, in iure ciuili ſingularis memoria, ſum ma ſcientia. Huic ego neq; tribunatum, neq; præfe cturam, neq; ullius beneficij certum nomen peto, be neuolẽtiam tuam, & liberalitatem peto. Neq; impe dio, quo minus, ſi tibi ita placuerit, etiam hiſce eum ornes gloriæ inſignibus. Totum denique hominem tibi trado de manu (ut aiunt) in manum tuam iſtam, & uictoria, & fide præſtantem. Sumus enim putidi uſculi, quanquam per te uix licet. Verùm, ut uideo, li cebit. Rufum iſtum amicũ tuum, de quo iterum ad me ſcribis, adiuuarem quantum poſſem, etiam ſi ab eo læſus eſſem, cùm te tantopere uiderem eius cauſa laborare. Cùm uerò & ex tuis literis, et illius ad me

Reſponſio ad commendatio nem.

mißis

miſſis intelligam, et iudicem magnæ curæ ei ſalutem meam fuiſſe, non poſſum ei non amicus eſſe: neq; ſolum tua commendatione, quæ apud me, ut debet, ualet plurimum, ſed etiam uoluntate, ac iudicio meo.

Lib. 11. *Permagni intereſt. Tota, & elegans.*

Item proxima: Lamia uno omnium. Item eodem libro: Cum Appio Claudio.

Lib. 13. *Et ſi non ſatis. Eodem: Caio Auiano. Item proxima: Aulum Fuſium.*

Item multæ ſequentes epiſtolæ ſunt eiuſdem generis. Eodem: Non dubito. Quin totus hic liber nihil habet præter epiſtolas commendatitias. Lib. 15. Marcum Fabium.

Quare cæteris in rebus tantum ei tribues, quantũ humanitas tua amicitiaq; noſtra poſtulat. De Tullia mea tibi antiquiſſimũ eſſe uideo, idq; ita ut ſit, te uehementer rogo. Ego autem mi Plance, etſi non dubitabam, quin & s. c. & lex et Coſ. decretum, ac literæ apud te plurimum autoritatis haberent, teq; ipſius Attici cauſa uelle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione, & beneuolentia noſtra mihi ſumpſi, ut id à te peterem, quod tua ſingularis humanitas, ſuauiſſimiq; mores, à te eſſent impetraturi. Id autem eſt, ut hoc, quod te tua ſponte facturũ eſſe certò ſcio, honoris noſtri cauſa libenter, non prolixe, ſed celeriter facias. Mihi nemo eſt amicitior, nec iucũdior, nec charior Attico, cuius antea res ſolum familiaris agebatur, eaq; magna, nunc acceſſit etiã exiſtimatio: ut quod conſequutus eſt magna & induſtria et gratia, Cic. ad Attic.

t uiuo

uiuo Cæſare, mortuo id te adiuuãte, obtineat. Quod ſi à te erit impetratum, ſic uelim exiſtimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo ſummo beneficio me affectum iudicem.

Ego etiam mi Cicero, proprie familiariterq́; te rogo, ut ueterẽ ames, uelisq; eſſe quàm ampliſsimũ: qui etſi nulla re deterreri à propoſito poteſt, tamen excitari tuis laudibus indulgentiaq́; poterit, quo magis amplexetur, ac tueatur iudiciũ ſuum: id mihi gratiſsimum erit.

Filiam meam, & tuam, Ciceronemq́; noſtrũ quid ego mi frater tibi commẽdem? Quin illud mœreo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas affert, quàm mihi. Sed te incolumi orbi non erunt.

Itaq; eum tibi commendo maiorem in modum, hominem domi ſplendidum, gratioſum etiam extra domum, quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. Eſt tribunus militum in exercitu noſtro. Gratũ hominem, obſeruãtemq́; cognoſces. Trebatium ut ualde ames, uehementer te rogo.

Quare ut inſtituiſti, complectere adoleſcentem.

Ex lib. ad Brutum. Tota: *Bibulus.* Item epiſtola; *Multos tibi.*

Omnibus rebus ita eum tractes, ut intelligat noſtram commendationem non uulgarem fuiſſe.

COMMENDATORIAE AD NU-*ptias exemplum.*

Plinius. Tota epiſt. lib. 1. *Petis ut fra. t.*

Elegans exemplũ commendationis, erit tota illa epiſt.

epiſt.lib.2.cuius initium. Et tu occaſiones obligandi me auidiſſime amplecteris. Lib.3.epiſt. Quod ipſe amicis tuis.

Lib.4. Caluiſium nepotem.

Eodẽ libro. Si quid omnino. Rurſum lib.6. Atilium Creſcentem.

Obliga, me obliga antè, quàm dicat: nam cùm dixerit, gratias ages. Spondeo ſollicitudini tuæ, ſpei meæ, magnitudini cauſæ ſuffecturum.

Eſt indolis optimæ, breui producturus alios, ſi hic interim prouectus fuerit à nobis.

Accepiſſe te beneficium credes, cùm propius inſpexeris hominem, omnibus honoribus, omnibus titulis (nihil uolo elatus de modeſtiſſimo uiro dicere) parem.

Videor ergo demonſtrare tibi poſſe Iulium Genitorem: amatur à me, iudicio tamen meo non obſtat charitas hominis; quæ ex iudicio nata eſt. Vir eſt emendatus & grauis, paulò etiam horridior, & durior, ut in hac licentia temporum: quãtum eloquentia ualeat, pluribus credere potes. Nam dicẽdi facultas aperta & expoſita ſtatim cernitur. Vita hominum altos receſſus, magnasq́; latebras habet, cuius pro Genitore me ſponſorem accipe. Nihil ex hoc uiro filius tuus audiet, niſi profuturum. Nihil diſcet; quod neſciſſe rectius fuerit, nec minus ſæpe ab illo, quàm à te, meq́; admonebitur, quib. imaginibus oneretur, quæ nomina, & quanta ſuſtineat. Proinde fauentibus dijs, tarde eũ præceptori, à quo mores pri- Commẽdatio præceptoris.

 mum

mũm,mox eloquentiam diſcat,quæ male ſine mori-bus diſcitur.

Commendatio liberti.

Lib.5.epiſt. *Video quàm molliter tuos habeas. Claudius amari à te cupit, dignus hoc ipſo quod cupit, deinde quòd ipſe te diligit. Neque enim ferè quiſquã exigit iſtud,niſi qui facit,uir alioqui rectus, integer,quietus,ac penè ultra modum,ſi quis tamen ultra modum,uerecundus.*

Hunc hominem appetentiſſimum tui, mihi cre-de,complectere, apprehende, imò & inuita,ac ſic ama, tanquam gratiam referas. Neque enim obli-gandus,ſed remunerandus eſt in amoris officio, qui prior cœpit.

COMMEMDATIO MEA.

M*Vltis in illum beneficijs conferendis reddidiſti te quodammodo obnoxium. Ita enim nunc mo-ribus comparatum eſt,ut poſteaquam multa præſti-teris,hoc tantum meminerint,quod negatum eſt.*

Poſteaquam hominẽ cœpiſti benefaciendo tuum facere,beneficia beneficijs cumulanda ſunt.

Non decet ſtare ſemel incitatam liberalitatem, cuius pulchritudinem uſus ipſe commendat.

Cur hunc hominem tibi tanto ſtudio commen-dandum putarim, mirari deſines, ubi eum propius noſſe cœperis.

Huic perſuaſum eſt,& te apud principem,& me apud te plurimum ualere: & de te quidem haud fal-litur, de me ne fallatur, non tam promeritus ſum, quàm cupio.

Pluribus

Pluribus hanc rem abs te contenderē, ni uererer, ne cui de tua humanitate uiderer diffidere.

Scio non ſine cauſa dictum Horatio: *Quem cui cōmendes, etiam atq; etiā aſpice. Sed huius hominis integritas, ſic mihi multis argumentis eſt explorata, ut nō dubitē illum tibi uel capitis mei periculo commendare. Quem ſi cōplecteris, gratias agam quòd mihi crediderìs. Sed tu mihi magis ages gratias, quòd tibi tradiderim hominē in manum, qui tibi fuerat etiam è longinquo arceſſendus.*

RESPONSIO AD COMMENDATIONEM.

NVmerium Numeſtium libenter accepi in amicitiam: & hominem grauem & prudentem, & dignum tua commendatione cognoui. Cic. ad Attic.

Plinius *lib. 6. epiſt. Cōmendas mihi.* Rurſum *epiſt.* Rogas *ut agam.*

Quid ego audio? uis tibi ignoſci, quòd me tuis commendatitijs literis oneras. Imò ſic interpretor, ingens beneficium abs te datum, qui tali uiro me conciliaris.

Quid poßim, tu uideris. Quis ſit exitus rei futurus, fortunæ in manu eſt. Illud efficiam, ut Antonius *intelligat noſtram amicitiam haudquaquam uulgarem eſſe.* Mea.

Et tu diligenter cōmendas hominem, et ille mihi uiſus eſt dignus, cui tantopere faueas. Sed temporum iniquitas in cauſa fuit, quo minus licuerit illi tantum præſtare, quantum uolebamus.

DE MONITORIA EPISTOLA.

Monitoriæ epiſtolæ duplex eſt officiũ: Et uitium, ſi quod mutari uolemus, docte indicare: & quæ ſint agenda, ea neſcienti tanquam ſcienti oſtendere. Et quoniam uix quiſquam æquo animo ſua diſcit uitia, ideò reprehenſionis acerbitatem laude mitigabimus. Cùm multa in eo ſint egregia, negabimus paſſuros nos, ut tot uirtutes unius uitij næuo obſcurētur, neq; commiſſuros, ut tantus amicus cum exceptione laudetur. Deinde ipſum uitium uel ab ætate, uel ab imprudētia extenuabimus, uel maximis quoq; uiris idem fuiſſe oſtendemus: aut certe ipſum quidem eſſe mutandum, ſed tamen ab animi liberalitate, aliáue uirtute proficiſci, haud magno negocio mutari poſſe. Nos hæc præcipuo in illum amore ſcribere dicemus, alijs non idem facturos. Orabimus ut pari libertate in nos utatur, niſi fortè minus amet. Id enim propriũ amicitiæ munus, ut libera ſit admonitio ac mutua, et ſimilia, quæ ad hanc ſententiam pertinebunt. Quod ſi tyranno, regi, aut alioqui potēti ſcribimus, cuius aures nullam omnino ſint reprehenſionem admiſſuræ, eum falſo laudantes reprehēdemus. Quum enim multas in eo uirtutes prædicamus, à quibus eſt alieniſsimus: quum item in alijs quædam abominanda execramur uitia, à quibus illum immunem eſſe dicimus, tacite admonemus agnoſcentem, quid mutare, quid ſequi debeat. Hoc equidem conſilio laudationes illas principũ repertas fuiſſe auguror, ut ſub laudis ſpecie ſuorum uitiorum ſine offenſa, ſine pudore

admo-

admonerētur. Alioqui quid ea aſſentatione fœdius? Vbi uerò ſine reprehenſione quid agendum ſit, oſtendemus, autoritatē quandā nobis conſtituamus oportet, ſine eius, quē monemus, iniuria. Idq; uel ab ætate, qua illum longè præcedimus: uel à multarum rerum uſu, qui in eo tantus per ætatē nondū eſſe potuit, uel à diuturno ſtudio in quo nos ſimus plurimis annis uerſati, illo nūc ingrediente, pollicebimur nos amantiſſime, ſimulq; fideliſſime conſulturos. Demum grauitate quadam ſermonis, quid quomodo fieri conueniet, oſtendemus.

Probatiſſimorum autorum dictis & exēplis crebris utemur, præſertim eorū, quorum autoritas grauis eſt apud eum, quem admonemus: et quid quenq; laudis, aut infamiæ conſequutum ſit oſtendemus. Ad prius illud admonendi genus, quo amicum uel blandius uocamus ad meliora conſilia, uel liberius obiurgamus, pro perſonarum aut rerū uarietate, multum conducet liber Plutarchi, quem ſcripſit de diſcernendo adulatorē ab amico. Ad poſterius hoc quod tantum docet, non obiurgat, conferent epiſtolæ, imò libri omnes Senecæ, Cypriani, Hieronymi, & aliorū qui uiuendi formam diuerſis præſcripſerunt, ſed præcipue Plutarchi libelli, qui morales appellantur. In priore reperiētur huiuſmodi fermè themata. Admonendus amicus ſubmoroſus, ut magis ſeſe accommodet ad mores omnium. Sit magis comis in uxorem, mitior in liberos, clementior erga famulos, obſequentior erga amicos. Itē qui linguæ ſit liberioris, admo-

nendus, ut circunſpectus loquatur: quòd non eodem candore ab omnibus excipiantur, quæ dicũtur. Item amicus plus ſatis addictus ſtudijs admonebitur, ut parcat ualetudini, ut ſe patiatur ſtudijs ac neceſſa-rijs negotijs, ut ſe magis accõmodet ad ſenſum communem. Ita qui ſimplicioris erit ingenij, admonebitur, ne quid fidat fictis amicis. Qui deditus erit aleæ, reuocabitur ad alios luſus: qui profuſior, ad frugalitatem: qui ferocior, ad modeſtiam: qui incogitantior, ad uigilantiam. Atque item de cæteris, nam ſunt innumera. Hoc genus minimum differt à ſuaſorio. In poſteriore licet huiuſmodi themata fingere. In ſtudio literarum quomodo uerſandum. Stylus quibus modis potiſsimum parandus. Quibus rebus concilianda fama. Quibus artibus uitari poſsit inuidia. Quo pacto colenda amicitia. Quid uitandum aut ſequendum in matrimonio: qua de re ſcripſit Plutarchus. Quibus modis inſtituendi liberi. Quid faciendum ludimagiſtro. Quid ei, qui decreuerit in aula principum uiuere. Quod officium boni medici, principis, aut epiſcopi, ducis, aut militis, boni concionatoris. Ex his ſimilia licebit ſimileſq; materias comminiſci. Sæpe miſcetur utrunq; genus, cuius accuratiſsimum exemplum ſi quis quærit, legat Ciceronis ad Qu. fratrem epiſtolam, cuius initium: Etſi non dubitabam quin hãc epiſtolam. Præſtabit in huiuſmodi thematibus exerceri, unde præter phraſim paratur & prudentia potius, quàm in friuolis, & anilibus materiolis. In re tam uaria, non magni referebat exemplum ſubijce-

re,

re, ſed tamen hoc faciemus, ne prorſus exemplo ca reat præceptio.

EXEMPLVM EPISTOLAE
monitoriæ.

QVoniã ex Italia reuerſus, inter tuos uiuere decreuiſti, critq; tibi et pro tua eruditione, & natalium ſplendore, & uitæ dignitate in omnium oculis ſumma cum expectatione uiuẽdum, oras ut ſenex iuueni optimam quandam uiuendi formam cõmonſtrem, quo poßis & maleuolorum reprehenſionem effugere, & optimi cuiuſq; iudicio probari, denique & animi tranquillitati, & corporis ualetudini conſulere. Incredibile dictu eſt, quantum iam nunc iſta animi tui maturitate delecter, qui iuuenis adhuc, ea quæ ſenes plerique negligimus, mediteris. Optima, inquit Cicero, eſt uitæ eligenda ratio, quam iucundam reddet conſuetudo. Quare quanquam ſingularis tua & eruditio, & præmatura quædã animi magnitudo, monitore nõ egeat, tamen quantum ætate, qua ſola te uincimus: quantum longo rerum uſu, qui prudentes efficere ſolet: quantum multorum annorum ſtudio cõſequi potuimus, inſtitutum quàm optimum præſcribemus. Quod & ueterum pleroſq; tenuiſſe uideo, me quoq;, quãtum potui, ſequutum eſſe gaudeo; ne te quidem ſequutũ fuiſſe pœnitebit olim. Principio, quod ſemper feciſti, eum animum obtine, qui nihil acerbũ, nihil durum exiſtimet, quod ſit honeſtum, qui nullo uel metu deterritus, uel ſpe captus ab officio deflectatur. Quàm optimos tibi adiungi-

Docet agenda.

to. Malos ne laceſſito. Tua ne iactes: aliena ne carpas. Fac quum omnibus ſis anteferendus, ipſe te præferas nemini. Amicum ita ames, tanquam aliquando oſurus: inimicum ita oderis, tanquam olim amaturus. Cùm bonis officijs certa: nemini aduerſeris: omnibus te affabilem præbeas: domi hilaris, foris compoſitus. Nemini tua arcana cõmittas, memor quàm fallax ſit multorum amicitia. Beneficium confer libenter, inuitus accipe. Moroſitatem in primis fuge. Officiorũ diutiſſime meminiſſe oportet, iniuriarum facilè obliuiſci. Gloriam ſi cõtemnes, ultro te ſequetur: ſin ſequeris, fugiet ſequentem. Ne capta laudari, ſed fac laudanda. Cùm præpotẽtibus, aut nulla ſit conſuetudo, aut comis. Nullus ſumptus tibi ſit preciosior tempore: diem in operas partire. Ieiunus ſtude, aut ſcribe: pranſus, hilariora quædam agito, ceſſa nunquam. His rationibus ſi diligenter uteris, & animi tranquillitati cõſules, & charus quàm plurimis, nemini odioſus eſſe poteris. Corpus uerò moderatis agitationibus exerce, ne ignauia torpeſcat, ne'ue immodicis laboribus frangatur. Cibus ſit temperatus, ac tempeſtiuus: prãde liberalius: cœna parcius: potus non quantum libidini, ſed quantum naturæ ſatis eſt, ſume. Vale.

ALIVD EXEMPLVM.

CVm te incredibili quodam ardore literarum flagrare minime dubitarem, Chriſtiane non uulgaris amice, hortatore nihil opus eſſe putaui, ſed eius quam ingreſſus eſſes, uiæ duce modò, ac tanquã indice.

dice. Id quod mei officij eſſe iudicaui, uidelicet ut tibi homini non modo multis modis copulatiſsimo, uerum etiã iucundiſsimo, ueſtigia, quibus ipſe à puero eſſem ingreſſus, cõmonſtrarem. Quæ ſi tu pari cura accipies, atq; ego dicturus ſum, futurum confido, ut neq; me monuiſſe, neque te paruiſſe pœnituerit. Prima igitur cura ſit, ut præceptorẽ tibi deligas quàm eruditiſsimũ. Neq; enim fieri poteſt, ut is rectè quenquam erudiat, qui ſit ipſe ineruditus. Quem ſimul atq; nactus eris, fac modis omnibus efficias, ut ille patris in te, tu filij uiciſsim in illum induas affectum. Ad quod quidem cùm ipſa honeſti ratio nos debet adhortari, quod nõ minus debeamus ijs, à quibus rectè uiuendi rationem, quàm à quibus uiuendi initia ſumpſimus: tum mutua iſta beneuolentia tantum ad diſcendum habet momenti, ut fruſtra ſis literatum præceptorem habiturus, niſi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum, & aſsiduum præbeas. Contentione enim immodica nonnunquam obruuntur ingenia diſcentium. Aſsiduitas uerò & mediocritate ſua perdurat, & quotidianis incrementis maiorem opinione accruum accumulat. Satietate cum omnibus in rebus, tũ in literis nihil pernicioſius. Laxanda eſt igitur aliquoties illa literarũ contentio: intermiſcendi luſus, ſed liberales, ſed literis digni, et ab his non nimis abhorrentes. Imò medijs ipſis ſtudijs perpetua quædam uoluptas eſt intermiſcenda, ut ludum potius diſcendi, quàm laborem exiſtimemus. Nihil enim perquam diu fieri poteſt, quod nõ agentem

tem

tem aliqua uoluptate remoretur. Optima queq; ſta tim, ac primũ diſce. Extremæ enim eſt demẽtiæ, diſce re dediſcenda. Quod in curãdo ſtomacho ſolẽt præ cipere medici, idem tibi in ingenijs ſeruandum pu- ta. Caue ne aut noxio, aut immodico cibo ingenium obruas: utroq; enim iuxtà offenditur. Ebrardum, Ca tholicon, Brachylogũ, cæterosq; id genus, quos per- cenſere neq; poſſum, neq; operæpreciũ eſt, ijs relin- quito, quos barbariẽ immenſo labore diſcere iuuat. Initio non quàm multa, ſed quàm bona percipias, re fert. Sed iam rationem accipe, qua poßis non ſolum rectius, ſed etiam facilius diſcere. Hoc enim in homi ne artifice præſtare ſolet artis ratio, ut tantundem operis, quum rectius, expeditiusq;, tum leuius etiam efficiat. Diem tibi in operas partire, id quod & à Pli nio Secundo, & à Pio pontifice Max. uiris præſtan tißimis, factitatũ legimus. Principio, quod caput eſt, præceptorem interpretantem, non attentus modò, ſed & auidus auſcultato. Non contentus impigrè ſe qui diſſerentem, aliquoties præuolare contende. Om nia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis man dabis, fidelißimis uocum cuſtodibus. Quibus rurſus ita confidas caue, ut diues ille ridiculus apud Sene- cam: qui ſic animum induxerat, ut ſe tenere crede- ret, quicquid ſeruorum quiſquam meminiſſet. Noli committere, ut codices habeas eruditos, ipſe ineru- ditus. Audita ne effluant, aut apud te, aut cum alijs retracta. Nec his contentus, aliquam temporis par- tem tacitæ cogitationi tribuere memento, quã unam

D. Au-

D. Aurelius tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere ſcripſit. Cõflictatio quoque & tanquam palæſtra ingeniorum, neruos animi præcipue tum oſtendit, tum excitat, tum adauget. Nec ſciſcitari, ſi quid dubitabis: nec caſtigari, ſi quid errabis, ſit pudor. Nocturnas lucubrationes, atque intempeſtiua ſtudia fugito: nam & ingenium extinguunt, & ualetudinem uehementer offendũt. Auroră muſis amica eſt, apta ſtudijs. Pranſus aut lude, aut deambula, aut hilarius confabulare. Quid quòd inter iſta quoque ſtudijs locus eſſe poteſt? Cibi non quantum libidini, ſed quantum ualetudini ſatis ſit, ſumito. Sub cœnam pauliſper inambula: cœnatus, idem facito. Sub ſomnum exquiſiti quippiam, ac dignum memoria legito. De eo cogitantem ſopor opprimat: id experrectus, à te ipſo repoſcas. Plinianũ illud ſemper animo inſideat tuo: Omne perire tempus, quod ſtudio non impertias. Cogita, iuuenta nihil eſſe fugacius: quæ ubi auolarit ſemel, redit nunquã. Sed iam hortator eſſe incipio, indicẽ pollicitus. Tu ſuauiſſime Chriſtiane, hanc formam, aut ſi quam poteris meliorem, ſequere, ac bene uale.

QVIS SIT MODVS REPETENDÆ lectionis.

Quibuſdã prima ac unica ferè cura eſt, ſtatim ad uerbum ediſcere: quod equidem non probo: eſt enim tum magni laboris, tum fructus propè nullius. Quorſum enim attinet, pſitaci more, uerba non intellecta reddere? Commodiorem igitur uiam accipe.

Lectionem quidem auditam continuo relege ita, ut uniuerſam ſententiã paulò altius animo infigas. De inde à calce rurſus ad caput redibis, & ſingula uer ba excutere incipies: ea duntaxat inquirens, quæ ad grãmaticam curam attinent. Videlicet, ſi quod uer bum obſcurum, aut ancipitis deriuationis, ſi hetero/ clitæ cõiugationis: quod ſupinum, quod præteritum faciat: quos habeat maiores, quos nepotes, quam cõ ſtructionem, quid ſignificet, & huiuſmodi nonnulla. Hoc ubi egeris, rurſum de integro percurrito, ea iam potiſſimum inquirẽs, quæ ad artificium rhetoricum ſpectant. Si quid uenuſtius, ſi quid elegantius, ſi quid concinnius dictum uidebitur, annotabis indice, aut aſteriſco appoſito. Verborum cõpoſitionem inſpicies; orationis decora ſcrutabere. Autoris conſiliũ in/ dagabis, qua quicq; ratione dixerit. Vbi quid te de/ lectauerit uehementius, caue præter caſam, quod a/ iunt, fugias. Fige pedẽ, ac abs te ipſo rationem exige, quare tãtopere ſis ea oratione delectatus: cur nõ ex cæteris quoq; parem ceperis uoluptatẽ. Inuenies te acumine, aut exornatione aliqua oratoria, aut cõpo ſitionis harmonia: aut, ne omnia perſequar, ſimili quapiã cauſa cõmotum fuiſſe. Quòd ſi aliquod ada/ gium, ſi qua ſententia, ſi quod prouerbium uetus, ſi qua hiſtoria, ſi qua fabula, ſi qua ſimilitudo non ine/ pta, ſi quid breuiter, acutè, aut alioqui ingenioſe di/ ctum eſſe uidebitur, id tanquam theſaurum quendam animo diligenter reponendum ducito ad uſum, & ad imitationẽ. His diligenter curatis, ne pigeat quar

to iterare. Nam hoc habent eruditorum uirorum, ſummo ingenio, ſummis uigilijs elucubrata ſcripta, ut millies relecta, magis magiſq; placeant, ſemperq́; admiratori ſuo nouum miraculũ oſtendant. Id quod tibi in tabula tua ſæpenumero, nec ſine cauſa lauda ta, euenire ſolet, quod antea non animaduertiſſes. Idem tibi multo amplius in bonis autoribus eueniet. Releges igitur quarto, ac quæ ad philoſophiam, ma xime uerò ethicen referri poſſe uideantur, circuma ſpicies, ſi quod exemplum, quod moribus accommo dari poßit. Quid autem eſt, ex quo non uel exemplũ uiuendi, uel imago quædam, uel occaſio ſumi queat? Nam in aliorum pulchrè ac turpiter factis, quid de ceat, quid non, iuxtà uidemus. Hæc ſi facies, iam uel edidiceris, quanquam aliud egiſti: Tum demum, ſi li bet, ad ediſcendi laborem accedito: qui tum aut nul lus erit, aut certe perquàm exiguus. Quid deinde? Reſtat, ut cum ſtudioſis cõgrediaris, tuas annotatio nes in medium proferas, uicißimq́; illorum audias, alia laudabis, alia reprehẽdes: tua partim defendes, partim caſtigari permittes. Poſtremò quod in alijs laudaſti, tuis in ſcriptis imitari conaberis.

Secreta ſtudia à doctis laudantur: at ita, ut poſtea è latebris in arenã prodeamus, uiriumq́; noſtrarum periculum faciamus. Id quod ſapiẽtißimè à Socrate eſt dictum. Experiamur utrum partus ingeniorum uitales ſint, nimirum obſtetricũ induſtriam imitati. Quare alternatim utriſq; utetur, qui nõ uulgariter uolet euadere doctus. Vale.

ALIVD

ALIVD EXEMPLVM DE uita aulica.

SCribis te nolentem ac reluctantem, uoluntate parentum rapi, protrudiq́; in aulā principis. Quando igitur neceſsitas uinci non poteſt, ſupereſt ut commode utendo perficias, ut aliquando te iſthinc explices quàm minimo malo. Nec enim omnibus infeliciter ceſsit, hanc adiſſe Laidem. Et ne tibi uidear non ſatis grauis admonitor, ſcito me ab ipſa pueritia ad annum uſq; quinquageſimū, in aulis principum militaſſe. Primùm illud tecum ſtatuito, ne quid cui credas, quantumuis in ſpeciem amico, quantumuis arridenti, complexanti, pollicenti, deieranti. Nec quenquam exiſtimes tibi ex animo amicum, nec tu ſis cuiquam amicus ex animo: tamen perinde quaſi nemi nem non ames, ita blandus & comis eſto ſingulis. Eſto largiſsimus eorum officiorum, quæ tibi nihil adferunt impendij. Saluta blande, complectere, cede uiā, aperi caput, ſubinde repete honoris & charitatis titulos, lauda affatim, pollicere benigniter. Prius igitur, domi uultum componito, ut is tibi paratus ſit ad omnem fabulæ partem, ne quid ueri affectus in faciē ſubluceat. Meditāda domi eſt actio: ut oratio uultui, ut uultus, ac totius corporis geſtus, orationi fucatæ ſubſeruiat. Hæc ſunt aulicæ philoſophiæ rudimenta: ad quæ nullus erit idoneus, niſi prius omnem pudorem abſterſerit, ac uultu natiuo domi relicto, quaſi perſonam ſumpſerit. Proximū erit, ut factiones totius aulæ ſubodoreris, ſed ita, ne cui te facilè admiſceas.

ſceas. Si quos, aut ſi quas uideris nihil non poſſe a-pud principem, uide ut te ſemper inflectas ad latus nauis fęlicius. Nec pudeat, aut pigeat aſſentari mo-rionibus etiam, quos animaduerteris eſſe gratos Io-ui. Sed hunc ipſum omnibus technis captabis. Quo-ties in illius conſpectu cõſiſtes, arte præ te feres ſim-plicem quandam alacritatem, quaſi gaudio geſtias, quoties illi datur adeſſe. Et poſtea quàm comperiſti, quibus rebus offendatur, quibus oblectetur, non mul tum erit negocij apud illum quamuis magnam inire gratiam. Commode ſubſeruies, ad orationem arride-bis: ſi loqui nõ dabitur, applaudas uelut admirabun-dus. Sed apud alios plenis, ut aiunt, tibijs illius laudes decantabis. Aliqui certe perferent, ſi paßim prædica ueris. Nunc hic, nunc ille tibi captandus erit munu-ſculo, ſed eleganti & apto magis, quàm precioſo, ne uidearis aureo piſcari hamo: precium addes oratio-ne. Excuſabis tenuitatem fortunæ. Vbi illa contigerit opulentior, polliceberis montes aureos. Si qua præ-da affulſerit, caue quiſquam Deorum aut hominum tibi tam charus ſit, ut illi cedas. Semper tibi proxi-mus eſto. Quoties de re agitur, uel patri uerba dan-da ſunt. Non ſemper in aula ſpirant uenti ſequundi: ubi ſpirant, arripienda eſt occaſio. Nullius iuriſiuran-di tam ſancta ſit tibi religio, ut huius gratia patia-ris optimam prædã elabi de manibus. Si quibus prin-cipem ſenſeris uehementer infenſum, ac diuerſam fa-ctionem geſtire uictoria, ſemper accommoda te fę-licioribus, ſed ita, ut alteram partem non lędas ca-

pitaliter, niſi id fiat tuo magno, certoq; bono. Solent enim principum fauores, uentorum in morem ſubito de reflare in diuerſum. In ſumma, ubiq; uenare commodum tuum. Ne quem apertè lædas. Caue menſam habeas domi, ea res exhauriet te ſumptibus. Longè præſtat conuiuam eſſe, quam conuiuatorem. Noli ſupputare quanti conſtet una cœna domi data, ſed ſubducito rationem, ad quantam ſummam poſt annum ea res tibi ſit reditura. Proceres aliquot cole. Horum menſis te adiungito, ſed ita, ne crebrius ad eundem. Hic comis & commodus eſto conuiua: ſic feſtiuus ac lepidus, ut ne quem offendas. Si quid in te dictum erit petulantius, in luſum, iocumq; uertito, etiam ſi ſeria res ſit. Ab omnibus tanquam ab hoſtibus caueto. Ne cui concredas, unde te poßit lædere. Si quos ſenſeris tibi parum amicos, fac artificio ſummo dißimules, & communibus officijs hoc magis apud illos amicum agas. Lauda apud eos quos ſuſpicaris renunciaturos: hac arte aut fient amici, aut mitius erunt inimici. Tantum caue, ne qua detur anſa lædendi. In cæteris nugis aulicorum eſto lepidus congerro. Tantum ab alea temperato: ſiquidem ad hunc ſcopulum multi fecere naufragium ſic, ut uix licuerit enatare nudos. Da operam, ut quàm minimum inquineris. Ad rem agendam & conſtabiliendam ubique uigila. Vbi ſatis pingueris, excogitanda ratio, ut, quod paucis contingit, feliciter ab aula te ſubducas, tibiq; uiuas. Neque perpetuus adſis principi, neque nimium diu abſis: quorum alterum parit tædium

dium ac ſatietatem; alterum obliuionem. Vt autem etiam commodo tuo abſis, ambi legationes, ſed fauorabiles, minimiq; negotij, ita ſubinde redibis nouus ad principem tuum. Semper eſto querulus ac petax, & quemadmodum callidæ meretrices, uarijs nominibus ac modis, ſemper aliquid auferunt ab amatoribus: ita tibi ſtudio ſit, ſemper aliquid auferre à principe. Sed ea potiſsimum petenda, quæ ille ſine ſuo ſumptu largiri poteſt. Quod genus ſunt ſacerdotia, præpoſituræ, abbatiæ. Si quid erit tale, cuius tu capax non ſis, ſuborna qui petant ſuo nomine, ſed tuo commodo. Hæc arbitror eſſe ſatis pro primis elementis: poſthac ubi te profeciſſe uidero, abſtruſiora quædam impartiam. Vale.

EXEMPLVM EPISTOLAE, QVAE habet admixtam obiurgationem.

Contigit tibi genus cum primis honeſtum, contigit res ſatis ampla: contigit ingenium: cõtigit eruditio non uulgaris, nec deeſt iudicium. Quid multis? felix eras, niſi unum quiddam tibi deeſſet, ut hoc tua pace dixerim. Nam hæc qui ſcribit, tibi ex animo bene uult, ut ſi quis alius. Quid iſthuc? inquies, ut animo imperes tuo; mi Saxoni. Quid conferunt literæ, ſi neſcias uti? Non hercle plus, quàm cithara ei qui neſciat canere. Ad hoc diſcitur philoſophia, ut ne quid agatur ex affectuum arbitrio, ſed ex rationis iudicio. Et unum hoc quod deeſt ad felicitatem, ipſe tibi præſtare potes: præſtiteris enim ilico, ſi magnopere uelis. Quid tibi cum iſtis litibus? Sit interim leuis

momenti, quod & rem deteris & tẽporis iacturam facis, animi tranquillitate cares, & minus iucundus es uxori, liberis, amicis, minus adeò tibi ipſi: uides to ties periclitari ualetudinem tuã. Vt belli, ſic litis incertus euentus. Sed finge certam uictoriam: quæſo te totum hoc quod euinces, tot incommodis emendum putas, etiam uitæ diſcrimine? Scio, non facis iſta tuopte ingenio, quo nihil eſt ad pacem & amicitiam propenſius. Inſtigat te lippus ille ueterator, homo factus ad lites. Sed obſecro te per noſtram amicitiam, qui magis libet iſti uni auſcultare, quàm optimo parenti, quàm his amicis, qui tibi non minus bene uolunt, quàm ſibi? Tu quidem pro tuo cãdore alios æſtimas è tuo ingenio: at uereor ne cõſultor iſte ſibi conſulat, non tibi. Mihi uultus ipſe hominis impoſtorem clamitat. Atq; utinam hic mihi ſit læua mens: ſed uereor ne ſerò ſapias, meq; uatem uerum fuiſſe dicas. Reijce nebulonis uenenatam blandiloquentiam. Patrem uirum & ſingulari prudentia præditum, et tui plus quàm paternæ amantem: imo tuum ipſius ingenium, tuam eruditionem in conſilium adhibe. Rem per arbitros cum affine tranſige, uel parũ æquis conditionibus: fortaſſe capies aliquod rei diſpendiũ. Crede mihi, ſi rerum omnium rationem ſubduxeris, iſtud diſpendium ſummum erit compendium, etiam ſi in ſolidum pereat, quo de lis eſt. Vale.

Cic epiſt. famil.

MONITORI AE SYLVA.

NAm neq; pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neq; delendum, etiam ſi id fieri poſſet, ſummorum

morum ciuium principatum, neq; permanendum in una ſententia, conuerſis rebus, ac bonorum uolunta tibus mutatis, ſed temporibus aſſentiendum. Nunquam enim præſtantibus in Repub. gubernanda uiris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio, ſed ut in nauigando tēpeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas: cùm uerò id poßis mutata uelificatione aſſequi, ſtultum eſt cum tenere cum periculo curſum, quem ceperis potius, quàm eo commutato, quò uelis tandem peruenire. Sic cum omnibus nobis in adminiſtranda Repub. propoſitum eſſe debeat id, quod à me ſæpißime dictum eſt, cum dignitate ocium, non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.

Etſi eo te adhuc cōſilio uſum intelligo, ut id reprehendere non audeam, nō quin ab eo ipſe diſſentiam, ſed quod ea te ſapientia eſſe iudicem, ut meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ uetuſtas, & tua ſumma erga me beneuolentia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita eſt, me hortata eſt, ut ea ſcriberem ad te, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem à dignitate. Mitigatio.

Sed quoniam quod mihi placeret oſtēdi, reliqua tu pro tua prudentia conſiderabis.

Scribam aperte, ſicut & mea natura, & noſtra amicitia poſtulabit.

Oro, obteſtorq; te pro noſtra uetere cōiunctione, ac neceßitudine, proq; ſumma mea in te beneuolentia, & tua in me pariter, te ut nobis; parenti, coniu

gi,tuiſq; omnibus,quibus es fuiſtiq; ſemper chariſſimus,ſaluum conſerues:incolumitati tuæ,tuorumq;, qui ex te pendent,conſulas. Quæ didiciſti,quæq; ab adoleſcentia pulcherrime à ſapientiſſimis uiris tradita memoria & ſcientia comprehendiſti,ijs hoc tempore utare:quos coniunctos ſumma beneuolētia,plurimiſq; officijs amaſti,eorum deſiderium ſi nō æquo animo,at forti feras.

Nunc tantū ſignificandum putaui,ut potius amorem tibi oſtenderē meū,quàm oſtentarē prudentiā.

Adhuc enim patitur tua ſumma humanitas & ſapientia,me quod ſentiam,libere dicere.

Cic. ad Attic. Lib.10.epiſtola: Quæ locutus eſt Furnius noſter.

Vt enim gubernatori curſus ſecundus,medico ſalus, imperatori uictoria, ſic huic moderatori Reip. beata ciuium uita propoſita eſt,ut opibus firma,copijs locuples,gloria ampla,uirtute honeſta ſit. Huius enim operis maximi inter homines,atq; optimi illum eſſe effectorem uolo.

Vehementer à te Brute diſſentio,neq; clementiæ tuæ cōcedo, ſed ſalutaris ſeueritas uincit inanem ſpeciem clementiæ. Quòd ſi clemētes eſſe uoluerimus, nunquam deerunt bella ciuilia.

Hæc ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta, nihil pōteſt eſſe uerius.

Nunc Cicero,nunc agendum eſt, ne fruſtra oppreſſum eſſe Antonium gauiſi ſimus, neu ſemper primi cuiuſq; mali excidendi cauſa ſit,ut aliud renaſcatur illo peius.

Etiam illud te admoneo, ne quid ullis literis committas, quod ſi prolatum ſit, moleſte feramus. Multa ſunt, quæ ego neſcire malo, quàm cum aliquo periculo fieri certior.

Nec te tam longe nauigationi et uiæ per hyemẽ, niſi bene firmum cõmittas, néue nauiges, niſi explorate. Qui cupide prouecti ſunt, multi naufragia fecerunt. Solẽt nautæ feſtinare quæſtus ſui cauſa, cautus ſis mi Tyro. Cic. epiſt. fam. lib. 6.

Accepi tuam epiſtolam uacillantibus literulis, nec mirum tam graui morbo.

Audio te animo angi, & medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex ſomno tuas literas, humanitatẽq;, propter quam tu es mihi chariſſimus.

Nunc opus eſt te animo ualere, ut corpore poſſis. Id quum tua, tum mea cauſa facias, à te peto.

Mihi crede, tuis literis perlectis, exilui gaudio.

Quid eſt enim negotij, continere eos quibus præſis, ſi te ipſe cõtineas? Nam ut quiſq; eſt uir optimus, ita difficilime eſſe alios improbos ſuſpicatur.

Multis enim ſimulationum inuolucris tegitur, & quaſi uelis quibuſdam obducitur uniuſcuiſq; natura. Frons, oculi, uultus perſæpe mentiuntur, oratio uerò ſæpiſſime.

Quid enim ei præcipiam, quem ego in hoc præſertim genere intelligam prudentia non eſſe inferiorem me, uſu uerò etiam ſuperiorem.

Quapropter incumbe toto animo, & ſtudio omni in eam rationem, qua adhuc uſus es, ut eos, &c.

At ille quidem princeps ingenij & doctrinæ Plato, tũ deniq; fore beatas Reſpublicas putat, ſi aut docti, aut ſapiẽtes eas regere cœpiſſent: aut qui regerẽt omne ſtudium in doctrina & ſapientia collocaſſent.

Mitigatio monitionis. *At ea quidẽ quæ ſupra ſcripta ſunt, non ut te inſtituerẽ ſcripſi (neq; enim prudentia tua cuiuſquã præcepta deſiderat) ſed me in ſcribẽdo, commemoratio tuæ uirtutis delectauit: quanquam in his literis longior fui, quàm aut uellem, aut me forte putaui.*

Sed te illud admoneo, ut te antè compares, quotidieq; meditere reſiſtendum eſſe iracundiæ, quum ea maxime animum mouet, tum diligentiſsime linguam eſſe continendam: quæ quidem mihi uirtus, nõ interdum minor uidetur, quàm omnino non iraſci.

Mitigatio monitionis. *Nihil enim nec temere dicere, nec aſtute reticere debeo. Apud Xenophontẽ eſt Cyri et Ageſilai ſummo imperio nullum unquam uerbum aſperius auditum fuiſſe.*

De ſorore quod ſcribis, teſtis erit tibi iſta, quantæ mihi curæ fuerit. Vtinam fratris in eam animus eſſet is, qui eſſe deberet. Quem quum eſſe offenſiorem arbitrarer, eas literas ad eũ miſi, quib. et placarẽ ut fratrẽ, et monerẽ ut minorem, & obiurgarẽ ut errãtem.

Tu pro tua prudẽtia, q̃d optimũ ſit factu, uidebis.

Niſi mihi fortuna propriũ conſiliũ extorſiſſet, &c.

At uide quanto diligentius homines metuant, quàm meminerint.

Pecunia omnium dignitatem exæquat.

Nunc te obiurgari patere.

Neq;

Neq; enim tantopere mihi conſiderandũ eſt, quid uir optimus, in præſentia uelis, quàm quid ſemper ſis probaturus.

Quo magis te, cui uacat, hortor, cũ in urbem proxime ueneris, uenias aũt ob hoc maturius, illi te expoliendum limandumq; permittas. Neq; enim ego, ut multi, inuideo alijs bonum, quo ipſe careo, ſed cõtrà ſenſum quendã uoluptatemq; percipio, ſi ea quæ mihi denegantur, amicis uideo ſupereſſe. Plinius.

Quod tibi ſcripſi, ut te ſortitum prouinciam præmonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquã ſatis fidas: deinde ſcias, ſi quis forte te, quod abominor, fallat, paratam ultionem, qua tamen ne ſit opus, etiam atq; etiam attende. Neq; enim tam iucundum eſt uindicari, quàm decipi miſerum.

Poſſum ego, quod pluribus uerbis, pluribus etiam uoluminibus philoſophi docere conãtur, ipſe breuiter tibi, mihiq; præcipere, ut tales eſſe ſani perſeueremus, quales nos futuros profitemur infirmi.

Lib. 1. Tota epiſtola, cuius initium: Conſulis an exiſtimem.

Quorſum hæc? ne tibi optimæ indolis iuueni, quorundam immenſa luxuria, ſpecie frugalitatis impo/nat. Conuenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, ſub exemplo præmonere, quid debeas fugere. Igitur memento nihil magis eſſe uitandum, quàm iſtam luxuriæ, et ſordium nouam ſocietatem, quæ cũ ſit turpiſſima, diſcreta atq; ſeparata turpius iunguntur.

Lib.3.Tota:Cùm patrem tuum.

Quomodo principes ſub ſpecie laudis excitandi ſunt ad honeſta, docet Plinius lib.3.epiſt. Officium conſulatus.

Rurſum lib.7.epiſt.Terret me hæc tua.

Eodē lib.Quæris quemadmodū de ratione ſtudij.

Item eodem lib.Deliberas mecum.

Rurſum epiſt.Gaudeo quidem.Rurſum libro 8. Amor in te meus cogit,nō ut præcipiam (neq; enim præceptore eges) admoneā tamē,ut quæ ſcis teneas, et obſerues,aut ſcias melius.Nam tota uſq; ad finem huius argumenti eſt,& elegans.

MONITIO MEA.

DE malo principe tacendum cenſeo, nam ſi male loquaris,ingens periculum eſt:ſi bene,graue flagitium eſt.

Non te cuiuſquam autoritas abducat à recto.Eſt quidem conſultum inhærere maiorū ueſtigijs,ſiquidem illi recto itinere præceſſerunt. Alioqui quid intereſt,inter hunc imitatorem,& gregem,ducem illum ſuum,quoquò ſe conferat,ſequentem?

Hoc ipſo mihi places,quòd ipſe tibi diſplices. Nā uerißime dixit Plinius: Magis in ſtudijs homines timor,quàm fiducia decet.

Mitigatio ad monitionis. Ede tandē aliquid indolis tuæ ſpecimen.Oſtende aulæ,oſtende Reipub.patere te aßignari famæ. Scis illud:occulte muſices,&c.

Oſtende,quid in te,hoc eſt,in opere pulcherrimo deſiderem.

Quem ſi ſine exceptione laudaſſem, & fide caruiſſet laudatio, quæ in nullum competit mortalem, & tibi nihil profuiſſem. Nunc omnes intelligunt, et intelligis ipſe, mihi cætera uere placere, quum non diſsimularim, quæ mihi diſpliceant.

Sciebam tibi nihil opus eſſe monitore, ſed tamen libuit admonere, ut quod facis, faceres.

Quod tranſactum eſt, reuocari iam in integrum non poteſt: quid in poſterum oporteat fieri, conſulendum eſt.

Nunc monere te ſerum eſt: obiurgare, inhumanum: utinam aut ego poßim te ex iſtis malis eximere, aut tu monitis meis obtemperans, in iſta non incidiſſes.

Quid faciam? Obiurgabo te, qui toties admonitus, ut caueres, uelut obſtinato deuotoq; animo temet in iſtas calamitates conieceris? Sed ærumnoſum amicum obiurgare, crudele eſt. Admonebo? ſerũ eſt: utinam ſerum non eſſet. Scio quàm tu fruſtra ſoleas admoneri. Complorabo tuã infelicitatem, quid aliud quàm plagam exacerbauero? Vnum illud ſupereſt, ſi quid tamen supereſt, ne doloris impatientia, malis per ſe grauißimis grauius aliquid adiungas, & omnes ingenij conſilijq; tui neruos excites, ut temet iſtinc euoluas.

Etiam atq; etiã cura ualetudinem tuam. Et quanquã eſt hyems, tamen memento te Auenione uiuere.

Deliberationem tuam ad amicos retuli, quorum una omniũ eſt ſententia, ut relictis iſtis nugis orato-

rum

rum ac poëtarum, te totum ad ius pontificium conferas.

Cicero id epiſtolæ propriũ eſſe putauit, ut cui ſcribitur, de ijs quæ ignorat, certior fiat. At ego ad te ea quæ melius meipſo tenes.

Quare aut amori meo concedas oportet, aut hãc epiſtolam eſſe neges.

RESPONSIO AD MONITIONEM.

Raras tuas quidem (fortaſſe enim non perferuntur) ſed ſuaues accipio literas, uel quas proxime acceperam, quàm prudentes, quàm multi & officij & conſilij. Etſi omnia ſic conſtitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamẽ confirmantur noſtra conſilia, cùm ſentimus, prudentibus, feliciterq; ſuadentibus idem uideri.

DE AMATORIA EPISTOLA.

Amatoriæ epiſtolæ non omnes eodẽ in genere uerſantur. Aliæ enim petunt, aliæ expoſtulant, aliæ queruntur, aliæ blandiuntur, aliæ purgant. Quare commode de his arte præcipi non poterat. Huius generis duas ſpecies nonnullos feciſſe uideo, honeſtam & turpem. Nos honeſtam, conciliatoriam appellamus, alteram amatoriam. Conciliatoria eſt, qua nos in beneuolentiam antea ignoti inſinuamus. Eam ſic inſtituemus: Principio cauſas, quibus ad ambiendam illius amicitiam ſumus accenſi, probabiliter exponemus. Id quanquam uix citra aſſentationem fieri poteſt, tamen aſſentationis ſuſpicionẽ accurate amouebimus. Deinde ſi quid in nobis erit, quod illũ ad nos

mu-

mutuò amãdum prouocabit,id ſine arrogantia ſigni ficabimus, hoc modo.

SANTERANVS FAVSTO. S. D.

TVa carmina quæ paßim apud nos incredibili omnium admiratione leguntur, iampridem me accenderunt,ut in amicorum tuorum numerum adſcribi uehementer arderē. Neq; enim diuinam modò ingenij quandam uim, uerum etiam probitatem modeſtiamq; præ ſe ferunt. Incitauit me currentem(ut aiunt)Antonius, qui perſæpe mecum & amantißime, & facundißime de tuis moribus collocutus, ultro etiam hortatus eſt,ut ad te ſcriberem,te eũ eſſe,qui non ſolum oblatas amicitias diligenter coleres, uerum etiam ſpõte tua ſoleas alios prouocare. In te quidem quum omnia ſumma ac diuina ſuſpiciam, de me nihil adfirmare poſſum,niſi hoc unum,nempe traditurum me tibi hominem tui obſeruantißimum, parum quidem eruditum,eruditorum tamen candidißimum admiratorem, & prædicatorem ſimplicem:ſimulandi ac dißimulandi: iuxta ignarum, & pertinacißimum amicorum cultorem: re quidem parum beatum,ſed animo beatißimum, liberum, apertum, facilem,denique tui cupidißimum. Hunc ſi tu uicißim amplecti potes, uel ob hoc ipſum, quod te tam perdite amat, fac eum in tuum gregem recipias. Quod ſi feceris, rem palmariam me hodie arbitrabor adſecutum.Tu porrò ut cæteris rebus omnibus ſuperes,nõ committam ut amoris magnitudine tibi concedam. Vale,ac nos ama.

Exemplũ epiſtolæ conciliatoriæ.

De amatoria præceptione.

Quod ſi puellæ animum ad mutuũ amorem ſoli-citabimus, duobus potiſsimum arietibus utemur, laude, & miſericordia. Laude enim cum omnes homines, tum puellæ in primis gaudẽt: potiſsimum autem à forma, in qua ſummum bonum conſtituunt: tum ab ætate, moribus, genere, cultu, et rebus conſimilibus. Deinde quod mollis ſit animo id genus, & facile ad miſericordiam commouetur, quàm maxime ſupplices uideri ſtudebimus. Quæ illius ſunt uehementer amplificabimus, noſtra extenuabimus, aut certe ſumma cum modeſtia proferemus. Summum amorem, cum ſumma deſperatione coniunctum oſtendemus. Nunc lamentabimur, nunc blandiemur, nunc deſperabimus: nunc rurſum nos ipſos callide laudabimus, pollicebimur, exemplis utemur illuſtrium & honeſtarum mulierum, quæ ingenuo amori indulſerunt, & iuuenum ipſarum fortunis longe inferiorũ. Amorem noſtrum, quam honeſtiſsimum conabimur oſtendere. Deniq; quàm poterimus, uerecundiſsime orabimus, ut ſi amantem redamare neutiquam dignetur, ſaltem amari ſe citra incommodum, æquo animo ferat: quod niſi impetremus, decretũ eſt apud nos quouis modo crudelem abrumpere uitam. Exemplũ huius præceptionis, ab Ouidio cæterisq; poetis petent, quibus ea res curæ eſt. Quanquam eſt genus amatoriarum epiſtolarũ quod abeſt à nequitia, ueluti quum adoleſcens probus probam, ac bene educatam puellam ambit uxorem ducere: quanquam hoc quoque blanditias habet, habet lachrymas, querimonias, ſuſpiria,

ſpiria, ſomnia, cæteraq; non turpia quidem illa, ſed ineptiora tamen, & ad aliquã nequitiæ ſpeciem accedentia, quæ neſcio an expediat adoleſcẽtibus proponere. In his erit plus difficultatis, & uberior exercendi ingenij materia, quoties pauper diuitis, obſcurus claro genere natæ, deformis formoſæ nuptias ambit, deniq; quoties ſenex puellæ. Omnes hæ formæ, quanquam ad genus ſuaſorium pertinent, tamen multum admiſcetur ex genere demonſtratiuo, quòd amor laude potiſſimum concilietur. Hic ingenij fuerit excogitare rationes, quibus ſeipſum prædicet aliquis, citra ſpeciem arrogantiæ, aut ſtoliditatis. Niſi perſonæ tales fingentur, ut hoc ipſum ſit affectandum. Qualis eſt apud Vergiliũ Corydon, apud Terentium Traſo.

AMATORIAE SYLVA.

Audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem. Ne uiam mi Attice, ſi mihi non modo Tuſculanũ, ubi certe ſum libenter, ſed μακάρων νῆσοι tanti ſunt, ut ſine te ſim totos dies. Cicero.

Nihil enim eſt (mihi crede) uirtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, ut ſcis M. Brutum propter eius ſummum ingenium, ſuauiſsimos mores, ſingularem probitatem atq; conſtantiam: tamen Idibus Martij tantum acceſsit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi iam pridem cumulatum etiam uidebatur. Quis erat qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebã, poſſe aliquid accedere? Tantum acceſsit, ut mihi nunc deniq; amare uidear, antea dilexiſſe.

Libro 6.epiſt. Nunquam ſum magis. Rurſum: Scri/
Plinius. bis de abſentia mea.

Angeli Politiani epiſt. libro 9. Cum ſuperioribus diebus.

DE DEMONSTRATIVI GE/ neris epiſtolis.

GEnus demonſtratiuum rarò quidem per ſe adhi/ betur, frequenter autem in alijs generibus inci/ dit: Exempli cauſa: ſi quem commendare nitimur, in perſonæ demõſtrandæ laude uerſari neceſſe eſt, quod idem accidit in conſolatione, petitione, exhortatio/ ne, admonitione. Præterea in criminatione, defenſio/ ne, inuectiua & conſimilibus generibus. Quod ſi cui ſuademus, ut in aliam urbem aut uillam commigret, demonſtratione eius loci faciem ante oculos poni= mus. Quoties autem per ſe adhibetur, totum eſt ad de

Deſcriptio perſonæ. lectationem accommodatũ. Quare ut in pictura, ita in demonſtratione conueniet adhibere ſermonis ua/ rietatem, uerborum apparatum, exornationum feſti/ uitatem, annominationes, membra, comparia, con/ traria, uerba poëtica. Si perſonã deſcribimus, ut re gis, reginæ, principis, alterius ue, ei cui ea ſit ignota, rhetorũ ſuper hac re notiſsimas præceptiones igno rare non oportebit. In epiſtola ſatis erit uultus, to- tiusq; corporis habitum, figuram, geſtum, motumq; tanquam pictura exprimere: deinde ad animi, fortu næq; commoda ueniemus. Quod ſatis luculenter à rhetoribus præceptum, neque cognitu difficile pru/ dens prætereo. Si locum quempiam deſcribimus, per

Loci de/ ſcriptio. inde

inde ac ſi hominem manu in eum duceremus: pri/ mùm tanquam procul intuēti uniuerſam loci faciem cogitationi ſubijciemus. Situm tanquam depingen/ tes,deſcribemus. Num in edito,an humili,an decliui: in plano, an monte:nemoroſo,an ſecus. Quo flumi/ ne,mari,aut lacu alluatur, an cingatur. Quantum paſſuum in longum, in latum, in ambitu contineat. Hic cōſideratis cœli plagis,quem proſpectum,quas urbes, quos agros,quos mōtes,quæ nemora in unā/ quamq; partem habeat. Quo ſole illuſtretur,quib. uentis trudatur,cui cœli portioni ſubiaceat,cuiuſmo di cœlum habeat,ſalubre,an peſtilens: amœnum,an ſecus,exponemus.

Deinde tanquā propius accedentes, ſingula accu ratius oſtendemus: & ut quicq; aduenientibus ſeſe conſueuit offerre,ita primum exponemus. Si uillam aut amplum ædificium demonſtrabimus,à primo in/ greſſu exordiemur,cuiuſmodi artium,quantum,qua figura,quo lapide,quot habeat cubicula, & in quā partem uergentia, quem in quamq; partem habeat proſpectum. Deinde aream, ueſtibulum,penetralia, conclauia,triclinia: breuiter totum ædificium luſtra bimus,ſitum cuiuſque rei ſine confuſione exprimen/ tes,ut is qui legit, eum locum uidere ſe oculis putet. Si flumen aut lacus erit,quàm amplum, quàm rapi dum,quo colore,unde naſcatur, unde augeatur,quà præterfluat,quò influat,diligenter exponemus:quos ſinus faciat,quas inſulas,quos agros,quæ nemora ir riget,quod piſcium genus,quæ piſcandi ac nauigio/

Vrbis & ædi ficij deſcri/ ptio.

Fluminis aut lacus deſcri/ ptio.

Agrorum deſcriptio.

Montis deſcriptio.

rum forma. Si ager erit, quid ferat, quãtum, quo ritu colatur, cuiuſmodi cultores, quod arborum genus, cuiuſmodi uinum proferat. Si mons, à radicibus uſq; ad cacumen omnia diligenter perluſtrabimus: & ſi quid habeat nouum, prodigioſum, aut alioqui memorabile: qualis eſt apud Pomponium Melam deſcriptio montis Atlantis, apud Plinium Aetnæ. Ad hoc pertinet amphitheatrorum, animantium, pomparum, tabularumq; deſcriptio. Vocabulorum idoneorum uim, ex eorum libris qui de ſitu orbis Latine ſcripſerunt, quiq; de architectura, facile comparabimus. Et incidit hoc genus perſæpe, quum peregrinantes ex itinere de nouis rebus tranſcribimus. Si quem locum inſignem, principem, nobilem, ſi quod animal inuſitatum uidimus, id his rationibus, ſumma cum legentis uoluptate deſcribemus. Loci deſcribendi exemplum erit, Tuſculanorũ, ac Laurentis apud Plinium, & regiæ Pſyches apud Apuleium, & aliâs deſcriptiones crebræ apud poëtas & hiſtoricos: ueluti domus Somni & Famæ apud Ouidium: Cleopatræ Cygno aduectæ apud Plutarchum: picturarum apud Philoſtratum. Si genus hominum deſcribimus, à corporum deſcriptione exordiemur, deinde ad ueſtium genus, ad animorum habitus ueniemus. Poſtremò uiuendi ritum omnem ante oculos ponemus. In hoc demũ genere, ſiue laudemus, ſiue uituperemus, hypotypoſim, effictionem, imaginem & exornationem, quam notationem appellat Cicero, & ſi quod aliud ſchema, quod ad energiam facit, ſcite exhibebimus.

mus. Itaq; de hoc genere hæc præcepiſſe ſat erit. Nã exemplis ſingula demonſtrare, perlongum ſit, et un decunq; magna uis exemplorum ſuppetit.

DE IVDICIALIS GENERIS EPISTO*lis, & primum de Criminatoria.*

SI quem accuſare uolumus, & cauſæ ſtatum & cõfirmationes, confutationesq́;, argumentandi ratiões, & quibus rem ueriſimilem, aut diſsimilem faciamus, et quibus exaggeremus, quibus extenuemus, ea omnia è rhetorum præceptis percepta habere cõuenit. Neque enim alio artificio ſcribitur epiſtola, quam oratio. Tamen quoniã in epiſtola breuitas eſſe debet, & ſingulos locos perſequi nõ licet, eã quæ potiſsimum ad rem ſpectãt, excerpemus, multa in ſuſpicione relinquemus. In criminatoria igitur epiſtola nonnunquã ab abrupto principio conueniet exordiri, quo ſtatim et noſtrum dolorem, et rei atrocitatem indicemus. Id erit, ſi uel à conqueſtione, aut dubitatione, uel ab exclamatione, aut alioqui figurata oratione initium capiemus. Quanquam idem apud Iudices fieri uetant rhetores. Deinde rem ueriſimiliter narrabimus, argumentationes, & amplificationes, eidem breuitatis cauſa admiſcentes. Mox probabilibus argumentis rem docebimus. Poſtremò epilogũ, aut aliquid epilogi loco ſubijciemus.

EXEMPLVM.

Pudet me, ita me deus amet, præfecte iuſtiſsime, de mei hoſpitis, tui cuius inſigni contumelia queri. Quid autem dixi contumeliam? Non occurrit uoca-

bulum, quo rem atrociſsimam ſatis dignè explicem: neq; ulla tragœdia nephario ſceleri par inueniri poterit. Quod ubi acceperis, quæ tua eſt æquitas, innocentiaq́;, & meæ cõditionis miſereſcet, et ciuis tui uehementer pudebit: ſi tamen eiuſmodi nebulones

Narratio. pro ciuibus tuis ſint habendi. E tempeſtate illa, omnium quas uel uidimus, uel audiuimus, ſæuiſsima, quæ pridie Idus Octob. ſexaginta onerarias naues, omni mercium genere refertiſsimas, in mari Adriatico oppreßit, Varus Saxonius inter multa hominũ milia, quæ naufragio periere, ſolus, aut certe cum perpaucis emerſit, homo omniũ quos terra ſuſtinet impijſsimus. Credo uel in meam perniciem à Neptuno mihi irato ſeruatum: uel certe quod maris elementum, peſtem talem ſub Tartara potius præcipitandã exhorruerit. Excepi hominem nudum, egentẽ, ſqualidum, confectũ, ſeminecem. Cur, inquies, tale portentum in domum tuam uocabas? Irato genio, dijs iratis, mẽte læua. Fateor, neq; enim poſtulo ut hanc appelles humanitatem & miſericordiã, attamen ut hominẽ excepi, mouebat me hominis miſeranda cõditio, et eo magis, quòd ipſe eiuſmodi calamitatis rudis non eſſem. Perpulit multorum commendatio: hortabatur patria, quam tametſi mea nõ eſt, tamen non ſecus ac

Veriſimile fecit. meam ſemper ſum amplexus. Vincebar fucatiſsimi nebulonis, mira quadam, ſed falſiſsima ſpecie probitatis, oratione, lachrymis, ipſa deniq; canicie. Hæc uel quemuis aſtutum hominẽ fallere poterant. Nunc quid ego commemorem, quæ mea fuerit in illum co

mitas,

mitas,liberalitas,hoſpitalitas?In intimam familiari/
tatem admiſi demēs. Omnes fortunas cōmunes feci:
familiam,& rem domeſticam eius manibus concre
didi. Ita duos ferme menſes apud me eſt humaniſſi/
me habitus.Hic ego dictum illud nimium uerum eſſe
ſum expertus: Non minus eſſe periculū malis bene
facere,quàm bonis male. Nam ille bonus uir,repēte
ex hoſpite prædo,ex ſene factus eſt ſtuprator: Cum
famula domeſtica clàm rem habuit,ac grauidā mihi
reliquit.Indignum facinus clamabis,ſcio.Sed mane,
nondum tragœdiæ audiſti argumentum.Nam hacte
nus comœdia uideri poteſt. Quum iam fœdiſſimam
fugam conſtituiſſet,ſacratiſſima ea nocte,quæ Chri
ſto eſt natalis (uide,ut ſcite ſceleris artifex tempus
delegerit)quum iam uxor cum reliqua familia,eccle
ſiaſticis uigilijs operam daret,me præter morem,et
illo inſperante, domi relicto, eo quòd ſubito dolore
correptus eſſem,iam intempeſta nocte, in proximo
filiæ cubiculo ſtrepitum audio, neſcio quem: deinde
ſtridorem,tanquam ferro effringentis. Miror quid
ſit, puerum excitum iubeo uiſere:offendit hominem.
Mentitur ſe ab uxore miſſum,ut preculas, quas filia
reliquerat,adferat. Paulo pòſt clariori etiam ſtrepi
tu exit.Poſt horam ferè uxor anhela domum accur/
rit. Percontor quid nouæ rei ſit:ait filiam inter fre/
quentem turbam è ſuo comitatu dilapſam nuſquam
apparere. Oboritur utriq; certa ſuſpicio:mihi qui/
dem è ſtrepitu,uxori uerò multo amplius,quòd cùm
aliquoties antea furtim cum ea confabulantē compe

riſſet,tum ea nocte,neſcio quid conſuſurrationis ani maduerterat. Mihi quoq; tot res coniecturam face/ re poterant,niſi talpa cæcior fuiſſem. Pallebat mihi canus amator,macies uultum obduxerat. At ego il/ lum aqua maris,non igni ſenili pallere putabam. Cu biculum ingreſsi, ſcrinium effractum offendimus,ar ma relicta,ſublatum & ueſtium et pecuniæ, et annu lorum, ut quicq; occurrerat furto fugæq; cõmodiſsi mum. Quid facerẽ,& ſpoliatus hoſpes,& pluſquã orbus pater? & nox & hyems,& ſolitudo urbis,de niq; & ipſa diei religio prædoni fauebat. Hic animi mei curas facilius fuerit tibi æſtimare,quã mihi nar/ rare. Ciues aliquot ægrè contraho, exilio, percon/ tor, ueſtigo,audio unà cum puella conſpectum, uia quam obliquam uulgo nominant,ſuffarcinatum,& admodum properantẽ. Intelligo infelix. Itum eſt ad portum,quò ea ducit uia, nihil inuenio præter ſcal mum ulteriori in ripa,in citeriori zonam,quæ tumul tuanti filiæ exciderat. Sedeo exanimatus,orta luce, quæ mihi triſtiſsima longe omniumq; funeſtiſsima il- luxit. Vbi res in uulgum emanauit, paſsim querelæ feruent. Ab alijs mutuum acceperat,alijs impoſue/ rat: alius ex illius conuictu aliquid deſiderabat, ne/ mini non aliquid adſuerat mali. Sed quid me conſole tur? communis cum multis iniuria. Audio,ſed heu ſe rò audio,huiuſmodi flagitia apud illum noua non eſ/ ſe. His artibus ita à puero fuiſſe exercitatum,his ru dimentis cœpiſſe,ut ſeipſum ne ſenex quidẽ unquam uincere potuerit. Nulla unquã honeſta Venere de-

lectatum,ne à cognatis quidem ſolitum abſtinere. Ni*hil unquam ſacrũ illi fuiſſe, hominem ſemper fuiſſe alieni appetẽtiſsimum, ſuorum profuſorem, ſimulandi ac diſsimulandi mirum artificem.* Quid enim ego *hic optime uir, uel meam calamitatem, uel illius ſcelus uerbis exaggerem?* Rem uides, *qua quid unquã auditum eſt atrocius?* Hoſpitium polluit, fidem perfidè uiolauit, pro ſummis beneficijs ſummum maleficium reddidit, familiam perdidit, uernaculã per nephas illectam cõſtuprauit: ſcrinia compilauit, filiam puellam et unicam rapuit, me nudum, orbum, ſenem reliquit, à quo fuerat nudus, egensq; receptus.* Quid *illi poſthac ſceleratum uideri poterit, quem neque hoſpitij religio, neque tanta in ipſum mea benignitas, neque legum metus, neq; numinis ullius reuerentia, neque ætatis pudor, aut canities, neq; tam ſacræ noctis pietas à tam nephario flagitio potuit dehortari?* Quod *portentum ſi quando in manus tuas inciderit, non orandus es, ut meo nomine pœnas tua ſeueritas ſumat, ſed ut optimã patriam teterrima peſte liberet, quam funditus extingui, & deorum interſit & hominum.* Vale.

Epilogus.

Quum hæc recognoſcerem, optime lector, manifeſtò deprehendi me, quum illa ſcriberem, quo libro utcunq; abſoluto, ſatisfacerem amico parum amico, quicquid ueniebat in buccã, chartis illeuiſſe. Alioqui *nihil erat negocij aliud argumẽtum excogitari, epiſtolis accõmodatius.* Dicet *aliquis quid epiſtolæ cũ tribunalibus?* Imò *frequẽter et hoc genus incidit, ue*

luti quum noſtram, aut amici famam purgamus, & tuemur aducrſus obtrectatorum calumnias, nonnunquã recriminantes eos, qui crimẽ impingunt. Nónne D. Hieronymus, quum à ſe depellit intentatã ſtupri cum Paula ſuſpicionem, totus uerſatur in conie/cturalibus argumentis, & locum cõmunem tractat à quæſtionibus? Sed quoniam nullo genere diligentius præceptum eſt ab artis ſcriptoribus, et hoc non admodum accõmodum eſt pueris exercendis, quibus hoc quicquid eſt operis potiſsimum paratur, perge/mus ad alia, quæ magis congruunt huic inſtituto.

DE EXPOSTVLATORIA epiſtola.

EXpoſtulatio inter amicos perſæpe fieri ſolet, quoties officium eorum requirimus. Ea ne quid amicitiam exaſperet, mitigãda eſt uel laude, uel ioco, uel diſsimulatione: niſi talis erit cui ſcribimus, ut apud illum nihil non liceat. Ipſam quidem rem damnabimus, ſed uoluntatem quantum licebit, excuſabimus. Mirari nos dicemus, quid in cauſa fuerit, quiduis ſuſpicari malle, quàm illum ab officio ceſſaſſe.

EXEMPLVM.

Centenas iam ad te literas dedi, tu ne unas quidem reddidiſti: quid coniectem? quid diuinem? Viuere te, an ſepultum eſſe? Sed uiuere, atq; etiã ualere, nuper mihi gener tuus nunciauit. Quónam uetus ille tuus in me animus euanuit? Itáne potuit ob diuturnam abſentiã Gulielmo Lucius excidere? Potuit'ne illa tam uehemens flamma langueſcere? Potuit extingui tan/

tantum amoris incendium? Et quò noſtri tibi cura re ceſsit? Ego, mirum eſt dictu, quanto tui deſiderio ma cerer: & tu fortaßis noſtri ſecurus, nouis amoribus te oblectas. Ne mihi ueteres illas excuſationes protu leris: non fuit ocium, non erat tabellarij copia. Quæ nam iſta tam importuna negotia, ut nec ſemihoram amico operam dare nõ ſinãt? Atqui hoc ſaltem ſcri be: deſtineor occupatione, non licet ſcribere. Vale. An me planè uacuum credis? Quot noctes iucundis ſuſurris conſumpſimus, & nunc tantulum ſomni de fraudare, dum unum aut alterum uerſiculũ amico ſcribas, piget? An uerò tot iam menſibus nemo un/ quam oblatus eſt, cui literas committeres, præſertim familiares? Nemo cui aliquid mandares, per quẽ me ſaluere iuberes? Omnes iſtuc abeunt, iſtinc nemo e/ mergit? Sed audio te nuper noua dignitate auctum: fortaßis ſuperbior nobis es factus, poſtquam eſſe cœ piſti pecunioſior. Quod ſi cõmodo tuo fit, modeſtius ſilentium feram tuum: ſin uel obliuione noſtri, uel ali quo incommodo detentus taces, grauiter, ut par eſt, patiar. At ego quiduis ſuſpicari malo, quàm te offi/ cio tuo functum non eſſe. Vtcunq; tamen res eſt, fac me hoc ſcrupulo quàm primũ leues. Nolim te hac in re cauſam habere nimium bonam. Malo iure que/ ſtus de te uideri, quàm tibi ualetudinem aduerſam ſi lentij cauſam fuiſſe.

ALIVD EXEMPLVM.

Hem iſti mandes, ſi quid recte curatũ uelis. Te'ne ita dormitaſſe in rebus amici tam ſerijs? Sed ego tibi

 non

non ſuccenſeo, mihi ſuccenſeo, qui tibi mea curanda mandarim, non ignarus, quàm in tuis ipſius negotijs ſoleas eſſe indiligens.

ALIVD EXEMPLVM.

Librum relegens, quum tot mendas offenderem, easq; non cõtemnendas, mi Scriboni, non potui non deſiderare in te fidẽ illam, & uetere noſtra neceßitudine, & tuis pollicitis, & mea de te fiducia dignã. Magnifice receperas, & ego maius quiddam expectabam, quàm tu pollicebaris. Vt id ſperarem, fecit iſta tua modeſtia, tuiq; mores, ab omni fuco leuitateq; uiſi ſemper alienißimi. Qur hic tui dißimilis fueris, magnopere demiror: niſi quod res ipſa clamitat, non uulgariter abs te ceſſatum eſſe. Neque enim potes in alium reijcere culpam, quum in hoc præfectus ſis edendo operi, ne liceret alijs operis deprauare librum. Atqui nulla in re magis erat præſtandum officium amico. Si nullo ſalario, aut iniquo prouinciam ſuſcepiſſes, tamen amici cauſa par erat aduigilare, cuius famæ periculo eras ceſſaturus. Si parum apud te ponderis habebat amicitiæ noſtræ ratio, tamen hoc officij ſtudioſis omnibus largiri conueniebat, quorum utilitati parabitur opus. Nunc quum larga etiam mercede typographus penſet operam tuam: quum ſcires hoc amici non uulgaris ſummopere referre: quum non ignorares eſſe boni uiri, uel gratis de bonis literis, atq; harũ cultoribus bene mereri, nõ poſſum ſatis admirari, quod in re tanta, tantopere ſit dormitatum. Qui literas tractat, rem tra-

ctat

ctat non modò publicam,uerum etiam ſacram. Non poteſt eſſe leue cõmiſſum, quo læduntur tam multi: & quod alijs in rebus incuriæ nomine dãnatur, hic impietas eſt. Iniquum eſt non eius ſatisfacere animo, à quo mercedẽ plus quàm æquam accipis. Inhumanum, negligere famam amici: infidum, non præſtare quod promiſeris: impium, oſcitanter agere in negotio muſarum. Vide igitur mi Scriboni, quot modis abs te peccatum eſt. Sed hæc nobis ſera eſt querela, tantum obteſtor, per omnia quæ tibi ſancta ſunt, ut quod hic admiſſum eſt incogitantia, in cæteris cura diligentiaq; penſetur.

EXPOSTVLATORIAE SYLVA.

EPiſtola famil. lib. 5. Si uales, bene eſt.

Lib. 5. epiſt. Præpoſteros habes tabellarios.

Sed abs teipſo, qui me accuſas, unas ſcito mihi literas redditas eſſe, cùm & otij ad ſcribendum plus, & facultatem dandi maiorem habueris.

Tu uelim ad nos ſæpe ſcribas. Si rem nullam habebis, quod in buccam uenerit ſcribito.

Tu mihi, etiã ſi nihil erit quod ſcribas (quod fore ita uideo) tamen idipſum ſcribas uelim, te nihil habuiſſe quod ſcriberes, dummodo ne his uerbis..

Verberaui te cogitationis tacito duntaxat conuitio. Quòd faſciculus alter ad me iam ſine tuis literis perlatus eſt, nõ potes effugere huius culpæ pœnam te patrono. Marcus eſt adhibẽdus: isq; diu & multis lucubrationibus cõmentata oratione, uide ut probare poßit, te non peccaſſe.

Non poſſum te negligentiæ non accuſare, qui tanta de re, tam breuiter, tam indiligenter ſcripſeris.

Aut deſidioſus, aut uehementer diſtentus ſis neceſſe eſt, qui in tam copioſo argumento epiſtolæ tuæ breuis ſis.

Brutianum Laconiſmum mihi tibi propoſuiſſe uideris, qui epiſtolam uix tribus uerſibus ſcripſeris.

Vix adduci poſſum, quod mihi de te ab autoribus alioquin minime uanis adfertur. Eſt enim & à mea de te exiſtimatione, & à tuis moribus priſtinis longe alienum.

Plinius. *Is ne ut nos tanta impenſa derideat?*

Lib.1.epiſt.Olim nullas mihi epiſtolas:tota.

Lib.2.epiſt.Iraſcor:tota.

Lib.1.Expoſtulationis iocoſæ exemplum: tota epiſtola, cuius initium:Heus tu promittis.

Politianus. *Lib.2.epiſt.Ex literis, & ſermone multorum.*

Eodem lib.epiſtola:Dederam commodum.

EXPOSTVLATIO MEA.

ANtonius tibi diem dicit, & ſponſorem appellat. Non enim præſtas, quod receperas, te frequenter ad ſe ſcripturum.

Ego uerò tibi uehementer etiam iraſcerer, qui toties tam accurate monitus à nobis, nõ auſcultaris, niſi parum eſſet humanum, iraſci calamitoſo.

Arcanum quod nuper tibi cõmiſi, utpote ei quem nihil unquam celare ſolebã, id audio iam prolatum in lucem, quotidie ad plures ſerpere. Te rumoris huius autorem eſſe neceſſe eſt, quando ipſe mihi ſum

conſcius,nemini illud præter te unum mortaliũ communicaſſe. Quod ſi falſo eſt mihi obnunciatum, eſt quod uehementer gaudeam: malim enim in illis uanitatem accuſare, quàm in te amici fidem deſiderare: ſin uere, haud te dignum feciſti. Quid enim tam perfidum, quàm amicorum arcana prodere? Res eſt nõ tam expoſtulatione, quàm acri reprehenſione digna. Sed nondũ de tua fide diffido. Tu fac hoc ſcrupulo me quàm primum leues.

Charior mihi es, quàm ut tibi poßim iraſci. Sed tamen uehementer & miror, & doleo, quod contempto meo conſilio, & fideli & ſalutari, in tantam turbam te ipſum conieceris.

Tantus in te meus amor, ut nulla exhauriri poßit iniuria, ſed tamen non commoueri non poſſum.

Abſolui non potes, ne Cicerone quidem patrono, in culpa tam manifeſta. Vbi nam ſunt tui faſciculi literarum, ubi ſarcinæ ingentes, quas tu mihi abeunti promiſeras, homo hominũ qui uiuunt uanißime? at nunc iſtinc adfertur nihil.

Hæc ad te ſcripſi liberius, fretus cõſcientia officij mei, beneuolentiaq́; quam à me certo iudicio ſuſceptam, quoad tu uoles, conſeruabo. Mitigatio expoſtulationis.

DE PVRGATIONE.

Expoſtulationem purgatione diluimus, ita ut nos ea expoſtulatione non modo nihil offenſos, uerũ etiam uehementer delectatos oſtendamus. Deinde ſuſpicionem obiectam grauiter abominabimur. Poſtremò rationes quàm maxime probabiles, quibus

eam

eam purgemus, proferendæ ſunt. Quanquam huic generi mire uario, uix ulla certa ratio præſcribi poteſt. Ex re, *ex tempore, ex perſonis conſilium ſumamus oportet.*

EXEMPLVM.

Non tam moleſtum fuit, me abs te immerentem accuſari, quàm iucundũ, officium meum requiri. Eſt enim immodici amoris argumentum, temere de amico ſuſpicari. Quanquam tu meum tam diuturnum ſilentium, non ſine cauſa miraris. Hic *enim menſis eſt propè decimus, ex quo nihil ad te literarũ dedi.* Sed *dij prohibeãt quæ tu ſcribis, ut* Lucius Gulielmi *obliuiſci unquam poßit.* Vnquam'*ne* Gulielmi *poßit* Lucius *non meminiſſe?* Egó *ne nouis me oblectem amoribus?* Egó *ne ſucceßibus rerum elatus, te minoris faciam? Quaſi uerò ulla mihi fortuna ſine te dulcis aut fuerit unquam, aut eſſe poßit.* Caue *uerò credas, ulla negotia tanti apud me eſſe, quæ non facile poſthabeam, ſi quando ad te ſcribendũ erit.* Cur *igitur, inquies, nihil adfertur ſcriptorum?* Audies. Scripſeram *bis, primum per* Stilbontem *affinẽ tuum* Idibus Maijs: *deinde per ſocerum meum* Petronium Calend. Iulij. Priores *quidem tibi non eſſe redditas ſcio.* Ait *enim reuerſus* Stilbon, *ſibi eas in itinere excidiſſe, ideoq; ueritum te conuenire.* Socer *quum iſtuc iter inſtituiſſet, conſiliũ in profectione mutauit.* Poſt *hos nemo mihi contigit, cui recte committerem.* Ne *tuas quidem omnes accepi.* Cæterum *hoc tibi etiam atq; etiam perſuadeas uelim, neminem uiuere aut lui aman-*

amatiorem, aut æquè memorem, ſiue ſcripſero, ſiue non ſcripſero. Vale.

Hoc in genere, quoniam frequenter incidit inter amicos, uarijs thematis exerceri conueniet. Expoſtulatur enim cum amicis, quòd in officio ſcribēdi ceſſauerint, quòd mandata non peregerint, aut ſerius, ſecús ue peregerint, quàm oportuit. Quòd per incogitantiam aliquid effutiuerint, quod præſtiterat tacuiſſe. Quòd parcius aut negligentius ſcripſerint, aut acerbius: quòd in re ſeria non conſuluerint amicum, quem non oportebat quicquam ignorare. Quòd de amico amici parum magnifice ſenſiſſe uiſi ſint, qui quum egerent ope, diſſimularint. Hoc genus minimum abeſt à monitione, quæ obiurgationem habet. Huic finitimū eſt illud, quoties querimur apud alios de quopiam.

PVRGATORIA EX SYLVA.

SI eſſet in his fides, in quibus eſſe debebat, non laboraremus. Cic. epiſt. fam.

Lib. 3. epiſt. Etſi quantum ex literis.

Quòd ſi rarius fiet, quàm tu expectabis, id erit cauſæ, quòd non eius generis meæ literæ ſunt, ut eas audeam temere cōmittere. Quoties mihi certorum hominum poteſtas erit, quibus recte dem, non prætermittam.

Sed tamen ſignificatur in tuis literis, ſuſpicio quædā & dubitatio tua, de qua alienum tempus eſt mihi tecum expoſtulandi, purgandi autem mei neceſſarium.

Que-

Quererer tecū,atq; expoſtularem,niſi(ut ſuprà ſcripſi)purgarem me tibi hoc tuo tempore, quàm ac cuſare te mallem,idq; putarem eſſe rectius. Itaq; *ni hil de te, quod credideris de me,quamobrem non de bueris credere,pauca dicam.*

Non *obliuione amicitiæ noſtræ, neq; intermiſſio/ ne cõſuetudinis meæ,ſuperioribus temporibus ad te nullas literas miſi,ſed quod priora tempora in ruinis* Reip.*noſtriſq; iacuerũt: poſteriora autem me à ſcri bendo tuis iniuſtiſſimis,atq; acerbiſſimis incommo/ dis retardarunt.*

Peto à te,ne me putes obliuione tui rarius ad te ſcribere,quàm ſolebã:ſed aut grauitate ualetudinis, qua tamen iam paululum uideor leuari,aut quod ab ſim ab urbe.

Habes *epiſtolam uerboſiorem fortaſſe, quàm uel les:quòd tibi ita uideri putabo,niſi mihi longiorem remiſeris.*Ego,*ſi quæ uolo expediero, breui tempo re te,ut ſpero,uidebo.*

Quapropter eo animo ſumus inter nos, quo ſem per fuimus. Quod de te ſperare, de me præſtare poſſum.

Lib.2.*epiſt.Quanquam me nomine.*

Lib.5.*epiſt.Si tu exercituſq; ualetis.Tota.*

Lib.12.*epiſt.Ita'ne præter litigatores.*

Lib.13.*epiſt.Quam antea capiebam.*

Sed eſt quod abs te mihi ignoſci peruelim.

Cic.ad Attic. *Abs te peto,ut mihi hoc ignoſcas,et me exiſtimes humanitate eſſe prohibitũ,ne cõtra amici ſummam*

exiſti/

exiſtimationem miſerrimo eius tẽpore uenirẽ: cùm is omnia ſua ſtudia et officia in me cõtuliſſet. Quòd ſi uoles in me eſſe durior, ambitionem mihi putabis obſtitiſſe. Ego autem arbitror, etiam ſi id ſit, mihi ignoſcendum eſſe. θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμή.

Non committam poſthac, ut me accuſare de epiſtolarum negligentia poßis.

Tu modo uideto in tanto ocio, ut par in hoc mihi ſis.

Nimium uerò nobis abs te lĩteræ afferuntur, cùm & multo tu facilius reperias, qui Romã proficiſcantur, quàm ego qui Athenas: et certius tibi ſit me eſſe Romæ, quàm mihi te Athenis. Itaq; propter hãc dubitationem meam, breuior hæc ipſa epiſtola eſt.

Ideo ſum breuior, quod ut ſpero, coràm breui cõferre, quæ uolumus, licebit.

Si forte rarius tibi à me, quàm à cæteris literæ redduntur, peto à te, ut id nõ modo nõ negligẽtiæ meæ, ſed ne occupationi quidem tribuas, quæ etſi ſumma eſt, tamen nulla eſſe poteſt tanta, ut interrumpat iter amoris noſtri, & officij mei. Excuſatio rarioris ac breuioris epiſtolæ.

Quare uoluntatis meæ me nunquam pœnitebit, conſilij pœnitet.

Ex lib. ad Brutum, Tota: Clodius trib. pleb.

Meæ obiurgationes fuerũt amoris pleniſsimæ, ſed uereor ne hoc quod infectum eſt, ſerpat longius.

De literarum miſsione ſine cauſa abs te accuſor. Plinius.

Longius me prouexit dulcedo quædam tecum loquẽdi, ſed iam finem faciam, ne modum, quem etiam Excuſatio prolixioris epiſt.

orationi adhibendum puto, in epiſtola excedam.

Lib.9. epiſt. Facis iucundè. Tota.

Habes epiſtolam, ſi modũ epiſtolæ cogites, libris, quos legiſti, non minorẽ. Sed imputabis tibi, qui contentus libris non fuiſti.

Lib.1. epiſt. Quod ad te iam diu.

Lib.3. epiſt. Salue Politiane mi.

Lib.3. epiſt. Vtinam quas circa medium.

Lib.4. epiſt. Neq; deſidiæ meæ.

Lib.5. epiſt. Quanto tu erga. Eodem, epiſt. Non tu noua.

Eodem, epiſt. Herculem me uocas.

Lib.7. Non cauſam dico.

Lib.11. epiſt. Gratæ mihi omnino.

Lib.12. Offendit ut uideo.

PVRGATIO MEA.

Scio te, quæ facis, optimo animo facere. Quid enim mihi exploratius eſſe poteſt, quàm animus tuus erga me? Sed tamen, ut ingenue dicam quod ſentio, uideris mihi quædam facere, non auſim dicere inconſultius, uirorum prudentiſſimus, non dicam inimicè, uir ſynceriſſimæ fidei, ſed tamen parum circunſpectè. Non dubito quin iſta facias amico animo, ſed tamen mihi gratulor, inimicis meis non eſſe tantum ingenij ad lædendum.

Ais te feciſſe amico animo, ſed mea quid refert, utrum me amice iugules, an inimice?

Libet ex uniuerſo hominum contubernio in extremas fugere ſolitudines, quoties iſtorum linguaciſſimo/

ciſſimorum hominum mores in mentem ueniunt, qui ad hoc unum ſe natos arbitrantur, ut alienam innocentiam, ſua putida mendaciq́ue lingua contaminent.

Quod ſi toties ſim tibi literis purgandus, quoties illi falſo inſimulabunt, & ego ſcribendo, & tu legendo defatigaberis.

Quid ego iſtis maledicētiſſimis nebulonibus, qui noſtræ beneuolentiæ inuident, ac ſemper aliqua comminiſcuntur, quo eam uel extinguāt, uel diminuant, imprecer, niſi ut penitus obmuteſcant?

Quod mandata tua ita ut tu iuſſeras, & ego receperam, nondum peregi, facultas mihi hactenus defuit, non uoluntas.

Literis conſequi nequeā, quàm uehementer meis negocijs, uel potius fatis indigner, quorū culpa nondum neque meo ſtudio, neque tuis uotis, licuit ſatisfacere.

Et ipſe mallem, et tu promeritus es, ut officio potius quàm purgatione apud te uterer, niſi utriq; noſtrum fortuna mea inuideret.

In hoc tibi Iouem lapidem iurare non dubitem, me inſciente hæc facta omnia.

Tibi quidem fama publica refragatur, uerū ego uel ſacramento contendebam, abs te rem tam illepidam profectam non eſſe.

Sancte tibi deiero, uel iuranti crede.

Crudelitas enim error eſt magis, quàm culpa, et quidem in optimi cuiuſq; mentem facillime irrepit.

AD PVRGATIONEM RESPONSIO.

Politianus lib.2.epiſt. Etſi literarum tuarum. Lib 12.epiſt. Literas accepi tuas. Eodem, epiſtola: Tu uerò.

Tantùm mihi dolorem cruciatumq́; attulerũt errata ætatis meæ, ut non ſolum animus à factis, ſed aures quoq; à commemoratione abhorreant.

Etſi iuſta & idonea uſus es excuſatione intermißionis literarum tuarum, tamen id ne ſæpius facias rogo.

Quare quum in primis tuas deſiderẽ literas, noli committere ut excuſatione potius expleas officium ſcribendi, quàm aßiduitatę literarum.

AD PVRGATIONEM RESPONſio mea.

Antea tibi nonnihil iraſcebar, nunc ſum uehementer iratus, nec iniuria. Hæc tua tam diligens purgatio effecit, ut uidearis aut parum noſſe meum ingenium, aut certe de amiciſsimo homine, nõ amiciſſimè ſentire.

Offenſum me ſuſpicaris, quod de uocula neſcio qua in meis ſcriptis fueris cauillatus.

Egóne tam ferox ſim, ut id ab amico moleſte feram, quod ſi faciat æmulorum quiſpiam, nõ iniuria, ſed officio me affectum putem.

Tu uerò uel omnia mea ſcripta, me amico reprehendas licebit.

Cæteri quos purgas, debent mihi probati eſſe, ſi tibi ſunt.

Nihil

Nihil eſt quod uerearis:ego enim ne pilo quidem minus te amabo. Hæc de re,ut ſoles,ſcribe fraternè.

Ad hoc genus pertinent omnes illæ mitigationes, quibus excludimus ſuſpicionem uel arrogantiæ, uel odij,uel ſæuitiæ, uel cuiuſcunque rei, quæ uidebatur offenſura.

Quum præpoſtero ordine reſpondemus,conue-niet illud ὕϛερον πρότερον ὁμηρικῶς,quo uſus eſt Cice ro ad Atticum.

Sed quid ego? penè oblitus eram me epiſtolam ſcribere.

Quo rapior?penè exciderat, cui uiro ſcriberem.

DE EXPROBRATIONE.

VT cum amicis expoſtulamus, ita inimicis & ingratis exprobramus. Quare illam mitigari debe re,docuimus:hanc exaggerandã monemus. Et quo-niam omnis exprobratio ab humanitate uidetur re-cedere,coactos nos id facere dicemus,uel ob nulli to lerandã illius ingratitudinẽ,uel ob inſignẽ ſtoliditatem hominis:uel quod nos maledictis quotidianis ad id cõpulerit: uel quod cum impudentiſſimis hominibus impudentius ſit agendum, & malo nodo malus quærendus cuneus: & id ab optimis uiris ſæpe factitatũ admonebimus. Et reliqua quæ ad hãc ſententiã faciũt, proferemus: aut certe per diſſimulationẽ ad exprobrationẽ ueniemus. Conſcientiã ipſius ſubinde teſtabimur. Rẽ ipſam artificioſa narratiõe ante oculos ponemus: in qua perpetuo & noſtrã in illũ beneficẽtiã et illius in nos ingratitudinẽ amplificabimus.

EXEMPLVM.

Non tandem pudebit te tui, ſenex omnium qui uiuunt, ingratiſſime? Cupiebam, ita me deus amet, & meorum in te meritorum obliuiſci, & tuam ingratitudinem ſilētio diſſimulare, ſi quo modo patereris. Sed uincit meam modeſtiam tua improbitas. Audes hominis monſtrum, tantā meam in te beneficentiam expertus, ultro etiam te iactare impudens, tanquam aliquid de nobis ſis promeritus? Audes me ultrò ingratum uocare, quum tu pro ſummis officijs, quantum potuiſti maleficiorum repoſueris? Hic ego tuam ipſius conſcientiam appello tuam inquam illam conſcientiam, quam tu tot ſceleribus pollutam intra te geſtare cogeris, eandem ingratitudinis tuæ, & teſtem & carnificē. Dic mihi ſceleſtiſſime ſenex, nunquámne tibi ſuccurrit, quàm ſupplex apud me ambieris, ut uel aliqua ex parte apud me hæreres, ut ali quid tibi mearum literarum impartirem? Peream, ni meipſum tui pudet, quoties oris tui ſpeciem illā arte ſceleratiſſima cōpoſitā, cogitationis oculis intueor. Te hominem canū, rugoſum, tantū blanditiarum, la chrymas etiā effudiſſe? Me quidē referre pudet. At quorſum attinet narrare memori? Narret tibi cōſcientia, quæ feceris, quæ dixeris, quæ promiſeris, quæ iuraueris. Vltro benignus obtuli, quod homo alioqui impudentiſſimus, ne petere quidē audebas. Scis poſt ipſe, quā fraterno ſum te animo cōplexus, quantum laborum, uigilarūq; tua cauſa ſuſceperim. Ego meis poſthabitis rebus aſinū ad lyrā duxi. In eo docē

Repetitio.

do(ſi dijs placet)tantum menſium triui demens. Dic mihi omnium, quos ſol uidet,ingratißime, quis iſtos mores uel unum diem pati poſſet? Quis iſtud os,uel quantauis mercede uidere ſuſtinuiſſet? Iam nunc animo meo ingens oboritur nauſea,& tibi oboriretur, ſi faciē iſtā monſtroſißimā meis oculis uidere poſſes. Sedebas puer pulchellus, bos ad palæſtram exercendus,& me præceptorem oculis illis refugis, ac feri nis,per hirta, canaq; ſupercilia intuebare,defluente interim in caneſcentem barbam ſaliua. Adde intractabile,ſpinoſumq; ingenium, caput plus quàm marmoreum,ſenſum ſtupidum. Ego iſta,quæ ne ipſe quidem interdum ferre poteras, ſcis quàm patiēter tulerim,deuorarim,decoxerim. Quid à me præteritum eſt,quo tarditatem tuam uincerem? Audes inficiari homo frontis perfrictæ? Teſtabuntur laborum meorum apud te monumenta. Non rubore perfunderis, quoties librū à me multis ſudoribus euigilatum intueris? Non exhorreſcis,nō teipſum refugis,ſi quando ad te redis,id eſt, ſi quando ab iſta phreneſi paululum reſipiſcis? Tu hominem ſic de te meritum nō amare,non uenerari potes? Tu putida iſta lingua inſectaris, cuius tu linguam tam officioſam es expertus? Quid ego hic te tibi oſtendam? Scis quod uirus, quam fœditatem ex iſta contaminatißimi pectoris tui cloaca euomueris. Quum omnis ingratitudo ſit execrabilis,nulla tamē deteſtabilior,quàm in præceptorem. Qui ſi parum officioſus fuiſſem,tamē tuum erat,ut parentis,ita præceptoris uitia uel tegere,uel

commode interpretari. Nunc talē ipſe fuiſſe fateris, ut nunquā ſis parē habiturus: et pro officijs ea repo nis ingratiſsime, quæ hoſtis non faceret hoſti. Philip pus rex Macedonū, duci cuidā, qui poſſeßionē eius, à quo naufragus erat humaniſsime exceptus, à re ge flagitatā acceperat, frontē ferro candēti hoc elo gio inſignijt, Hoſpes ingratus. An non tu dignior es, cuius frōti cauterio titulus hic inuratur, Diſcipulus ingratus? Sanctius eſt præceptoris nomen, quàm ho ſpitis. Et ſceleratius inceſſere famam, quàm eripere prædium. Promittis ſatisfactionē, ſi redeā: minitaris atrociora, ſi nō redeā. Quid inſanius? Nūc tibi præ dicor omnium eruditiſsimus, rurſus eodem ore prædi cor omnium qui uiuūt indoctiſsimus. Quid delirius? hæc an non palàm arguunt inſignem animi tui per uerſitatem, qui ſciens, dataq; opera peſsime facias il li, qui tibi fecit optime? Et audes iſtis cū factis ſolem intueri? Audes in hominum uenire cœtus? Audes in templis ad aras ſacras iſtas manus, iſtos oculos oſten dere? Audes iſta uipera lingua, quā in hominē bene ficentiſsimū toties uibraſti, precari ſuperos ingrati tudinis ultores? Nū tu ſuperos, aut inferos ullos eſſe credis? Sed ego exprobrandi finem faciam, quum tu laceſſendi finem facias nullum. Vale ut mereris.

EXPROBRATORIAE SYLVA.

HVius generis exemplum erit illa Cicer. Ad Octa uium, cuius initium eſt: Si per tuas legiones, &c. Et illa Hieronymi ad Iulianū. Apud Ouidium item Medeæ epiſtola ad Iaſonem.

Epiſt.famil.lib.5.Etſi ſtatueram.

EXPROBRATIO MEA.

Qvando aliam pro meis in te officijs abs te gratiam expectabam, indignor non tibi, qui es omnium ingratiſsimus, ſed mihi ipſi, qui hominem ingratum, & improbum deuinxerim.

Ego *ea quæ ne ſperare quidē unquam es auſus, in te contuli.*

Ego *te nihil promeritum officijs cumulaui, tu me ſic meritum contumelijs oneras.*

Deſperatis etiam Hippocrates *uetat adhibere medicinam.*

DE EPISTOLA INVECTIVA.

INuectiuarum ſcribendarum artificiū, partim ex demonſtratiuo genere ſumitur, partim à iudiciali. Nam in hominis uituperio uerſari neceſſe eſt, in quo notationibus frequētibus utimur. Præterea & obiecta diluimus, et fortiter regerimus crimina: quod ad iudiciale genus pertinet. Ea à rhetoribus didiciſſe debemus. Nos *ſolū hic admonendū putauimus, ut in ipſo ſtatim inuectiuæ exordio, non tolerandam ſtoliditatem, ſuperbiam, importunitatem, maledicentiam aduerſarij demonſtremus.* Nos *præter ingenium ac morem noſtrū, coactos id facere dicemus.* Nos *illū non imitaturos, ut confictis criminibus agamus, ſed à conuicijs temperantes obiecta tantū diluamus.* De*inde ex hominis deſcriptione uerisimile efficiemus, eum uel odio, uel innata maledicēdi libidine, ea commentum eſſe.* Vnum *ex obiectis, quod quàm rectiſſimè*

mè dilui poſsit, proponemus. Id ubi diligenter refelle rimus, cum recriminatione dicemus, hominis impu dentiã, uanitatẽ, ex eo uno ſpectari oportere. Tum ea ipſa quæ nobis conatus eſt ingerere, in ipſum re torquebimus, & aut eadem, aut grauiora admiſiſſe oſtẽdemus. Multa in ſuſpiciõe relinquemus: uel quod tam ſint obſcœna, ut ab homine uerecũdo, nec aduer ſario laceſſenti debeãt obijci: uel quod ob multitudi- nem flagitiorum, è plurimis pauca duntaxat dicere uoluerimus: ex uno, aut duobus facinoribus reliquã eius uitã facile poſſe æſtimari. Deinde ubi incandue rimus orationis progreſſu, ſcommatis, ſalibus, dicte rijs hominẽ eludemus. Et non odioſum modo, ſed et ridiculum oſtendemus: nec minus contemnendũ ob inſignem ſtultitiam, quàm deteſtandũ ob inauditam improbitatem. Multã ironiam adhibebimus. In fine tanquã ipſi noſmet reprimamus, hortabimur, ut ali quãdo reſipiſcat, ne cogamur & nos aliquando mo deſtiam relinquere. Exemplum qui quærit, legat mu tuas illas inuectiuas Demoſthenis, et Aeſchinis: Cice ronis, & Salluſtij: Hieronymi, & Ruffini: Pogij, & Vallæ: Politiani, et Scalæ. Nos quoniã hoc in genere minime ſumus exercitati, ueremur ne huius ſcripti artificio parum poſsimus ſatisfacere. Atq; utinam li ceat ſemper eſſe rudem. Neq; uerò nos hic artẽ ma ledicendi docere uolumus: tametſi nihil eſt uitij, telũ habere paratum, quo te defendas, ſi quis improbe la ceſsiuerit: nec ad hanc rem admodum ſit opus arte, quum nulli ferè non ſint ad maledicendum diſerti.

INVECTIVAE SYLVA.

Politianus lib.12.epiſt.Herculem factitium.
Item epiſtola: Vtrum pugnantia.

Literas tuas legimus ſimilimas edicti tui, cõtumelioſas,minaces,minime dignas,quæ à te nobis mitterentur. Cicero.

DE DEPRECATORIA EPISTOLA.

NVnc ad deprecationem tranſeamus. Deprecamur,quum culpam manifeſtam fatemur,& tamẽ ignoſci uel nobis,uel alijs oramus.Hic ſupplices erimus, culpam ingenue fatebimur. Extenuabimus poſtea, uel ab imprudentia, uel ab ætate, uel hinc quod nunc primum deliquit,uel ab ipſo commiſſi genere, ſolitam culpæ partem in alios transferemus. Eum qui peccauit, ſic affligi pudore,metu,pœnitentiaq; dicemus,ut dignus ſit miſericordia. Eius,quem placare conamur,clementiam laudabimus,& implorabimus. Spem melioris uitæ oſtendemus. Eam ex illius indole per ſe proba, alijsq; eius qui peccauit benefactis,reddemus probabilem. Sic enim agit ſuorum nepotum cauſam apud Terentium Mitio. Interponemus autoritatem,& pro reconciliando fide iubebimus.

EXEMPLVM.

Lachrymas excuſſit mihi filius tuus,adoleſcens non tam deſperandus, quàm inſtituendus. Venit ad me,macie & ſqualore cõfectus.Rogo quid haberet. Statim lachrymæ obortæ, ſingultim uix narrat, periſſe ſe,quòd patrẽ optimũ amiſerit ſua ſtultitia. Ro-

go quid flagitij. Fatetur ſe ſortem, quã ad negocium acceperat, in amicam inſumpſiſſe: te offenſum, animũ paternũ abieciſſe. Aduolutus eſt genibus meis, fleuit, promiſit omnia ſe digna: quid multa? fecit mihi pœnitentiæ fidem. Cõfido hoc malo edoctũ, poſthac diligentiorem futurum. Quare quando ille ad ſe redijt, te quoque in patrem redire conuenit. Satis iam graues huius flagitij pœnas luit: ita grauiter fert iram tuam, ut prorſus hanc lucem cupiat effugere, niſi in gratiam recipiatur. Ego illum obiurgaui acerrime. Quid multa? ipſe ſi uidiſſes, nec iratus lachrymas tenere potuiſſes. Quod reliquum eſt, clementer corrigi poteſt. Immodica ſeueritate ne frangatur animus imbecillis, cauendum eſt. Ne commiſeris, ut te grauius in poſterum pœniteat tuæ ſæuitiæ, quàm illum nunc pœnitet ſuæ incogitantiæ. Ignoſce uel ætati. Puer eſt, rerũ imperitus, ab improbis conuictoribus impulſus eſt. Lapſus eſt, & quidem nunc primum: culpã fatetũr, orat, pollicetur, noxæ dedit ſeſe. Quid quæris amplius pater à filio? Cogita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe: atq; ita quod pater es, utere: ut memineris te hominem eſſe, & hominis patrem. Nunquám ne tu iſta ætate lapſus es? Nunquã commiſiſti, quam ob rem pater tibi iure debuerit iraſci? Non dubito quin commiſeris, & fortaſſe grauiora. Hoc merito uulgo iacitur in nos, quod obliti quales ipſi fuerimus olim pueri, filios noſtros uolumus ilico naſci ſenes. Hæc inter nos tuto, ac libere loqui licet. Multis profuit etiã lapſos eſſe. Erit poſthac hoc

malo

malo doctus, cautior. Habebis filium, ſi huius delicti gratiam feceris, addictiorem. Et hūc puerilem errorem officijs abunde penſabit. Amat, ac ueretur unice patrem: indolis eſt probæ, pudicū ingenium, animus minime ſtupidus. Multa in eo ſigna uideo, quæ mihi certam ſpem faciunt, illum poſthac talem futurum, qualem utrique uolumus. Adoleſcentem igitur tibi in manus reſtituo, totam cauſam ad me recipio, pro illo fideiuſſorem me conſtituo: quod ſi noxam addiderit, utrunque abdices licebit, & filium, & amicum. Vale.

ALTERVM EXEMPLVM
ex Cicerone.

Si quid in te peccaui, ac potius quoniā peccaui, ignoſce. In me enim ipſum peccaui uehemētius. Nunquam putaui fore, ut ſupplex ad te uenirem: ſed mehercule facilè patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Amabo te, da mihi et hoc: obliuiſcere mea cauſa, illum aliquando ſuo familiari, aduerſario tuo uoluiſſe conſultum: hoc ignoſcere eſt humanitatis tuæ. Volo te, quum fortiſsimus ſis uir cognitus, etiam clementiſsimum exiſtimari. Magno erit tibi ornamento, nobiliſsimum adoleſcentem tuo beneficio eſſe ſaluum.

ALIVD EXEMPLVM EX EPIſtolis Plinij.

Caſtigabat quidam filium ſuum, quod paulo ſumptuoſius equos & canes emeret. Huic ego, iuuene digreſſo, Heus tu, nunquam'ne feciſti, quod à patre cor

ripi

ripi poſſet? Feciſti dico, non interdum facis, quod filius tuus, ſi repente pater ille, tu filius, pari grauitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? Non hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi admonitus immodicæ ſeueritatis exemplo, pro amore mutuo ſcripſi, ne quando tu quoq; filium tuum acerbius, duriusq; tractares. Cogita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe, atque ita hoc, quod es pater, utere, ut memineris hominem te eſſe, & hominis patrem. Vale.

DEPRECATORIAE SYLVA.

Cic. epiſt. Fam.

TV tuas inimicitias, ut Reipublicæ donares, te uiciſti, alienas ut contra Rempublicam confirmes, adduceris?

Hęc ſylua pertinet ad cõſolationem.

Quantum dolorem acceperim, & quãto fructu ſim priuatus, & forenſi, & domeſtico, Lucij fratris noſtri morte, in primis pro noſtra conſuetudine, tu exiſtimare potes. Nam mihi omnia quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere poſſunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi id quoq; moleſtũ ſit, cum & meo dolore mouearе, & ipſe omni uirtute, officioq; ornatiſſimũ, tuiq; & ſua ſponte, & meo ſermone, amantem affinem, amicumq; amiſeris.

Nunquam putaui fore, ut ſupplex ad te uenirem: ſed hercule facilè patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, ſcis. Amabo te, da mihi & hoc obliuiſcere mea cauſa, illum aliquando ſuo familiari, aduerſario tuo uoluiſſe

con/

conſultum, cùm illius exiſtimatio ageretur. Hoc pri*mū ignoſcere eſt humanitatis tuæ. Suos enim quiſq; debet tueri.* Deinde *ſi me amas, omitte* Atticum Ci*ceroni tuo, quem quanti facias, præ te ſoles ferre.* To*tum hoc: ut, quod ſemper exiſtimaui, nunc planè intelligam, me à te multum amari.*

Ad *reconciliationis argumentum faciet epiſtola* Plinij *lib.8. cuius initium:* Noſti *ne hos.*

Lib.9. *epiſt.* Libertus *tuus: tota, elegans deprecationis exemplum.*

RESPONSIO.

EPiſtolarum *famil. lib.5. epiſtola: Si uales bene eſt. Sed huiuſmodi uos clientes, &c.*

Orat, confitetur, purgat, pœnitet. Quid quæris? quod factum eſt, infectum fieri non poteſt. Non *tam tibi hoc factum diſplicet, quàm ipſi qui fecit.* De *reliquo futurum illum emendatum ego in me recipio: meo periculo pro illo fideiubeo. Si rurſum peccauerit, uel me ipſum ad ſupplicium depoſcito.* Vt *iure peccanti ſuccenſebas, ita pœnitenti æquum eſt ignoſcere, præſertim puero, & aliena malitia ad delictū impulſo.* Nō *quid huius ſtultitia, ſed quid tua clementia poſtulet, tibi conſiderādum puto.* Eia *ne nimiū durus ſis pater.* Nihil *ne tu peccas uel ſenex? & puero nihil uis condonare?* Vin' *tuos continuo ſenes naſci?* Adeóne *excidit, qualis in iſta ætate fueris?* Noſtrat

DE

DE EXTRAORDINARIIS GENE/ribus epiſtolarum, & primum de Nunciatione.

Quæ ſub aliquo trium generũ, ſuaſorio, demonſtratiuo, iudiciali cõtineri uidebãtur, hactenus abſoluimus. Nũc ad reliquas epiſtolarum ſpecies ueniemus: quæ quanquã rhetorici artificij non ita multum deſiderant, tamen frequentius ferè incidunt, quàm illæ ſuperiores. Referetur igitur in primis ea ſpecies, qua ſignificamus amico, ſi quid nouæ rei geſtum ſit apud nos, quod illius referat ſcire, aut quod illi uoluptatem ſit allaturum, ſiue priuatum ſit illud, ſiue publicum. Priuatum, ut quum abſentem certiorem facimus, qua ualetudine ſimus, quid agamus in ſtudijs, quid rure, quid in aula, quid in ædificijs, quid in litibus ſucceſſerit, aut ſi quid alioqui nouæ rei moliamur, uſq; ad conuiuiorum & colloquiorum nugas. Publicum, ut de pace, de bello, de regum geſtis, aut fœderibus, de peſtilentia, aut inundationibus, terræmotibus, tempeſtatibus, alijsq; ſimilibus. Nec huius generis, quoniam uarium eſt, certa ratio præſcribi poteſt. Tantum illud in genere dicam, quòd nunciatio ſimplex & lucida eſſe debet, breuis præterea & diſtincta, interdum gratulationem, aut conſolationem habet admixtam. Narratione cõſtat, de qua paulò inferius præcipiemus.

EXEMPLVM.

Quoniam iam annũ ferè à nobis abes, quicquid hic interim nouorum eſt ortum, puto & me tibi debere

bere ſcribere, & te ſcire uehementer cupere. Audies igitur ex me noua quidem permulta, haud omnia læta tamen. Non ignoras rerum mortalium conditionem, nihil tam beatũ in humanis negocijs, quod non aliqua incommoditate temperetur. Patruus tuus incredibile eſt, quantum te amet, quantum tua gloria delectetur. Vetus, inquies, eſt illud. Audi igitur, quod nouum dices. Antiquus ille compotor tuus, ille, inquã, quẽ noſti, Nebridius, tantus amator, tam elegãs, tam nitidus homo, tam mulieroſus: ille ſtrenuus aleator, inuictus potator, ille gurges, ille helluo, ille undequaq; perditiſſimus. Quid fecit? inquies, an uxorẽ duxit? Imo repente mutatus, omnibus nugis uale dixit, funigerorum inſtitutum profeſſus eſt. Iocari me dices, ſcio, ſed ita rem eſſe comperies. Quid hoc? an tibi uetus uidetur? Quis nunc non exclamat illud ἄνω ποταμῶν? Quis neget ouẽ è lupo fieri poſſe? Accipe quod magis mirere. Varus ille tuus carnifex, Varus eſſe deſijt. Iam te amat, quod nunquã antehac te laudat, tuos colit, tuum aduentum exoptat. Benedicere diſcit, homo maledicentiſſimus. Verum dicere incipit, homo uaniſſimus. Fidem ſeruat, nebulo perfidiſſimus. Eamus nũc, & poeticas transformationes rideamus, quum tantam rerum mutationem breui factam uideamus. Auunculus tuus pontificium Idibus Ianuarijs euicit, non ſine maxima quidem contentione. Noſti competitoris & improbitatem, & factiones, euicit tamen. Id te quàm primum ſcire uolui, ut illi per literas diligenter gratuleris. Hæreditas ea, quæ

tibi è manibus pene erat extorta, mea tibi eſt opera reſtituta. Ne *mihi pro hoc officio gratias egeris. Fa/cio enim tuis in rebus, quod tu in meis ſolebas.* Volu/*ptatem tibi ingentem nunciabo.* Poſtridie No. Mar. *ſoror tua peperit marito filium, patri, tibiq́; nepotu/lum.* Iam *quid muneris abs te feram, ſi rem tibi ape-riam multo feſtiuiorem?* Dij *te omnes diligunt.* Abs*enti tibi, ne expectanti quidem ſacerdotiũ acceßit, & amplum, & in primis honeſtum.* Ad. V. Idus Fe-*buarij* Cornelius *uir integerrimus, è uiuis migra/uit.* Hic *ægrotans, quum competitores non placerent (olfecit enim iam tum inhiare) te ſucceſſorem nomi/nauit.* Menſem *ſuperuixit.* Huiuſmodi *thynnos dor/mienti tibi fortuna retibus tuis implicat.* Tuũ *erit cu/rare, ne quod incidit, elabatur.* Non *enim deſunt, qui prædæ inhiant.* Habes *de rebus priuatis: de publicis credo iſthuc rumorem noſtras literas præuertiſſe.* Ca*lend.* Iul. *regis unctio incredibili cum apparatu cele-brata eſt.* Calendis Auguſtis *ipſe urbem* Pariſiorum *inuectus eſt.* Ad *quartum* No. Septemb. *nuptiæ regia pompa peractæ.* Legati *multorum regum nomine au diti, nemo non magnifice donatus diſceßit.* Britanni *neſcio quid tumultus oſtenderant: ſed res æquis con/ditionibus compoſita eſt.* Audiſti *de ſtatu publico.* Quod *reliquum eſt, non indicarem, niſi te ſcire tua magnopere intereſſet.* Peſtis *menſes iam aliquot a-apud nos ſæuit.* Ea *cum permultos ex amicis, tum ſo/rorum tuam, fœminam, omnium quas in uita uiderim, optimam abſumpſit.* Frater *eodem morbo correptus,*

recreatus eſt. Sic uiſum eſt illi, qui res humanas è duobus illis dolijs, pro arbitrio ſuo temperat. Aequo animo feras oportet, quod mutari non poteſt. Quid hac in re te facere conueniat, tu tecum ſtatuas. Habes ferè quæ te ſcire uolebam. Si quid interea noui emerſerit, faciam te quàm primum certiorem. Tu cura ne quid ignoremus rerum tuarum. Vale.

NVNCIATORIAE SYLVA.

Quæ gerātur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotijs non interfuit ſolum, ſed præfuit. Cic. epiſt. fam.

A nobis agentur omnia diligenter: ut neq;, ſi quid obtineri poterit, non contendamus: nec, ſi quid non obtinuerimus, repulſi eſſe uideamur.

De omnibus rebus quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompeius ſuſcepèrit, optime ex Emplatorio cognoſces: qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam præfuit: neq; ullum officium erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit. Ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces, quæ quales ſint, non facilè eſt ſcribere.

Hic tui omnes ualent, ſummaq; pietate te deſiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura ut ualeas, et te iſtinc ne temere commoueas. Deſcriptio ſpectaculorū.

Lib. 4. epiſt. Et ſi ſcio non iucundiſſ.

Lib. 7. Si te dolor aliquis.

Lib. 8. epiſt. Tanti non fuit ar.

Lib. 9. epiſt. Caninius noſter me tuis.

Nos de Dolabella quotidie quæ uolumus, audi-

mus, ſed adhuc ſine capite, ſine autore, rumore, nuncio.

Narro tibi plana. Relegatus mihi uideor, poſtquam in Phormiano ſum.

Iſti puero, quem ad te iuſsi recurrere, da pondero ſam aliquam epiſtolam, plenam omnium non modo actorum, ſed etiam opinionum tuarum.

Cic. ad Attic. *L. Iulio Cæſare, C. Mario Figulo cõſulibus, filiolo me auctum ſcito, ſalua Terentia, &c.* Quanquam huius operis omnes ferme ſunt huius generis, ut illa, cuius initium: Quæris ex me.

Hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco ſit, uelim ad me ſcribas, & ita, ut inſtituiſti. Nam iſta ueritas, etiam ſi iucunda non eſt, mihi tamen grata eſt.

Hæc tibi ſcripſi, quia æquũ erat, te pro amore mutuo, nõn ſolum omnia mea facta, dictaq́; uerum etiam conſilia cognoſcere.

Lib. 1. epiſt. cuius initiũ. Ridebis, & licet rideas: tota. Nunciatoriæ iocoſæ exemplum eſt.

Lib. 3. epiſt. Solet eſſe gaudio tibi. Et itẽ proxima.

Lib. 3 epiſt. Rem atrocem. Rei atrocis.

Lib. 4. epiſt. Tuſci grãdine excuſsi. Ruſticationis.

Lib. 4. epiſt. Cauſam per hos dies. Actionis. Ac mox epiſtola: Audiſti ne Val.

Lib. 5. epiſt. Et tu rogas. tota.

Habes acta mea tridui, quibus cognitis uolui tantum te uoluptatis abſentẽ, & ſtudiorum nomine, & meo capere, quantum præſens percipere potuiſſes.

Hæc

Hæc tibi ſcripſi, quia de omnibus quæ me uel delectant, uel angunt, non aliter tecum, quàm mecum loqui ſoleo. Deinde quòd durum exiſtimabã, te amantiſsimum mei fraudare uoluptate, quam ipſe capiebam. Neq; enim ſum tam ſapiens, ut nihil mea interſit, an ijs, quæ honeſtè feciſſe me credo, teſtificatio quædam, & quaſi præmium accedat.

Lib.6.epiſt. Petis ut tibi. Rurſum huic proxima. Mox epiſtola: Ais te adductum.

Libro 7. epiſt. Et mihi diſcendi, & tibi do. De ſpectro.

Lib.6. Quàm multum intereſt.

Lib.8. epiſtola: Vidiſti'ne aliquando. Deſcriptio fontis.

Eodẽ libro, epiſtola. Num iſtic quoq;. Deſcriptio inundationis.

Eodem libro, epiſtola: Ad quæ noſcenda. Deſcriptio lacus prodigioſi.

Inuicem tu, ſi quid epiſtola dignum, ne grauare ſcribere. Nam cùm aures hominum nouitate lætantur, tum ad rationem uitæ exemplis erudimur.

Lib.9. epiſt. Incidi in materiam. De Delphino pæderaſta.

Eodem lib. epiſtola: Quæris quemadmodũ. Quid agat toto die ruri.

Lib.4. epiſt. Vulgare eſt.

Lib.4. epiſt. Accepi epiſtolam tuam. Politianus.

NVNCIATORIA MEA.

SCriberē ad te pluribus de rebus,ſed uereor ne uel mea diligentia tibi ſit moleſta, uel ueritas acerba.

Scribito ad me,quem noſti curioſum, non ſolum quid geſtum ſit, aut geratur iſtic, uerumetiam quid diuines futurum.

Ad hanc formam pertinet & percontatoria,quoties nihil aliud agimus in epiſtola,quàm ut ſciamus, quid rerum agat amicus.Huius exemplum illa Plinij lib.2.Studes,an piſcaris?Item lib.3.Rectène omnia?

Quum rem quanpiam ridiculam nunciaturi ſumus abſolutis aliquot narrationibus,conueniet illud ex Homero, ἔσπετέ μοι νῦν μοῦσαι.Excitatur enim huiuſmodi tranſitiunculis lector, & mire conueniunt familiaribus epiſtolis.

DE MANDATORIA EPISTOLA.

EPiſtola mandatoria nihil habet artificij, præter ſermonis elegantiam,et breuitatem.Exemplum.

N. LIBERTO SVO S. P. D.

Vt præſens multum diuq; te admonui, caue quicquam meo iniuſſu tentaueris.Si quid exiſtet noui,me per literas conſules. Agrum de quo ſcribis, emendi tibi ius permitto, modo ne pluris trecentis ſcutatis ueneat.Petroniū impudētiſſimum debitorem, ſemel atq; iterum appellatum,in ius uocabis.Si inficiabitur,chirographū tibi mitto: dies iam pridē exceſſit. Ab Aſinio creditā pecuniam meo nomine repetes, eamq; ſi reddet, recipies. De permutando ſacerdotio,fac Stilbontem,uirum ut ſcis,et conſultiſſimum,

&

& noſtri amantiſſimum, in conſilium adhibeas. Is quod cenſebit facto opus, id perinde ac ſi ego autor eſſem, exequitor. Ante quàm domum ædificandam cæmentarijs locaueris, prius cum Phidia communicato, deinde eius hac de re ſententiam ad me ſcribito. Hos libros unà cum epiſtolis, Trebatij mei manibus reddendos curabis & diligenter, & quàm primum. Strabonio uerbis meis gratias ages quàm maximas. Genero meo meis uerbis gratulaberis. Lucium contubernalem meum plurimum ſaluere iubebis. Sed heus tu, penè præterierã, quod minime præteritum oportuit. Nepotem meum fac ut quàm primum ab iſto præceptore tam inepto abducas, ac eruditiori committito. Caue te pecuniæ ratio offendat, ſi modo idoneum doctorem nanciſci poteris. Si qua unquam in re ſedulò tuo functus es officio, in lite Verulana fac omnem fidem, induſtriam, diligentiam, ingenium expedias. De uilla inſtauranda quieſce, donec meam ſententiam acceperis. Veſtes meas omnes unà cum annulis ad XI. *Calend. Iulij tranſmittito. Non pluribus te monebo. Tu fac ut quemadmodum & ſoles, & æquũ eſt, tuo officio fungare. Erit apud me diligentiæ tuæ præmium. Vale.*

MANDATORIAE SYLVA.

Cic. ad Attic.

Epiſtol. famil. lib. 16. Sunt aliquot huius generis. Pætus, ut antea ad te ſcripſi, omnes libros quos frater ſuus reliquiſſet, mihi donauit. Hoc illius munus in tua diligentia poſitum eſt. Si me amas, cura ut conſeruentur, & ad me perferantur. Hoc mihi nihil

poteſt eſſe gratius. Et tum Græcos, tum uerò Latinos diligenter ut cōſerues uelim. Tuum eſſe hoc munuſculum putabo.

Sed omnia ut uoles. Ego enim quicquid feceris, id tum rectè, tum etiam mea cauſa factum putabo.

Plinius. Peto autē ut pictorem quàm diligentiſsimum aſſumas. Nam cùm eſt arduum, ſimilitudinem effingere ex uero, tum longe difficilima eſt imitationis imitatio. A qua rogo ut artificem, quem elegeris, ne in melius quidem ſinas aberrare.

Eſt apud Horatium in epiſtolis exemplum mandatoriæ iocoſæ: Vt proficiſcentem monui te ſæpe, diuq;. Hoc genus minimum abeſt à petitorio. Mandamus enim cum autoritate. Petimus ab ijs, in quos nobis mandandi ius non eſt.

MANDATORIA MEA.

Filium quantus eſt, tuæ fidei trado. Totam meam ſolicitudinem in te transfero. Tu pater eſto, ego me ſic geram, quaſi patruus ſim, non pater.

DE EPISTOLA COLLAUDATORIA.

Collaudatio eſt, qua filium, filiámue, militem, ſeruum, libertum, famulum, uxorē, aut alios in quos nobis ius eſt, ut officio ſuo functos, laudamus.

EXEMPLUM.

Epiſtola collaudatoria patris ad filium. Nihil ex omni rerum genere potuit mihi nunciari iucundius, quàm te ijs moribus agere, qui & te ipſo, & tuo genere ſint digni. Nunc ego te filiū agnoſco meum, quum te audio toto animo literis incumbere,

bere, fugitare conſuetudinem ceſſatorũ, parcere rei paternæ, ſi modo nõ id falſò eſt mihi nunciatum. Tu perge in officio mi fili, hocq́; perſuaſum habe, ſi te qualem uolo præſtiteris filiũ, me benigniorẽ etiam quàm uoles, habebis patrem. Vale.

ALTERVM EXEMPLVM.

Facis ut meritò te & amem, & collaudem, qui non ut uulgus ſeruorum ſolet, abſentis domini negotia impedias, ſed omni cura, uigilantia, opera coneris expedire. Eum ego demum frugi miniſtrum, et bene ſpectatum iudico, qui abſente domino, quum impune ceſſare poßit, in officio ſe continet. Audiui qua fide, qua induſtria mandata peregeris. Tu fac cætera eodem animo perſequaris, ut qui nunc meritò te amo, perpetuò poßim amare. Officio bene cœpto, ſtrenuè perfungere. Domini negocia, tua ipſius, ut ſunt, eſſe credito. Tu ſi frugi miniſtri officio functus eris, ego domini liberalis partes haud præteriero. Vale, ac uigila.

Epiſtola domini ad ſeruum.

DE GRATIARVM ACTIONE.

Gratias agimus ijs, in quos nobis nullum eſt mandandi ius. Hæc forma ſubijci poterat petitoriæ, aut conſolatoriæ, aut monitoriæ. Hic beneficiũ quod accepimus, erit modis omnibus amplificandũ. Nam ſæpe gratiam retuliſſe uidetur, qui bene gratias egit. Amplificatur autẽ his ferme rationibus, ſi ultro collatum eſt, ſi incontanter, ſi citò. Bis enim dat, qui cito dat. Si in tempore, ſi uberius, quàm alter auſus ſit petere: ſi nihil pro merito: ſi ne expectanti quidem:

ſi ab eo cui libenter debemus, hoc eſt, ab eo quem amamus ex animo: aut ſi in eum collatum eſt, cui magis ex animo uolumus, quàm nobis ipſis. A genere *quoque beneficij ſumemus amplificationem: ueluti ſi quis fideli conſilio iuuit, dicemus illi plus deberi, qui conſilio iuuit, quàm qui pecunia.* Neq; rarò ma*ius beneficium præſtat, qui obiurgat, quàm qui donat.* Contrà, *ſi quis pecunia iuuit, dicemus uulgare officium eſſe, uerbis opitulari: qui pecuniam promptè impartit, nō poteſt non certiſſimus amicus uideri.* Sunt *& aliæ circunſtantiæ, quibus exaggeramus beneficij magnitudinem: ueluti ſi nos ſimus prælati ijs, quibus ille ob affinitatem erat obnoxius: ſi noſtra cauſa contempſit etiam ſimultatem aliquorum potentium.* His *commemorandis, declarabimus nos ſcire beneficij magnitudinem.* Eſt *autem bona gratitudinis pars, & ſcire quantum debeas, & debere libenter.* Oſtendemus *etiam, ſi poterimus, quam multos eodem beneficio deuinxerit: quodq́; eius beneficij utilitas, nō tantum ad unum hominem pertineat, ſed ad* Reipublicæ *commodū.* Deinde *pollicebimur citra iactantiam, nos aut parem, aut uberiorem etiam gratiam relaturos.* Si *nulla referendi facultas erit, certe animum memorem & gratum pollicebimur, precabimurq́;, ut ſuperi cumulate referant gratiam benemerito, quod nobis ob fortunarum tenuitatem nō licet.* Et *huius generis erit tractatio duplex, recta, & obliqua.* Nam *aliquoties non agendo gratias, maxime gratias agimus, quum oſtendimus aut*

beneficium eſſe maius, quàm ut uulgari more uerbis oporteat gratias agere: aut amicitiam noſtram eſſe maiorem, quàm ut alterum alteri oporteat gratias agere. Quod in negocio meo rogari te paſſus nō es, ſed ultro ſtudium tuum, operam, diligentiam & obtuliſti, & præſtitiſti, ueterem tuam in me, meosq; humanitatem libens agnoſco. Et facis tu quidem non meis meritis, quæ hactenus in te nulla extiterunt, ſed tua uirtute dignum, qui nullis à me prouocatus officijs, tam prompto in me ſis animo, ut beneficium accepiſſe uidearis, quum præſtiteris. Quare quum tuo officio plurimū adiumenti meis rebus attuliſti, tum iſto animo ita delector, ut dictu ſit incredibile. Verè negant referre, quantū beneficium, ſed quàm amico animo præſtiteris. Ex eius modo potius, quàm rei, officium eſt metiendum. Meum erit, quod referre nequeo, perpetuò meminiſſe. Nam quid ego tibi multis uerbis gratias agam? an hoc paſſurus es, qui ne moneri quidem te paſſus es? Vtinam eam mihi facultatem aliquando concedant ſuperi, ut poßim hunc animum tui ardentißimum, re potius, quàm uerbis declarare. Interim ſi quid erit, in quo mea uicißim opera utendum putabis, caue rogaueris, ſed ut tuo mancipio præcipito: inuenies ad quiduis & promptum, & alacrem.

ALIVD EXEMPLVM.

Accepi munus tuum, re quidem magnificum, ſed te autore longe mihi tum precioſißimū, tum iucundißimum. Rectè enim à Naſone tuo ſcriptum eſt: Sic

acce

acceptiſsima ſemper Munera ſunt, autor quæ precio ſa facit. Quo quidem quid me tibi deuinctum eſſe fa tear, quũ ſim iam olim deuinctiſsimus? Totus in ære tuo ſum: arctioribus uinculis me tibi aſtringere non potes. Quod referam, uel iſto munere, uel potius tuo iſto in me animo, qui mihi munere ipſo longe eſt ſua/ uior, dignum, nihil habeo, niſi me ipſum: quem ſi ali/ cuius eſſe precij putas, totũ peculio tuo adſcribito: Crede mihi, nihil habes in omni genere poſſeſsionũ tuarũ, quo et tu tam proprie poſsis & uti, & abuti, quàm Nicolao tuo. Vale.

ALIVD EXEMPLVM.

Multa ſunt tua erga me officia, at nullũ omnium mihi fuit aut opportunius, aut iucundius, quàm quod fratrem meum in cauſa difficilima tuo patrocinio iu ueris. Qui ut eſt mihi propemodũ me ipſo charior, ita quicquid in illum contuliſti, id mihi gratius eti/ am uideri debet, quàm ſi in me ipſum eſſet collatum. Sed ne diligentius tibi gratias agam, noſtra familia/ ritas flagitare uidetur. Neq; enim tu noui quicquam feciſti, & ego re, quàm uerbis beneficium repen/ dere malim. Vale.

AGENDI GRATIAS SYLVA.

Cic. epiſt. fam. *MVltum enim intereſt, utrum laus minuatur, an ſa lus deſeratur: me meæ tamen ne nimis pœni/ teret, tua uirtute perfectum eſt. Curaſti enim, ut plus additum ad memoriam nominis noſtri, quàm adem ptum de fortuna uideretur.*

Amoris quidem tui quoquò me uerti, ueſtigia uel proxi/

proxime de Tigellio. Senſi enim ex literis tuis, ualde te laboraſſe. Amo igitur uoluntatem. Immortales ago tibi gratias, agamq; dũ uiuã: nam relaturum me affirmare nõ poſſum. Tantis enim tuis officijs non uideor mihi reſpondere poſſe, niſi forte, ut tu grauiſsime, diſertiſsimeq; ſcripſiſti, ita cenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Facere non poſſum, quin in ſingulas res, meritaq; tua tibi gratias agam. Sed mehercle facio cum pudore. Neq; enim tanta neceſsitudo, quantã tu mihi tecum eſſe uoluiſti, deſiderare uidetur gratiarũ actionẽ. Neq; ego libenter pro maximis tuis beneficijs tam uili munere defungor orationis, & malo præſens obſeruantia, indulgentia, aſsiduitate, memorem me tibi probare. Quòd ſi mihi uita contigerit, omnes gratas amicitias, atq; etiam pias propinquitates in tua obſeruantia, indulgẽtia, aſsiduitate uincam. Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſoluere difficile eſt.

Iam non ago tibi gratias. Cui enim re uix referre poſſum, huic uerbis non patitur res ſatis fieri.

Te tamen, mi Brute, ſic amo, ut debeo, quòd iſtud, quicquid eſſet nugarum, me ſcire uoluiſti. Signum enim magnum amoris dediſti.

Lib. 13. epiſtola. Et ſi libenter petere à te.

Gratæ mihi tuæ literæ ſunt, quibus accuratè perſcripſiſti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es.

Noli expectare, dum tibi gratias agã. Iampridem hoc ex noſtra neceſſitudine, quæ ad ſummam beneuolentiam peruenit, ſublatum eſſet debet.

Studium tuum, curaq́; de ſalute mea, nulla me noua uoluptate affecit. Non ſolum enim uſitatum, ſed etiam quotidianum eſt, aliquid audire de te, quod pro noſtra dignitate fideliter atq; honorifice dixeris, aut feceris.

Neq; enim mihi in omni uita res tam erit ulla propoſita, quàm ut quotidie uehementius te de me optime meritum eſſe læter.

Plinius. *Certatim ergo tibi gratias agimus. Ego quod illam mihi, illa quod me ſibi dederis, quaſi inuicē elegeris.*

Lib.5.epiſtola: Accepi pulcherrimos. tota.

Cum plurima officia tua mihi grata & iucundæ ſunt, tum uel maxime, quod me celandum non putaſti, fuiſſe apud te de uerſiculis meis multum copioſumq́; ſermonem, eumq́; diuerſitate iudiciorum longius proceſſiſſe.

Amaui curam & ſolicitudinē tuam, quod cum audiſſes me æſtate Tuſcos meos petiturum, ne facerem ſuaſiſti, dum putas inſalubres.

Bene feciſti, quod libertum aliquando tibi charum reducentibus epiſtolis meis, in domum, & in animū recepiſti. Iuuabit hoc te. Me certè iuuat: primū quod te talem uideo, ut in ira regi poſsis: deinde quod tantum mihi tribuis, ut uel autoritati meæ pareas, uel precibus indulgeas. Igitur & laudo, & gratias ago, ſimul in poſterum moneo, ut te erroribus tuorum, et ſi non fuerit, qui deprecetur, placabilem præſtes.

Ad agendas gratias pro liberalitate, qua aliquis uſus eſt in tenuem, & à quo non ſperetur mutua liberal

beralitas, faciet epiſtola Plinij lib. 9. cuius initiũ: Laudas mihi.

Lib. 1. epiſtola. Tu uerò Hermolaë. Politianus

Lib. 11. epiſt. Ain' uerò. Eodẽ, epiſt. Ago tibi gratias.

MEA.

Quid tibi, quid inquam, pollicear? num me ipſum quantus ſum dedam? At exiguum eſt ijs me dedere, qui niſi fuiſſent, ipſe non eſſem.

Pergratum mihi eſt, quod crebro certior per te fio de rebus quæ iſtic geruntur, & tuam erga me beneuolentiam facilè perſpicio.

Cæteris omnibus uinci me patiar, certe beneuolentia mutua non cedam. Nam, ut rectè dixit Plinius, Vinci in amore turpiſsimum eſt.

Quod audio te iſtic pro mea dignitate fortiter digladiari, nihil quidem adfertur noui: ſed tamen hoc audio libentius, quo ſæpius.

Quod referre gratiam, ita ut uolebam, non poſſum, fortunæ debes imputare.

Hoc quod mihi reliquum eſt, te amabo, te colam, te uenerabor.

Mea enim mihi fortuna eripere potuit, me ipſum non potuit.

Mea enim, non me ipſum mihi foruna ademit.

Quid ego te hortor, ut tui ſimilis eſſe pergas, quum indies te ipſum ultro benignitate ſuperes? quid tibi gratias agam, id quod neutiquam expectas?

Quod non modo non negabo, ſed etiam ſemper meminero, & prædicabo libenter.

Non

Non eſt alius quiſquam, cuius officijs me tam eſſe deuinctum, non ſolum fatear, uerum etiam gaudeam.

AD GRATIARVM ACTIONEM

reſponſio.

Cic.epiſt. famil.

QVod autem grata tibi mea erga te ſtudia ſcribis eſſe, facis tu quidem abundantia quadã amoris, ut etiam gratia ſint ea, quæ prætermitti ſine nefario ſcelere non poſſunt.

Officium meum erga Rhodonẽ, cæteraq́; mea ſtudia, quæ tibi ac tuis præſtiti, tibi homini gratiſſimo, grata eſſe uehementer gaudeo: mihiq́; ſcito indies maiori curæ eſſe dignitatem tuam, quæ quidem à te ipſo integritate, et clementia tua ſic amplificata eſt, ut nihil addi poſſe uideatur.

Quanquam gratiarum actionem à te non deſiderabam, cum te re ipſa, atq; animo ſcirem eſſe gratiſſimum, tamen (fatendum eſt enim) fuit mihi periucunda. Sic enim uidi, quaſi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? Semper quidẽ, ſed nunquam illuſtrius.

EX PLINIO.

Gratiarum actio pro libera admonitione.

EPiſtolarum, quas mihi, ut ais, aperto pectore ſcripſiſti, obliuiſci me iubes: at ego nullarum libentius memini. Ex illis enim uel præcipue ſentio, quantopere me diligas, cum ſic egeris mecum, ut ſolebas cum tuo filio. Nec diſſimulo hoc mihi iucundiores eas fuiſſe, quod habebam bonam cauſam, quum ſummo ſtudio curaſſem, quod tu curari uolebas. Proinde etiam

atq;

atq; etiam te rogo, ut mihi ſemper eadem ſimplicitate, quoties ceſſare uideor, nunquam enim ceſſabo, conuicium facias. Quod et ego intelligam à ſummo amore proficiſci, & tu non meruiſſe me gaudeas.

LAMENTATORIA EPISTOLA.

INter commoditates, quas multas adfert amicitia, commemoratur & illud, quod ſi quid dolet, licet in amici ſinum effundere: quæ res ſolet bonam ægritudinis partem adimere. Genus hoc affine eſt conſolatoriæ: ſed in hoc nihil opus eſt arte, quum unumquemlibet dolor ſoleat reddere diſertum. Exemplū lamentationis.

Non poſſum tibi, quales uterque uolumus, epiſtolas mittere, quum mihi nihil rerum omnium ex ſententia procedat. Sed quid ego, mi Laurenti, te meis querelis exanimo? niſi quod iuuat apud familiariſſimum amiculū graues animi mei curas deponere. Credo omnes & ſuperos et inferos in meā perniciē coniuraſſe: ita ubi hoc malum uix effugi ſuccedit aliud multo acerbius. In morbum iam iterum atq; iterum incidi, decidi, recidi. Multo uix ſumptu recreatus, en ſenex ille Sogdianus, peſtis omnium quas unquā irati dij mortalibus immiſere, longe teterrima, ſe mihi erudiendum dedit. Quid ibi miſeriarum non uidi? Quantum luctus, quantū lachrymarū ſummis meis laboribus mihi conſciui? Id monſtrum iam biennium me exercet. Fugio, quando uinci non poteſt. Iam deorum aliquem mihi propitium factū arbitrabar, quod Antonium, hominem candidiſſimum eſſem nactus, cuius humanitas illius feritatē leniebat. Inuidit mi-

bi rurſum, neſcio quod numen, iucundißimi ſodalis conuictum: diſtrahitur inuitus ab inuito. Inde ſolus, & deſtitutus, dum omnia tento, nihil non experior. Deum immortalem, in quos fluctus, in quæ monſtra incidi? His tantis, tam perpetuis malis, uel Hercules ipſe, aut ſi quid Hercule fortius, uinci poterat. Obdurui tamen, ſic mecum cogitās: Aduerſam fortunam, etſi infeſta eſſet, aliquando malis meis ſatiatā, æquiorem futuram. Nemini perpetuo acerbam aut fuiſſe unquam, aut eſſe poſſe. Et ecce de integro morbo capitali corripior miſer: qui quod erat diuturnus, & corpus, & loculos penitus exhauſit. Nec erat, cui meus doleret dolor: quos iuuaret, permulti. Sogdianum autem illum, præter cæteros, delectabat malum meum, cui moleſtißimum ut eſſet, eram meritus. Ne tum quidem animum deieci, non quod ſperarē quicquam, ſed ne teterrimo illi ſeni uoluptatē augerem. Seruatus ſum, ſed ſuperis, opinor, iratis, ſi miſerijs ſerendis ſeruatum eſſe uoluerunt. Quid enim poſtea uel maximis, uel minimis in rebus à me tentatū eſt? Quid tam dextro conſilio inſtitutum, quod non infelicißime euenerit? O me omnium qui ſunt, quiq; fuerunt, infortunatißimū. Egóne unus ex uniuerſo hominum numero, præpoſterus ille Polycrates extiti, cui omnia aduerſarentur, cui nihil unquā obtigerit optatū? Hic tu me, ſcio, ueris, ut aiūt, bonis commemorandis, nimirum literis, & ingenio cōſolari incipies. Tolle mihi inanes iſtas conſolationes, quæ ægritudinem meam exaſperant etiam, tantum abeſt ut leniant.

niant. Odi iam ego meum hoc ingenium: odi literas, quibus ſi carerem, minus miſer eſſem, minus ſenti/rem, minus angerer. Sed querelarum plus ſatis. Tu cura ut recte ualeas, quando nos dij noluerunt.

LAMENTATORIAE SYLVA.

Libro 5. epiſtola: Omnis amor tuus. Cic. epiſt. famil.

Si liber exiſſet, quando non tam intereſt, quo animo ſcribatur, quàm quo accipiatur, ne ea res inepte mihi noceret, cùm præſertim adhuc ſtyli pœnas dem: qua quidem in re ſingulari ſum fato. Nam cùm mendum ſcripturæ litura tollatur, ſtultitia fama mulctetur, meus error exilio corrigitur, cuius ſumma criminis eſt, quod armatus aduerſario maledixi.

Rempub. lugebam, quæ non ſolum ſuis erga me, ſed etiam meis erga ſe beneficijs erat mihi charior: & hoc tempore, quanquam me non ratio ſolum conſolatur, quæ plurimum debet ualere: ſed etiam dies, quæ ſtultis quoq; mederi ſolet: tamen doleo ita communem rem eſſe dilapſam, ut ne ſpes quidem melius aliquando fore relinquatur.

Lib. 9. epiſtola: Vel meo ipſius interitu.

Lib. 14. Ad Terentiam pleraq;.

Quantum dolorē acceperim, & quanto fructū ſim priuatus, & forenſi & domeſtico, Lucij fratris noſtri morte, in primis pro noſtra conſuetudine tu exiſtimare potes. Nam mihi omnia quæ iucunda ex humanitate alterius, & moribus, homini accidere poſſunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoq; id moleſtum ſit, cùm & meo dolore mo/ Cic. ad Attic.

ueare, & ipſe omni uirtute, officioq; ornatiſſimum, tuiq; & ſua ſponte, & meo ſermone, amantem affinem, amicumq; amiſeris.

Quod me ad uitam uocas, unũ efficis, ut à me manus abſtineam. Alterum nõ potes, ut me non noſtri conſilij utiq; pœniteat. Quid enim eſt quod me retineat, præſertim ſi ea ſpes nõ eſt, quæ nos proficiſcẽtes proſequebatur? Premur cum luctu, tum deſiderio omnium rerum, quæ mihi me chariores ſemper fuerant. Cura ut ualeas.

Velim pro tuo in me amore, hanc inanẽ meam diligentiam, miſerabilem potius, quàm ineptã putes.

Ita ſunt res noſtræ, ut in ſecundis, fluxæ: ut in aduerſis, bonæ. In re familiari ualde ſumus, ut ſcis, perturbati.

Amiſimus mi Pomponi, non omnẽ modo ſuccum, ac ſanguinem, ſed etiam colorem, & ſpeciem priſtinam ciuitatis.

Ego uerò, quem fugiam, habeo: quem ſequar, non habeo.

Solicitum eſſe te, cùm de tuis communibuſq; fortunis, tũ maxime de me, ac dolore meo ſentio: qui quidem dolor meus, non modo non minuitur, cũ ſocium ſibi adiungit dolorẽ tuũ, ſed etiam augetur omnino. Pro tua prudẽtia ſentis, qua cõſolatione leuari maxime poſſim. Probas enim meum conſilium, negaſq; mihi quicquam tali tempore fugiendum fuiſſe.

Qui ſit omnium rerum ſtatus noſter uides. Nihil eſt mali, quod non & ſuſtineam, & expectem. Quarum

rum rerum cò grauior eſt dolor, quò culpa maior.

Omnia tamen ſunt feliciora, quàm peccati dolor, qui & maximus eſt, & æternus. Cuius peccati, ſi ſocios eſſem habiturus ego, quos putaui, tamẽ eſſet ea conſolatio tenuis. Sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum.

Quamobrem, quoniã neq; conſilij tui, neq; conſolationis cuiuſquã ſpes illa mihi oſtenditur, nũ quæram hæc à te poſthac: tantum uelim, ne priſtinũ hoc officium intermittas. Scribas ad me quicquid ueniet tibi in mentem, cùm habebis cui des, & dum erit ad quem des, quod longum non erit.

Quid reſtat, niſi ut miſer fiam?

O rem perditam, ô facinus indignum, ô me infelicem, quid hoc ſtatu uel deſperatius, uel fœdius? O me afflictum.

De prædio per calumniam erepto, grauiter angerer, niſi iam animus diuturna deſperatione ad nouũ dolorem obduruiſſet.

Ita animus multis malis obſtupuit, ut ſenſu etiam moleſtiæ carere cœperit, quod ipſum eſt omnibus miſerijs miſerius.

Quid quæris? nihil me infortunatius. Nos tamen in his etiam miſerijs, erecto animo, & minime perturbato ſumus, honeſtumq́; & dignitatem noſtram magna cura tuemur.

Plura ſcribere non poſſum, ita ſum animo perculſo & deiecto.

Non faciam ut enumerem miſerias omnes, in quas

incidi propter ſummam iniuriam, et ſcelus, non tam inimicorũ meorum, quàm inuidorum, ne et meũ mœrorem exagitem, & te in eundem luctum uocem.

Ego & ſæpius ad te & plura ſcriberẽ, niſi mihi dolor meus, cum omnes partes mentis, tum maximè huius generis facultatem ademiſſet.

Itaq; quum meus me mœror quotidianus lacerat & conficit, tum uerò hæc addita cura, uix mihi uitam reliquam facit.

Nec tam miſerum quicquam eſt, quod non in fortunam noſtram cadere uideatur. Quare quando me afflictum & confectum luctu audies, exiſtimato me ſtultitiæ tuæ pœnam ferre grauius, quàm euẽti, quòd ei crediderim, quem eſſe nefarium non putaram.

Lamentatio grauiſsima.

Nos non inimici, ſed inuidi prodiderunt. Nã quod me tam ſæpe & uehementer obiurgas, & animo infirmo eſſe dicis, quæſo ecquod tantũ malũ eſt, quod in mea calamitate non ſit? Ecquis unquam ex tam amplo ſtatu, tam bona cauſa, tantis facultatibus ingenij, conſilij, gratiæ, tantis præſidijs bonorum omnium concidit? Poſſum obliuiſci qui fuerim, non ſentire qui ſim? Quo careã honore, qua gloria, quibus liberis, quibus fortunis, quo fratre? Quẽ ego, ut nouum genus calamitatis attendas, quũ pluris facerẽ, quàm meipſum ſemper feciſſem, uitaui ne uiderẽ: ne aut illius luctum, ſqualoremq; aſpicerem: aut ne me, quem ille florentiſsimum reliquerat, proditũ illi, afflictumq; offerrem. Mitto cætera intolerabilia, etenim fletu impedior.

Dies autem non modo non leuat luctum hunc, ſed etiam auget. Nam cæteri dolores mitigãtur uetuſta te: hic non poteſt, & ſenſu præſentis miſeriæ, & re- cordatione præteritæ uitæ nõ continuo augeri. De- ſidero enim nõ mea ſolum, neq; meos, ſed meipſum. Quid enim ſum? Sed non faciam, ut aut tuum ani- mũ angam querelis, aut meis uulneribus ſæpius ma nus adferam.

Magis opto, quàm ſpero, ut ægroto dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur.

Non mediusfidius præ lachrymis poſſum reli- qua nec cogitare, nec ſcribere.

Aut quis me non ſolum infelicior, ſed iam etiam turpior?

Lamentationis exemplum erit tota illa epiſtola li bro.1. Iacturam grauiſſimam. Rurſus lib.3. epiſt. to- ta. Modo nunciatus eſt. Rurſus: Audio Valerium Martialem. Plinius

Lib.5. epiſt. Triſtiſſimus hæc tibi: tota.

Lib.8. epiſtola: Omnia mihi ſtudia.

Mihi autem uidetur acerba ſemper, & immatu ra mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui uoluptatibus dediti, quaſi in diem uiuunt, uiuen- di cauſas quotidie finiunt: qui uerò poſteros cogitãt, & memoriam ſui operibus extendũt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatam aliquid abrumpat.

Triſte illud, quod Iulius Valens grauiter iacet: quanquam ne hoc quidem triſte, ſi illius utilitatibus

æſtimetur, cuius intereſt quàm maturiſsime inexpli/cabili morbo liberari. Illud planè non triſte ſolū, ue rumetiā luctuoſum, quod Iulius Auitus deceſsit, dum ex quæſtura redit: deceſsit autē in naui, procul à fra tre amantiſsimo, procul à matre, à ſororibus. Nihil iſta ad mortuum pertinent, ſed pertinuerunt, cū mo reretur. Pertinet ad hos, qui ſuperſunt. Iam quidem flore primo tantæ indolis iuuenis extinctus eſt, ſumma conſecuturus, ſi uirtutes eius maturuiſſent. Quo ille ſtudiorum amore flagrabat? quantum legit, quan tum etiam ſcripſit? quæ nunc omnia cū ipſo ſine fru ctu poſteritatis abierunt. Sed quid ego indulgeo do lori, cui ſi frænos remittas, nulla materia non maxi ma eſt? Finem epiſtolæ faciā, ut facere poſsim etiam lachrymis, quas epiſtola expreſsit.

Eſt enim quædam etiam dolendi uoluptas, præſer tim ſi in amici ſinum defleas, apud quem lachrymis tuis uel laus ſit parata, uel uenia.

Lib. 8. epiſt. Et gaudium mihi.

LAMENTATORIA MEA.

SI in malū hoc fortunæ iniquitate incidiſſem, ho/neſtior eſſet plaga: nunc noſtra culpa uidemur accerſiſſe, quod commode uitari poterat.

Res meæ in eum locū deductæ ſunt, ut ſi uelis offi cioſus eſſe, epitaphium pares tuo Lucilio.

DE GRATVLATORIA EPISTOLA.

QVemadmodum in rebus afflictis, amici dolorē cōſolatione mitigamus: ita ſi quid accidit lætæ rei, uoluptatem amici gratulatione conduplicamus.

His

His modis omnibus exaggerabimus animi noſtri uo luptatem, quam ex amici ſucceſſu cepimus, cuius om nia uel commoda, uel incommoda pro noſtris duca mus: imò cuius rebus pro incredibili quadam erga il lum beneuolentia, magis etiam cōmoueamur, quàm noſtris ipſorum. Deinde *dignitatem, aut ſi quid aliud obtigit, uarijs rationibus attollemus: ſiue quod per ſe ſit eximia, ſiue quod à multis fruſtra ambita: ſiue quod ultro non ambienti delata ſit: ſiue quod bono/ rum iudicio contigerit, non cæco fauore fortunæ: ſi/ ue quod eiuſmodi principis fauor, qui nō ſolet niſi ſpectatos magis honoribus ornare: ſiue quod totum hoc, quicquid eſt boni, nulli ferat acceptum, niſi ſuæ ipſius induſtriæ, ut hinc nihil laudis ſibi uindicare poßit fortuna: ſiue quòd præter ſpem obtigit, nam hæc ſolent eſſe gratiora.* Mox *ubi rem ſatis auxeri/ mus, oſtendemus, tametſi ſit ampliſsimum quod obti git, tamen inferius eſſe meritis illius.* Hunc *tantū eſſe gradū ad maiora, ſi modo fortuna uelit hominis uir/ tutibus reſpōdere. Poſtremò loco bene ominabimur, beneq; precabimur, ut quod obtigit, bonis auibus ſit ipſi, amicis, ac* Reipub. *perpetuo fauſtū ac felix.* Eſt *& obliqua gratulandi ratio, quando negamus nos amico gratulari honorem, qui contigit, ſed ipſi hono ri talem uirum, qui tum demū uidebitur ſplendidus, ac magnificus, poſteaquā ei delatus eſt, qui ſuis uir/ tutibus & ornamentis ſit dignitati, quam ſuſcepit, multum dignitatis allaturus.* Quemadmodum *enim magiſtratū obſcurat, qui gerit indignus, ita illuſtrat*

uir omni decorum genere clarus & illuſtris. Aut ne gabimus nos illi gratulaturos dignitatis acceßionē, quā ille nec ambit, nec miratur: utpote uir prudens, qui intelligat, quanto cum onere honor ille ſit con/ iunctus: præterea modeſtus, qui nihil minus affe/ ctet, quàm populares glorias: ſed tamen gaudere, quod illi ſeges ac materia data ſit exercēdæ uirtutis ſuæ, ut qui antehac ſemper uoluerit prodeſſe quàm plurimis, nunc etiā poßit ob autoritatis acceßionē. Licebit utrāq; rationē adhibere per occupationem, quum prius narrabimus, quid alij eſſent illi gratula/ turi: nos non eadem gratulari, ſed ea potius, quæ iam diximus, in obliqua gratulatione dici ſolere. Frequē*ter hic incidit genus encomiaſticum, uelut in his, quæ modo recenſuimus: aliquando non incidit, uelu ti quum amico gratulamur, qui incolumis domū re/ dijt ex itinere longinquo, quum amico gratulamur filium natū, niſi fortè dicemus hoc* Reipublicæ *in/ tereſſe, ut optimi quiq; uiri, &* probatißimæ *quæq; matronæ, quàm maxime ſint fœcundæ, quod ex bo/ nis ferè naſcantur boni.* Porrò *felicitatem ciuitatis non hinc pendere, ſi quàm plurimos habeat ciues, ſed ſi quàm optimos.*Exemplum.*Incredibilem ani/ mo cepi lætitiā, quum te ſummo principū, collegijq; conſenſu, miro populi applauſu præſulem creatum eſſe intelligo.* Gaudeo *aliquando cum honorem tibi ultro delatum eſſe, quo tu te ſemper dignißimū præ-ſtitiſti.* Nec *tibi tantū gratulor, qui honore iſto (quan quam tuis moribus, tuæ eruditioni debito) non mul*

tum

tum delectaris, ſed multò magis patriæ gratulor, quæ talem ſit pontificem habitura, qualem antehac habuit nunquã. Gratulor tuis omnibus, quos quum ſemper morũ innocentia decoraris, nunc etiã honoris claritate, & muneris autoritate illuſtrabis. Gratulor mihi ipſi, te amplißimis honoribus eſſe auctũ, cuius omnes fortunas ſemper meas eſſe duxi. Sacerdotio quidem iſto in uniuerſa Hetruria neque honeſtius aliud, neq; magis opimum, neq; tuis rebus commodius cõtingere poterat. Tu tibi, qua es modeſtia, onus, haud honorem obiectum dices. At ego ſic exiſtimo, ſuperos & patriæ per te conſultũ eſſe uoluiſſe, & tibi uirtutis materiã illuſtrandæ paratã. Quæ res precor, ut primũ tibi, deinde gregi tuo, deniq; et nobis omnibus uertat bene. Me totum, quãtus quantus ſum, ad tuum obſequium offero. Vale.

GRATVLATORIAE SYLVA.

Libro 2. epiſtola: Sera gratulatio. Eodem, epiſtola: Primum tibi ut de. Cic. epiſt. fam.

Lib. 3. epiſt. Quaſi diuinarem. tota.

Qua in re gratulor tibi ita uehementer, ut te quoque mihi gratulari, quàm gratias agere malim: alterum non omnino deſidero: alterum uerò facere poteris.

Gratulor tibi mi Balbe, uereq; gratulor. Nec ſum tam ſtultus, ut te uſura falſi gaudij frui uelim: deinde frangi repẽte, atq; ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi poſtea poßit extollere.

Sapiẽter hæc reliquiſti, ſi cõſilio: feliciter, ſi caſu:

Gratulor tibi affinitatē uiri mediusfidius optimi.

*Lib.15.epiſt.Te & pietatis in nos.*Et plurimæ ſequentes.

Cic.ad Attic. De Ciceroue quæ ſcribis, iucunda mihi ſunt: uellim ſint proſpera.

Etſi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, ſatisq; ex ea magnam lætitiam, uoluptatemq; capiebam, tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod uulgo hominū opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus.

Sum enim auidior, etiam quàm ſatis eſt, gloriæ, & tamen nō alienum eſt à dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni regi regum fuit honeſtum, aliquem in cōſilijs capiendis Neſtorem habere: mihi uerò glorioſum, te iuuenem COS. *florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinæ meæ.*

Plinius. *Lib.4.epiſt.*Magnam cepi uoluptatem.

*Lib.5.epiſt.*Conceſſeram in municipium: tota.

Eodem, epiſt.Bene eſt mihi.

Politianus. *Lib.9.epiſt.Magna me ſolicitudine: tota.*

*Lib.1.*Explicare non poſſum.

GRATVLATIO MEA.

Lucium tibi generum obtigiſſe maiorem in modū gaudeo, ſperoq; & opto, iſtam coniunctionem tibi & uoluptati, & ornamento fore.

Neq; nobis præſul optatior, neq; tibi munus magis optandum potuit obtingere.

Nuncius neq; optatior, neq; iucundior adferri potuit, quā qui nuper eſt de noua dignitate tua allatus.

Ex

Ex tuis literis,quibus te conſulem declaratū ſignificas,tantum cepi uoluptatis,quantum te ſemper amaui.

O factum bene,rem uoluptariam nūcias, pulchrè nuncias,præ gaudio uix me capio.

Voluptatem incredibilem mihi tuis literis nuncias.

Literæ tuæ ſuauiſſimæ, quibus te nouis honoribus ornatum nuncias, tanta me lætitia impleuerunt, ut prorſus dubitem, cui potiſſimum gratulari debeam:tibi ne,cui tanta dignitas nec petenti, nec cogitanti contigerit:an patriæ,quæ talem ſit præſulem habitura:an principi, qui talem conſiliariū: an mihi potius,qui tuis fortunis perinde ac meis delector. Scio te iſtiuſmodi ornamenta nec deſideraſſe,nec delectari,& ita prorſus exiſtimare,onus,non honorem tibi iniectum. At tanto es iſto honore dignior, quo delectaris minus,eoq; magis uirtuti tuæ gratulor. Natum tibi bellum puerum,uxore ſalua, uehementer gaudeo.

Quod ex itinere difficilimo & diuturna peregrinatione patriæ ſis redditus incolumis, tuo nomine ex animo gaudeo.

Rem tibi ex ſententia tua eueniſſe,incredibile dictu quantum læter.

Caue putes te ipſum ex iſta tua fortuna, plus cepiſſe uoluptatis, quàm ego ex tuis literis ceperim, quæ me de noua dignitate tua certiorem fecerunt.

Quòd

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Quòd nouis honoribus ſis auctus, Quòd magiſtratum aſſequutus, Quòd legatio tam ſplendida delata, Quòd doctoris titulo ornatus, Familiam tibi feliciter domi creſcere,	maiorē in modū gaudeo.

Hæreditatem ampliſsimam obueniſſe uolupe eſt: te tam certis, tam charis amicis orbatum non nihil doleo.

Ego abfuiſſe te tandiu à nobis & doleo, quòd ca rui fructu iucundiſsimæ cõſuetudinis tuæ: & lætor, quòd abſens omnia cum maxima dignitate es aſſequutus, quodq́; in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna reſpondet.

Gratulor, quòd qui ſemper epiſcopus fuiſti, nunc etiam uideberis.

RESPONSIO AD GRATVlationem.

GRatulatio tua etſi mihi probatiſsima, quod ab optimo fit animo, tamē hoc mihi multo iucundius eſt, & gratius, quod in ſumma paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum, qui uerè meæ ſaluti fauerent, te cupidiſsimum mei, ſingularemq́; mihi beneuolentiam præſtitiſſe cognoui.

RESPONSIO MEA.

O Diem lætum, non tibi ſolum, ſed tuis etiam omnibus candidiſsimo notandum calculo.

Si quid eſſet in rebus meis unione uel candidius, uel precioſius, hac nota ſignarem eum diem, quo mi bi nunciatum eſt, te nobis è periculoſiſsimo bello re‑

diſſe,

diſſe,non ſolum incolumem, uerumetiam uictorem, & quidem ſumma cum laude.

O diem terq; quaterq; lætum, nec unico margarito mihi ſignandum.

Precor ſuperos,ut hoc gaudium, quod nobis omnibus largiti ſunt,perpetuum eſſe uelint.

Si caſu te cõtuliſti in aulã,gratulor fortunæ tuæ: ſin iudicio,magis etiam gratulor tuæ ſapientiæ.

DE IOCOSA EPISTOLA.

IN unoquoq; epiſtolarum genere,quoties res patitur,iocum admiſcere debemus. Quo in genere et Ciceronem plurimum ualuiſſe, & Ioãnem Campanum fere immodicum,ac ſolutum eſſe uidemus,ſæpe proximum ſcurrilitati. Argutius iocatur Auſonius. Cuiuſmodi uerò debeat eſſe iocus, Cicero in libris de Oratore, & Quintilianus capite de riſu monſtrauit. Exẽpla ſuppeditabit Macrobius, & Athenæus. Primùm illud curandum, ut tempeſtiuus ſit iocus, ut liberalis,ut decori meminerit. Qui ſi apte adhibebitur,plus ſæpenumero habet momenti,quàm oratio quamlibet ſeria. Sed cauendum erit, ne quando nobis eueniat,quod aſino Aeſopico catelli luſus infeliciter æmulato.

IOCOSAE SYLVA.

Libro 7.epiſt. In omnibus meis.

Nam de Cornelio nihil audeo dicere, cuius periculo ſtultus es,quando te ab eo ſapere didiciſſe profiteris,quin tu urges iſtam occaſionẽ, & facultatem, qua melior nunquam reperietur. Cic.epiſt. fam.

Lib.7.epiſt.Legi tuas literas.

Eodem,epiſtola: Niſi antè Roma.Proxima: Mirabar quid eſſet.Ac cæteræ pleræq; ad Trebatium.

Lib. 9. epiſt. Nũ tu homo ridiculus es?Et aliquot ſequentes ad eundem.Eodem,epiſt.Accubueram.

Tui deſiderium,ſpe tuorũ cõmodorum conſolor.

Politianus. Nos planè diuites ſumus, ſed ne erres,Stoicorum more, qui omnes diuites putant,qui cœlo & terra frui poſſunt.

Lib.1.epiſt.Næ tu homo es.Item proxima:Pici.

Lib.5.epiſt.Ita reſpondebo.Item epiſt.Si tu edentulus.

Lib.7.Breues aliquot epiſtolæ ſunt, partim iocoſæ,partim argutæ.Quin & Auſonius multus eſt in iocãdo,nec minus Gulielmus Budæus,Gallus et hic.

CONCILIATORIA.

Est genus epiſtolarum non diſſimile commendatorio,quod nobis uiſum eſt appellare conciliatoriũ. Nam ut commendatione cõciliamus alijs fauorem, ac beneuolentiam apud amicos, ita quum ſtudemus nobis cõciliare uiros,quibus cum antehac nulla interceſſit notitia, aut amicitia, quodammodo noſmet ipſos commendamus. Hoc argumentum frequẽs eſt inter eruditos, dũ aliquoties totis regionibus diſiuncti, tamen mutuis epiſtolis ſeſe prouocant ad ſodalitatem literariã, ac fœdera Muſarum. Et neſcio quomodo uix unquam abeſt hic lenocinium aſſentationis, à quo tamen nec ſanctimonia probatos uiros uidemus abhorruiſſe.Illud erit obſeruãdum, ut ita lau

demus

demus eũ cuius ambimus amicitiã, ne uel adulari, uel fingere, uel inſidiari, uel noſtrum negotium agere ui deamur. Rurſus ita laudemus nos ipſos, ut ne nobis ob arrogantiã pro beneuolentiã conciliemus odiũ. Dicemus ſimilitudinẽ eſſe conciliatricem amicitiæ. Nos illius eximijs dotibus ad amandum inflamma/tos, quas partim celebri fama, partim ex prædicatiõ ne laudatiſsimorum hominũ, partim ex ipſius libris cognouerimus. Nos tametſi multum abſimus ab il/lius uirtutibus, tamen ſemper huc annixos, ut quod in illo ſuſpicimus, aſſequeremur, & aliorum iudicio aliquò uſq; progreſſos eſſe. Suſpicionem aſſentatiõ/nis ſubinde deprecabimur. Obteſtabimur illius mo/deſtiam, ut amori noſtro ignoſcat, cui temperare nõ poſſumus: etiam non ignari, quantopere uir omni laude ſuperior, prædicatione ſuarum uirtutũ offen datur. In nobis rem attenuabimus, animum, ſtu/dium, amorem optimarum rerum exaggerabimus. Orabimus, ut nos in ſuorum numerũ aſſcribat. Pol/licebimur, nos tametſi nouos amicos, nulli ueterum ceſſuros, ſtudio certe, ac fide, quantumuis reliquis in rebus impares. Nos ipſos, opes noſtras, & quicquid opera noſtra præſtari poterit, totũ illud deferemus, amicos etiam communes pollicebimur. Poterat hoc genus amatorio ſubijci, quo quidem in loco nõnihil attigimus. Nõnunquã & alios inuicem cõciliamus, ac tum quidem hoc intererit inter cõmendationem & conciliationem, quod qui commendat, petit non nihil: qui conciliat, nihil petit officij, ſed tantum con

glutinat amicitiam. Ad hoc genus pertinet laudatio certæ perſonæ. Syluam modo ſubijciemus, nam et in deſcriptione nonnihil hac de re meminimus.

LAVDATORIAE SYLVA.

Cic. epiſt. fam. Mihi quidem humanitas tua, uel ſumma potius ſapientia, non iucunda ſolum, ſed etiam admirabilis uiſa eſt. Virum enim excellentem, & tibi tua præſtanti in eum liberalitate deuinctum, nonnihil ſuſpicantem, propter aliquorum opinionem cupiditatis ſuæ, te ab ſe abalienatum illa epiſtola retinuiſti.

Sed nimirum, quæ ſunt in manu hominum, & mihi & multis contigerunt. Illud uerò, ut adipiſci arduum, ſic etiam ſperare nimium eſt, quod dari non niſi à dijs poteſt.

Plinius. Ego uerò Rufum noſtrum laudo, non quia tu ut ita facerem, petiſti, ſed quia eſt ille digniſsimus. Legi enim librum omnibus numeris abſolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipſius adiecit: iudicaui tamen. Neq; enim ſoli iudicant, qui maligne legunt.

Lib. 1. epiſtola, cuius initiũ: Si quando urbs noſtra.
Laus hominis. Eodẽ epiſt. Amabam Pompeium.
Lib. 2. epiſt. Poſt aliquot annos.
Eodem, epiſt. Magna Iſæum fama.
Lib. 3. epiſt. Neſcio an ullum iucundius.
Eodem lib. epiſt. Annotaſſe uideor. Laus poẽtæ.
Lib. 6. epiſt. Sum ex his.
Lib. 9. epiſt. Vnice probo.
Lib. 1. epiſt. Mirum eſt. Laus uitæ ruſticanæ.
Lib. 2. epiſt. Aſſem para. Vituperatio perſonæ.

Lib.

Lib.1.epiſt. Tanti mihi ſunt.

Lib.3.epiſt. Etſi magnum te.

Eodem: O decus Italiæ. Laus puellæ.

Lib.4.epiſt. Scribis Marianum. Laus concionatoris.

Lib.12.epiſt. Quàm uellem. Laus pueri.

RESPONSIO AD LAUDEM.

Lib.15.epiſt. Lætus ſum laudari. Cic.epiſt. fam.

Si laudatus à te, laudare te cœpero, uereor ne non tam proferre iudicium meũ, quàm referre gratiam uidear. Omnia ſcripta tua pulcherrima exiſtimo, maxime tamen illa, quæ de nobis. Accidit hoc una, eademq; de cauſa. Nam & tu, quæ de amicis optime ſcribis, & ego quæ de me, ut optima lego. Plinius.

Laudem pariter & gratias agam? Neutrum ſatis poſſum, & ſi poſſem timerem, ne arrogans eſſet ob ea laudare, ob quæ gratias agerem. Vnum illud addam, omnia mihi tanto laudabiliora uiſa, quanto iucundiora: tanto iucundiora, quanto laudabiliora erant.

Lib.1.epiſt. Quod proximis literis. Politianus.

Item epiſt. Quod ex ſecundis rebus.

Item epiſtola: Lucretium Petreio.

Libro 2.epiſt. Legit epiſtolam. Rurſum: Non tu munus.

Eodem, epiſt. In epiſtola quadam.

Lib.3.epiſt. Etſi uideo. Eodem, epiſt. En ad te reuertitur. Rurſum epiſt. Miſit ad me. Eodem, epiſtol. Vtinam quas.

Lib.4.epiſt.Ignoſce occupationibus.
Lib.5.epiſt.In calce.
Lib.7.epiſt.Legit epiſtolam.
Eodem,epiſt.Honorifica mentio.Item proxima.

RESPONSIO AD LAVDEM,
mea.

LAudes iſtas quas affatim in me congeris,ſic equidem interpretor, quaſi non me depingere uolueris qualis ſim, ſed optimum exemplar præſcribere, qualis eſſe debeam.

Hoc effecit iſta tua tã magnifica laudatio,ut iam mihi minus incipiam placere,qui planè uideã, quantum abſim ab iſta perfectæ uirtutis imagine.

Dum iſtam imaginem pingeres,non à me ſed abs te ipſo ſumebas exemplum.

Sentio quid agas,fálſis iſtis laudibus noſtrã ignauiam extimulare uoluiſti.

Aut planè fálleris, aut nobis blanditur tua laudatio.Sed blãdiatur ſanè, dũmodo mihi ea ſtudia commendet. Nec enim alio conſilio te blandiri ſcio.

Ideo ſumma tribuis,non quod ea ſim aſſequutus, ſed quod huc me ſummis uiribus uelis eniti.

Hoc agis laudando,ut aliquando uidear laudandus.Ipſe ſummis ac maximis uirtutibus abũdet oportet,qui in alijs paucas mediocres ſic amat.

Quod in laudando me plus quàm immodica benignitate es uſus, non ignoſcerem, niſi iam olim ex Homerica lege, poëtis mentiri licet. Ait enim, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

Non eſt mihi cornea fibra,quemadmodũ ait Perſius:nec apud me ſanè incredibile eſt eſſe uerũ,quod ſcripſit Xenophon,ἥδιστον ἄσμα ἔπαινον εἶναι,utiq; ſi promerear. Nunc nihil aliud quàm rideri me puto. Eſt hoc fere ſolenne inter eruditos,ut ſeſe mutuis laudibus quaſi ſcabant.Nec in totum damnandas arbitror has aſſentatiunculas, quibus alitur beneuolentia,& excitantur ſtudia.

OFFICIOSA.

NEc infrequens eſt & illud epiſtolarũ genus,quo amicis,etiamſi nihil petant,operam noſtram ultro offerimus, propterea quòd ſunt quos pudet rogare,quum egeant amicorum ſubſidio. Hos oportet ultro delato officio,ad poſtulandam operam amici prouocare,& ea cauſa genus hoc officioſum uocare placuit.

OFFICIOSAE SYLVA.

EGo omni officio,uel potius pietate erga te,cæteris ſatisfacio omnibus,mihi ipſe nunquam ſatisfacio. Tanta enim magnitudo eſt tuorũ erga me meritorum,ut quoniã tu niſi perfecta re,de me non conquieſti,ego quia non idem in tua cauſa efficio,uitam mihi eſſe acerbam putem.

Noſtram fidem omnes,& amorem tui abſentis, præſentes tui cognoſcent. Si eſſet in his fides,in quibus eſſe debebat,non laboraremus.

De cæteris rebus quicquid erit actum, ſcribam ad te: & ut quàm rectiſsime agantur omnia, mea cura & opera,diligentia,gratia prouidebo.

Ego neq; de meo ſtudio, neq; de nonnullorũ animo mihi ſcribendũ arbitror. Quid enim aut me oſtẽtem, qui ſi uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum in me meritorũ aſſequutus: aut de aliorum iniurijs querar, quod ſine ſummo dolore facere non poſſum? Ego tibi in hac præſertim imbecillitate magiſtratuum præſtare nihil poſſum: at ea excepta, poſſum confirmare, te & ſenatus, & populi Romani ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum.

De Alexandrina re, cauſáq; regia tantum habeo polliceri, me tibi abſenti, tuisq; præſentibus cumulate ſatisfacturũ. A nobis agentur omnia diligẽter: ut neq; ſi quid obtineri poterit, non contendamus, nec, ſi quid non obtinuerimus, repulſi eſſe uideamur.

A me nullũ tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi, utorq; ad omnia Qu. Selicio. Neq; enim prudentiorẽ quenquàm ex tuis, neq; fide maiore eſſe iudico, neq; amantiorem tui.

A me omnia ſumma in te ſtudia, officiáq; expecta. Non fallam opinionem tuam.

Tu uelim tibi ita perſuadeas, nullã rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior ſit, quàm meæ res omnes. Idq; cùm ſentiam, ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum: re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quod nullam partẽ tuorum meritorum, non modò referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia, conſequi poſſum.

Cætera quæ ad te pertinebunt, cùm etiã plus con-

ten-

tenderimus,quàm poſſumus,minus tamen faciemus, quàm debemus,

Omnia uolo à me & poſtules,& expectes:uincan meis officijs cogitationes tuas.

In hoc toto genere plura faciam,quàm ſcribere audeo. Cætera, quæ tibi à multis prompta eſſe certò ſcio, à me ſunt paratiſſima. Nihil in re familiari mea eſt,quod ego malim meũ eſſe,quàm tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc ſcribo parcius, quòd te id,quod ipſe cõfido,ſperare malo,te eſſe uſurum tuis.

Ego quæ pertinere ad te intelligam, ſtudioſiſſime omnia,diligentiſſimeq́; curabo,tuorumq́; triſtiſſimo meo tempore meritorum erga me memoriam conſeruabo.

De mea autem in te uoluntate,ſic uelim iudices, me quibuſcũq; rebus opus eſſe intelligã, quanquam uideam,quis ſim hoc tempore,et quid poſſim:opera tamen & conſilio,ſtudio quidem certe rei,famæ,ſaluti tuæ præſtò futurum.

Quamobrem tu,quãtum tuo iudicio tribuendum nobis eſſe putes,ſtatues ipſe: &,ut ſpero,ſtatues ex noſtra dignitate.Ego uerò tibi profiteor,atq; polliceor eximium & ſingulare meum ſtudium, in omnĩ genere officij,quod ad honeſtatem & gloriam tuam ſpectet, in quo etiam ſi multi mecum contendunt,tamen cũ reliquis omnibus,tum craſſis tuis iudicibus, omnes facile ſuperabo.

Quamobrem uelim ita & ipſe ad me ſcribas de

omnibus, minimis, maximis, mediocribus rebus, ut ad hominem amiciſsimum: & tuis præcipias, ut opera, conſilio, autoritate, gratia mea ſic utantur in omnibus, publicis, priuatis, forẽſibus, domeſticis, tuis, amicorum, hoſpitum, clientum, tuorum negocijs, ut quoad fieri poſsit, præſentiæ tuæ deſiderium meo labore minuatur.

Tu tamen ei uelim ſcribas, ut nullã rem neq; tam magnam, neq; tam paruam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna uideatur. Omnia quæ in tuis rebus agam, & non laborioſa mihi, & honeſta uidebuntur.

Tu ſi quid ad me forte ſcripſeris, perficiam ne te fruſtra ſcripſiſſe arbitrere.

Quotieſcunq; filium tuum uideo (uideo autem ferè quotidie) polliceor ei ſtudium quidem meum, & operã ſine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem atq; autoritatem cum hac exceptione, quantum ualeam, quantumq; poſsim.

Lib. 6. epiſtola, Vereor ne deſideres. Multos habet locos conſolatorios.

Singula perſequi non eſt neceſſe: uniuerſum ſtudium meum & beneuolentiam ad te defero.

Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor: à te amari, et quid agas, quidq; agatur, certior fieri uolo.

De me autem ſic uelim iudices, quantum ego poſſim, me tibi, ſaluti tuæ, liberiſq; tuis ſummo cum ſtudio præſto ſemper futurum.

Ego

Ego quid poſſim, neſcio, uel potius me parũ poſſe ſentio. Illud tamen tibi polliceor, me quæcunq; ſaluti, dignitatiq; tuæ cõducere arbitrabor, tanto ſtudio eſſe facturum, quãto ſemper tu & ſtudio, & officio in meis rebus fuiſti. Hanc meam uoluntatem, ad matrem tuam optimam fœminam, tuiq; amantiſsimam detuli. Si quid ad me ſcripſeris, ita faciam, ut te uelle intellexero. Sin tu minime ſcripſeris, ego tamen omnia, quæ tibi utilia eſſe arbitrabor, ſummo ſtudio, diligenterq; curabo.

Interim uelim ſic tibi perſuadeas, mihi cùm Reip. quam ſemper habui chariſsimam, tum amoris noſtri cauſa, maximè curæ eſſe tuam dignitatem. Da operam ut ualeas.

Sed ego tuis neq; deſum, neq; deero, qui ſiue ad me referunt, ſiue non, mea tibi tamen beneuolentia, fidesq; præſtabitur.

Iniuriam enim fieri putabam, quum rogabar.

Quæ ad me de tuis rebus domeſticis ſcribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri.

Illud profectò cognoſces, mihi te neq; chariorẽ, neq; iucundiorem eſſe quenquam.

Perficiam profectò, ut longi temporis uſuram, qua caruimus, intermiſſa noſtra conſuetudine, gratia, & charitate, & officiorum meorum magnitudine ſarciam.

Perficiam profectò, ut neq; reſp. ciuis in me animum, neq; tu amici deſideres. Cic. ad Attic.

Cõſolatio eſt Non eſt ſuo loco, uitio ſcribæ.

Sed hæc ſors uiderit ea, quæ talibus in rebus plus quàm ratio poteſt. Nos autem id uideamus, quod in nobis eſſe debet, ut quicquid acciderit, fortiter & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus memineri mus: nosq; cum multum literæ, tum non minimum Idus quoq; Martiæ conſolentur.

Ego quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitra/ bor, ſemper ſine ulla dubitatione, ſummo ſtudio faciam. Hoc uelim tibi penitus perſuadeas.

Ego quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitra/ bor, ſtudioſe, diligenter que curabo. Da operam ut ualeas.

Nec uerò ulla res erit unquam, in qua ego non uel uitæ periculo ea dicã, eaq; faciam, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor.

Politianus. Lib. 3. Deprehenderunt me.

Lib. 10. Quanquam nec fortuna.

Plinius. Non mehercule tã mea ſunt, quæ mea ſunt, quàm quæ tua. Hoc tamen differunt, quòd ſolicitius, & in tentius tui me, quàm mei excipiunt. Idẽ fortaſſe eue niet tibi, ſi quando in noſtra diuerteris, quod ue/ lim facias. Primùm, ut perinde noſtris rebus, ac nos tuis, perfruaris: deinde, ut mei expergiſcan/ tur aliquando, qui me ſecurè ac prope negligenter expectant.

Lib. 7. Caleſtrium tyronem familiariſſimum.

Nihil eſt quod verearis, ne ſit hoc illi moleſtũ, cui orbem terrarum circumire non erit longũ mea cau/ ſa. Proinde nimiam iſtam uerecundiam pone, teque

quid

quid uelis, conſule: illi tam iucundũ, quod ego, quàm mihi, quod tu iubes.

OFFICIOSA MEA.

Nihil mihi magis in uotis eſt, quàm ut primũ abs te ipſo, deinde à cæteris omnibus quàm gratiſsimus eſſe cognoſcar. Sed eiuſmodi ſunt tempora, ut et tuis in me meritis, et meo in te animo, ſatisfacere uelim magis, quàm poßim.

Me incolumi, nullã accipies iniuriam: et ſi mauis me uerbis Homericis *tibi meũ patrocinũ polliceri.*

Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

Pollio uidetur in te offenſior. Hoc quanti æſtimes ubi cognouero, tum eadẽ opera ſciero quid mihi ſit elaborandum.

Cæteri ſolent operam polliceri in licitis & honeſtis, & in his quæ præſtare poßint: ego uerò tibi omnem meã in omni re, ſine exceptione polliceor, qua poßis tuo arbitratu uel uti, uel abuti. In his quæ perfici non potuerunt, tamen efficiam, ut intelligas nec ſtudium, nec fidem uſquam defuiſſe.

Si officioſum eſt, ultro polliceri opem, aut operã, multo officioſius eſt, ultro mittere pecuniam. Huius argumenti, tametſi rari, exemplum reperies apud Plinium lib. 6. epiſtola: Quamuis & ipſe.

Sum quidem ſtudiorum laboribus ita diſtrictus, ut nemo magis: ſed mihi nihil erat in ſtudijs tam cordi, quod non poſtpoſiturus ſim, ſi tali amico præſtandum erit officium.

Non

Non omnibus dormio, ita non omnibus uaco. Tibi nunquam non ero ocioſus, ſi quid per me fieri uoles.

Non æquum arbitror, ut literarum prætextu me excuſem amico: quum hoc ipſum me doceāt literæ, non eſſe deſerendum amicitiæ officium, quo nihil oportet nobis eſſe antiquius, aut religioſius.

Hoc unum tibi etiam atq; etiā perſuadeas uelim, nihil exiſtere poſſe tam durū, tā periculoſum, quod non ſim tua cauſa libenter etiam ſubiturus.

Nihil erit tam arduum, tam aſperum, quod non ſit iucundum futurum tua cauſa.

Opes quas tibi pollicear, nec mihi adſunt, nec tibi deſunt. Hoc corpuſculum, hunc animum tibi totum, quantus eſt, deuoueo.

Hoc tibi ſpondeo mi Lucili, neq; animum, neque diligentiam mihi defuturam.

Nec animo, nec ſtudio, nec beneuolentia, nec patientia cuiuſquam pro uobis cedam.

DISPVTATORIAE
genus.

Eſt epiſtolarum genus non infrequens inter eruditos, quo ſtudiorum ſuorum inter ſe agunt commercia, quum aut ſciſcitantur de re quapiam, aut reſpondent ſciſcitanti: aut ſi qua de re parum conuenit, diſputant. Huius generis, quoniam uarium eſt, certa ratio reddi non poteſt. Tantum exempla quædam indicabo.

DISPVTATORIAE SYLVA.

Lib.7.epiſtola.Illuſeras heri inter. Cic.epiſt. famil.

Lib.9.epiſtola:Amo uerecundiam.

Lib.1.epiſtola:cuius initium eſt:Frequens mihi diſputatio: tota.

Lib.4.epiſtola: Attuli tibi.

Lib.1.epiſtola:Oſtendet plenum.

Lib.2.epiſtola:Dictata illa tua.

Lib.3.epiſtola:Iraſceris obtrectatoribus.

Lib.5.epiſtola:Et tu mihi.

Lib.9.epiſtola: Ego quidem mi Hermolae. Item proxima.

Lib.12.epiſtola:Quantopere me ſemper.

FINIS.

IOAN-

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS, AD IDIAQUEUM *à ſecretis* Caroli V.

QVVM *inſtituerem* Idiaquee, *opuſculum de epiſtolis componendis edere, quarum permagnus eſt uſus in omnes uitæ partes, uiſum eſt mihi tuo nomine inſcribere: nõ quod his meis præceptis ipſe indigeas, qui præceptores facultatis huius ac duces habes* Ciceronem & Plinium: *quorum ueſtigijs feliciſſimè inſiſtis, magna cum admiratione omnium, qui ſciunt, quàm breui tempore, quod in latinis literis concupieras, ſis aſſecutus. Sed quia nemini magis uidetur ea tractatio congruere, quàm ei, cui ſunt quotidie permultæ maximis de rebus latinæ epiſtolæ cum tuo ipſius, tum* Caroli Cæſaris *nomine cõſcribẽdæ.* Deniq; *pro noſtra coniunctiſſima amicitia & uoluntate mutua, quicquid ab altero proficiſcatur, non poteſt non eſſe alteri lõge gratiſſimum.* Epiſtola *eſt ſermo abſentium per literas: in hoc enim ea eſt reperta, ut cõceptus animi, & cogitata aliorum ad alios fida mandati interpres & nuncia perferat.* Epiſtolarum *uſus eſt, inqnit* D. Ambroſius *ad* Sabinũ, *ut diſiuncti locorum interuallis, affectu adhæreamus, in quibus*

inter

inter abſentes imago refulget præſentiæ: & collocutio ſcripta ſeparatos copulat, in quibus etiã cũ amico miſcemus animum, & mentẽ ei noſtram infundimus: ſic ille. Dicta eſt Græcis à mittendo ἐπιστολὴ, ceu quis dicat miſſoriam, uocabulo non recepto. Nam inter præſentes nihil opus eſt epiſtola, niſi forte ſi quid certis præſcriptisq́; es acturus uerbis: Vt Suetonius Cæſarem Auguſtum refert ſermones cum ſingulis, etiam cum Liuia ſua grauiores, non niſi ſcriptos, & è libello habere ſolitum: ne plus minúsue loqueretur ex tẽpore quàm oporteret: & arrogãtiſſimus ille dominus Romæ nihil unquam cum ſeruis egit, niſi nutibus, aut deſcripto, ſicuti eſt apud Tacitum. Excogitati quoq; codicilli inter homines eadem in urbe ac uicinia, ſed quibus uiſere inter ſe parũ uel placebat, uel licebat, aut certe commodius ſcriptis agebatur res: quorum codicillorum frequens eſt apud Ciceronem, Tacitum, & alios mentio. Antiquiſſimæ epiſtolæ in hoc unum paratæ erant, ut aliquid abſenti nunciarent de Republica aut priuata, quid actum, quid futurum, quid gereretur, quid uellent fieri, aut ſecus. Cuiuſmodi uidemus eſſe Ciceronianas, & præcipuè ad T. Atticum. Deinceps omnia, quæ dici, quæq́; ſcribi poſſent, ſub epiſtolæ ambitum uenerũt. Cicero ad Curionem: Epiſtolarum, inquit, genera multa eſſe non ignoras, ſed unum illud certiſſimũ, cuius cauſſa res ipſa inuenta eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſi quod eos ſcire aut noſtra aut ipſorũ intereſſet. Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quæ magnopere

me

me delectant: unum familiare & iocoſum, alterũ ſeuerum & graue. Itaq; illa uera eſt & germana epiſtola, per quam ſignificamus alicui, id quod in negocijs uel eius intereſt ſcire, uel noſtra: quales ſunt propemodum nunciatoriæ, petitoriæ, commendatitiæ, cõſolatoriæ, admonitoriæ: & ſi quæ ſunt eius generis, quæ uicem abſentiæ ſcribentis impleant. Additæ ſunt poſtea cõſolatoriæ, conciliatoriæ, præceptoriæ, diſputatoriæ de omni argumẽto philoſophiæ, iuris, antiquitatis, omnium deniq; diſciplinarum, atq; earum rerum, quæ deſcripto inter maximè præſentes agerentur: ſic à Platone de Philoſophia ſcribitur ad Dionyſium & alios, & à Seneca ad Luciliũ, à Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Cypriano, de rebus ſacris ad uarios. Citantur Catonis Cenſorij, & multorum Iuriſconſultorum libri, de quæſitis aut reſponſis per epiſtolam. Nolo in præſentia diſſerere, quàm latè nomen epiſtolæ extendendum ſit: ſed certè ſi recipimus, ut quicquid ſalutationem præfert, epiſtola dicatur, quid cauſæ erit, quin libri Tuſculanarum quæſtionum Ciceronis, aut de Finibus, epiſtolæ nominentur ad Brutum? de Senectute uerò & Amicitia, ad Atticũ: de Officijs, ad Marcum filium, uel ſi orationi pro Milone, aut in Verrem, ſalutationem præponas, ad Iudices, epiſtolæ ſint? Sed non fit ideo uir ea fœmina, quæ ſumit fœmoralia, aut enſe cingitur: ita non omnis liber fit epiſtola, cui præpoſita eſt ſalutatio, niſi naturam & ingenium ſumat epiſtolæ, quã ſtatim demõſtrabimus. Bene Plinius Cæcilius,

Diſputatoriæ.

Aliud

Aliud eſt hiſtoriam ſcribere, aliud epiſtolam: ſignificans, in natura illarum eſſe diſcrimen.

DE INVENTIONE EPISTOLAE.

INuentionem epiſtolarum cū aliqua parte diſpoſitionis cōiungemus, præcipuè in exordijs: propter ea quod hæc ſepenumerò diſiungi non poſſunt commode, eadem enim ſunt locis aliquot de utriſq; præcepta: & plerique epiſtolas ſcripturi, maxime circa principia conflictantur, tanquam inter ſcopulos, facileq; reliquum curſum conficerent, ſi modo euaſiſſent ex ambagibus portus. Initio illud præfandum eſt, inuentionem omnem non ſolum epiſtolæ, uerum cuiuſcunq; alterius generis, ſermonis, orationis'ue, ut etiam in his quæ loquimur, haud penitus artis eſſe, ſed prudētiæ: quæ paritur ex ingenio, memoria, iudicio, atq; uſu rerum: à nobis uerò tradendis artibus adiuuatur, non perficitur: admonetur, non omnino inſtituitur, ne quis ſe uel hoc loco, uel in alijs, aut à me ipſo, aut ab alio quopiam ſcriptore aut magiſtro plenam cognitionem componendarum epiſtolarum, alteriuſq; omnino generis orationis accepturum ſperet. Sunt enim qui præcepta damnent tanquam inutilia, quæ non ſtatim ex ſtupido acutum reddant, peritum ex rudi. Itaq; ſit hoc primum præceptū, adiuuari à nobis inuentionem, & promoueri hiſce formulis, quæ nec ipſæ uirium ſunt aliquid habituræ, niſi uſus atque exercitatio acceſſerit. Hæc præfatus, ad rem uenio. Inuentio prudentię, non artis. Prudentia.

Scripturus epiſtolam conſideret, quis, & cui ſcribat, & quibus de rebus, qui ſimus nos ad illum, qui Scripturo epiſtolā quæ conſideranda.

ille in ſe: aut enim ignoti ſumus, aut noti, amici aut inimici, leuiter ſeu dubie amici, aut aperte & arcte, pares aut impares: et hoc uarijs in rebus: genere, for/tunis, eruditione, ætate. Tum ille quo genere, plebe/ius an patritius, honeſto an ſordido: qua fortuna, ſum ma, magna, mediocri, infima, nulla: quo rerum ſtatu, liber an ſeruus, opinioſus an obſcurus, bonæ an malæ famæ, ocioſus an occupatus, ſutor aut ſartor: qua eru ditione, magna, mediocri, media. Theologus, Medi/cus, Philoſophus, Iuriſconſultus, uſu rerum an ſecus: quo ingenio & moribus, triſtis an hilaris, remiſſus an ſeuerus, placidus an iracundus, humanus an ſuper cilioſus, facilis an difficilis, acutus an hebes: hæc e/nim uno mentis intuitu facile percurremus omnia, & momento temporis. Frequenter enim excuſandũ eſt, quod ignotus ſcribas, aut leuiter amicus, aut tãto ui=ro, aut ei in quẽ forſan crederis inimico eſſe animo: hoc primum purgabis: nam ita fert natura ipſa no/ſtri ingenij, ut reſoluta epiſtola, & lecto ſcribẽtis no mine, admiretur is cui ſcribitur, ſi ab ignoto, ſi à le/uiter charo, ſi ab inimico mittatur: ita uel impuden/tiæ, uel temeritatis, uel arrogãtiæ, uel dementiæ ſcri-bentem apud animum ſuũ ſtatim initio damnat, quo fit ut nõ tantum aſpernetur literas, ſed autorem ipſum oderit: idq; eo acrius, ſi ſupercilioſus ſit, aut moro/ſus, & in eum ipſum odij affectum procliuis, ergo oc/currendum. Nam & in ipſo foro noui oratores re ip ſa cogebantur, ante alia omnia de ſe loqui, cur dice-rent: ſic Cicero pro Sex: Roſcio Amerino, quam ora tionem habuit ad Iudices primam: & pro lege Ma/nilia,

nilia, quæ fuit ad populum prima. Sumendum igitur principiū uel ex te, aut rebus tuis: uel ex illo, aut rebus eius: uel ex re ipſa, de qua ſcribis: idq; tanquam exordiolo. Ex te ad hūc ferè modū: Semper te amaſſe & coluiſſe illū, ubiq; optimè & ſenſiſſe de illo, et dixiſſe, dolere quod tam diu illi ignotus, aut tenuiter notus fueris, quem ita ſis ſemper de ingenio ac uirtute admiratus: aut dolere, quod in animum eius inciderit ea ſuſpicio de tua in eum uoluntate, quā tu amicitiam illam ſemper inter præcipua tua bona numeraris: allegabis, ſi potes, documentum aliquod amicæ tuæ uoluntatis erga illum: culpam reijcies in eos, qui ueſtræ amicitiæ inuiderunt: aut in illum ipſum ſcilicet, ſed modeſtè, & ſine aſperitate: aut in tuam imprudentiam ac ætatem: aut apertè culpam fateberis; ſi ita res poſcat: pœnitere te, & daturum operam, ut re ipſa ſentiat, quemadmodum ſis iam affectus erga illum. A rebus tuis, amicitiam cōmunem cum aliquo demonſtrabis, aut paternam. Ab illo, ingenium, literas, humanitatem, uirtutes, quas es in eo admiratus; adduxiſſe te ad ſcribendum, ut in conciliatorijs: ignotus es, ſed ille omnes incredibili humanitate complectitur, aut cupiditate beneficiendi: tū literæ eius, aut prudentia effecerunt, ne ipſe aut cuiquam eſſe poßit ignotus, aut quenquam putare debeat ignotum ſibi; aut ad ſe nihil pertinere. Idem de potentia, ut duci, ut regi, ad quem tanquam ad aſylum accurendum eſt: nec diſcernendū quis notus, quis ignotus. Omnes ſunt ſatis noti, qui ſe illius curæ crediderunt. Efficiendum potißimum, ut magis uideantur uirtutibus illius adducti,

Epiſtolæ principium.

adducti, quàm allecti fortuna: & in commemoratione uirtutum, ne ſit ſpecies ulla aſſentationis: ſed id oſtendemus nos habere compertum, uel in nobis, ſi quo affecti ſumus beneficio ab illo, uel audiſſe ab ijs qui experti ſunt, uel cognouiſſe nos ipſos, uel uidiſſe, ita teſtimonium aliquod afferemus ex opere: ut in uiris doctis, ex libris ab eis editis: orationibus habitis, prælectionibus, diſputationibus: & ea maximè commemorabimus illius bona, quæ ad rem, de qua ſcripturi ſumus, aptißima fuerint: ut clementiam, ſi petimus ueniam: humanitatem, ſi amicitiam: liberalitatem, ſi beneficium: prudentiam & probitatem, ſi conſilium. A rebus ipſius uelut à communi amicitia, à paterna: à rebus de quibus ſcribimus, ut rẽ eſſe honeſtam, doctam, argutam, ideo dignam de qua ſic illi ſcribatur: aut neceſſariam, ideo coactos eſſe nos ad eum tanquam ad aram confugere: uelut ob fortunas ad diuitem, ob iuſtitiam ad Iudicem, ad Regẽ ad Magiſtratum: maluiſſe nos uicij, cuiuſuis ſuſpicionẽ ſubire, tametſi nobis grauißimam in animo duntaxat illius, quem nos tanti facimus, quàm non ſcribere: neceßitatem fortißimũ eſſe telum, cui nemo reſiſtat: & honeſtius eſt, quum id fit pro altero: aut rem eſſe eiuſmodi, ut quum eam pernouerit, non te uel temerariũ iudicet qui ſcripſeris: uel confidentem, ſed uirũ haud quaquam malum, & in rebus bonis animoſum: contrà potius iudicaturus eſſet ſecordem te, ſi neglexiſſes. Eſt etiam apud amicum excuſandum, cur de re aliqua ſcribas, de qua poteras corã agere. Cicero Lucceio: Coràm me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem,

tem, deterruit pudor quidam penè ſubruſticus, quæ nunc exponam abſens audacius: epiſtola enim nō erubeſcit. Hæc eſt prima coitio, quæ, ut ille dicit in Comœdia, accerrima eſt: cætera ſunt proniora poſt hāc, & magis expedita. Ideo prima epiſtola uehementer eſt elaborandum ne apud nouū erga nos animū in ſuſpicionē ueniamus cuiuſquam uicij, aut impudentiæ, aut arrogantiæ, aut loquacitatis, aut oſtētationis, aut uafriciei, aut pudidæ affectationis, aut immodicæ aſſentationis & paraſiticæ, aut ſcurrilitatis, aut imperitiæ, aut imprudentiæ. Plurimū enim in prima cōpactione poſitū eſt, ſicut in uaſis teneris adhuc & mollibus, quū coaleſcunt: Nec puto quenquā admonendū eſſe, nō omnia omnibus cōgruere: uidendū cui poſſis admirationem de ipſo tuam allegare, cui paternum hoſpitium, cui curam ſubditorum: quod ſi nihil habes, quare ſcribas excuſandū: tum contemplabere, qui ſit ille cui ſcribis, nam hinc tota epiſtola temperatur. Ad fortunatum & ſuperciliosum, reuerētius, modo abſit aſſentatio: ad moroſum et aſperum, partius & leuius: ad rudē aut hebetē, apertius: ad ingenioſum, accuratius, & maiore apparatu, ſi eo delectatur, et ſic ſe uenerari arguit: docto ad antiquitatem accōmodatius, ad occupatum breuiter, ad ocioſum fuſius, ſi rem nō ingratam facturus es: ad hilarem lætè, ad humanum minus ſcrupuloſe & anxiè: ad ſeuerum ſubtriſtè, ad remiſſum iocoſe, ad mœſtum mœſtè, ad amicum certum apertè, & cum magna fiducia, ad incertum dubiè: ſed ſic, ut ſe credat diligi, & diligas reuera: hoc lex naturæ, hoc melior naturæ lege Chriſtus iubet:

ita ut ingratitudinis ille ſeſe damnet meritò, ni reddamet: ad inimicum, ut cogites amicum poſſe fieri, & apertus ſemper paratusq; maneat reditus in gratiã: ut abſit omnis aſperitas, & manſuetudinem quandã animi exeras etiam in inimicum: & præſtabit meminiſſe profeßionis noſtræ, qua uetamur quenquã odiſſe: ita ut emendatum illum oſtẽdas cupere te, non perditum: & uicium odiſſe, amare hominem: ad parem & charum, ſimpliciter ac familiariter: ad minus familiarem, cautius & comiter, citra deiectionem: ad inferiorem, humanè, ut non uidearis loqui ex alto, ſed ex æquo, uel infimis: hoc boni mores ſuadent, hoc pietas ſacroſancta præcipit: exempla erunt uſu facilia. Omnino tollendum eſt è uita genus illud epiſtolarum fallax, inſulſum, ineptum, quo ſigna omnia uoluntatum confunduntur: adeò blandum et aſſentatoriũ, ut nullo penitus modo ſcribentis poßit animus dignoſci: quales ſunt epiſtolæ, quæ nominantur aulicæ, & bene educatæ: nam humanus cogitatus tanta mole corporis contectus, impenetrabilis eſt, profertur quadantenus ſermone: quod ſi hic quoq; fictus ſit penitus & cõtectus, quid reliquum ſit ad hominem noſcendum? qualis erit hominum communicatio, & ſocietas inter ſe, quum nemo beneuolum et maleuolum diſtinguet, & lupum ad ſe recipiet pro ouicula? aut hanc fugiet, lupi ſæuitiam formidãs? ſed hæc alterius ſunt inſtituti. Iam de rebus epiſtolæ.

Epiſtolę aſſentatorię ſiue aulicæ.

DE REBVS EPISTOLARVM.

EPiſtola quaſcunque res poteſt continere, ſed nos proprius ad rationem præceptorũ, in aliquot eam gene-

genera partiemur: pingui quidem & rudi Minerua, ſed ad captum tyronum appoſitè. Nam uel de rebus ad nos ſpectantibus loquimur, uel ad eum cui ſcribimus, uel ad utrunque, uel de alienis. Sunt in nobis, ut in omnibus hominibus, animus & corpus: ſunt externa. In animo, mens: in qua iudicium, ſagacitas, ingenium: & in hoc acumen, celeritas, hebetudo, tarditas, eruditio, ruditas, memoria, theſaurus eruditionis, & rerum omnium quæ uidimus, quæ audiuimus, denique aliquo cepimus ſenſu, ſiue exteriori, ſiue interiori: in eadē facilitas, difficultas, firmitas, imbecillitas: eſt etiam uoluntas, in qua expetitiones & fugæ rerum, tum bonarum tum malarum: ſub his partibus affectus læti in re præſenti, & triſtes, & utrique in re futura & præterita. In corpore, quæ ad extremam cutem, color, ſpecies, aut deformitas: quæ in neruis, robur aut infirmitas: quæ in intimis, ualetudo: quæ ad totum, pulchritudo aut fœditas: tum quæ ad id ſuſtentandum, uictus. Extra nos ſunt pecuniæ, ueſtimenta, deniq; omnia quæ poſſidentur: honor, dignitas, genus, acta, amici, patria, inimici, infamia, & poſt nos poſteritas. Ergo epiſtola uel ad nos pertinet in commemoratione alicuius rei, ex iis quæ diximus uelut in ingenio, enarratio noſtrorum ſtudiorum: in memoria, gratiarum habitio, uel actio: in uoluntate, explicatio morum: in affectibus, ſi qua re ſumus commoti: in corpore qua ualetudine, in externis qua fortuna, quid amici pro nobis egerint, aut non egerint, aut inimici nocuerint aut tentarint. Itaq; uel aliquid cupimus in ingenio, ſicut auxiliū eruditione aut pru

Animi res.

Corporis res.

Externa.

dentiæ: in memoria, cognitioni rerum: in uoluntate, moribus aut pietati: quæ ſunt Conſolatoriæ: in affectibus, beneuolentiam conciliare, quæ eſt conciliatoria: aut fouere, aut augere cõſeruatam, quæ eſt officioſa: aut querelam uel indignationem apud illum effundimus: in corpore remedium, aut conſeruationem ualetudinis, aut firmitatis: uel pertinet ad uictũ, quæ ſunt partim ex conſultorijs, partim ex petitorijs. In rebus externis, omnes quibus aliquid cupimus, uocantur Petitoriæ, quæ de pecunia, dignitate, honore contra inimicum, ſi auxilium imploratur: pro amico autem, nominatur Commendatitia. In illo ſcribimus, aut aliquid eius narramus tantum, aut etiam laudamus, quæ eſt Panegyrica: aut ad uoluptatem, quũ iocamur, aut fabellam referimus, quæ illum exhilaret, aut ad commodum eius pertinet: quales ſunt præceptoriæ, conſultoriæ, hortatoriæ, admonitoriæ, caſtigatoriæ, gratificatoriæ, de rebus omnibus, de ingenio, de memoria, de corpore & rebus eius: de externis, quæ ſunt conſolatoriæ & incitatoriæ, quæ ad affectus tendunt, & aliæ quibus affectum aliquem uel excitare conamur, uel excitatũ ſedare. Ad utrunque ſpectant, quæ de communibus rebus, & de communi eruditione, de communibus negotijs: quales ſunt mercatorum, expoſtulatoriæ, inuectiuæ. Alienæ ſunt, quum refertur quid geſtum uel in aliena domo, uel in aliena republica, quid quis dixerit, egerit, cogitarit: & loquor ad ſenſum gentilium, nimis iam à nobis receptum atq; approbatum, qui præter ſua & amicorum, ciuitatisq; publica, reliqua à ſe aliena exi/

Conſolatoriæ.

Petitoriæ.

Comendatitia.

Panegyrica.

exiſtimabant eſſe. Quanto rectius, & ad naturam propius, ſenex ille in fabula, ad ſe cruciantē: Homo *ſum, humani nihil à me alienum puto.* Admiſcentur *uerò narrationes illiuſmodi, omnibus epiſtolarum generibus, & fiunt miſtæ epiſtolæ, quæ omnia ſint à me dicta uelut exempli gratia. Quis enim aut uniuerſa complectatur, aut perſequatur ſingula, quæ ſunt infinita? meritoq́; Philoſophi negarūt de ſingularibus, utpote innumeris, eſſe ſcientiā. Sed nos iam uſum incipiamus tradere. De noſtris rebus dicemus modicè, modeſtè, pudibundè, parcè, ut abſit ſpecies omnis arrogantiæ, quàm ne in maximis quidem uiris ferimus: uideturq́; uelut uenenum, quod res alioqui pulcherrimas ſuperfuſum corrumpit. Ad eūdem modum ſi de iniuria uel cōtumelia noſtri querimur, aut omnino uerba facimus, ne uideamur cæci amorē noſtri rapi (quod uitium Græci* φιλαυτίαν *nominant, contrarium Apollinis præcepto, quo admonemur, ut ſe quiſque norit) ſed duci iudicio: ita ne multum detrahamus illi, de quo querimur, dum nobis indulgemus, ne illud audiamus de Satyra: Quum tua perui deas oculis male lippus inunctis: Cur in amicorum uitium tam cernis acutum, quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurus? Ita rem non exaggerabimus uerborum atrocitate, ſed ciuiliter omnia explicabimus, & manſuetè. Scribere uerò nos ad illum potiſſimè dicemus, quod pro ſummo noſtro mutuo amore libenter curas omneis, cogitationes, affectus, læta & triſtia in illius ſinū deponimus: id eſſe nobis unicum leuamen anxietudinū. Si petimus, aut rem honeſtam,* Honeſta res uel media quo modo petēda.

aut mediam: nam turpem nec decet bonum uirum petere, nec petitam concedere: honeſtam uoco, conſilium, amicitiam, admonitionem, inſtitutionem: mediam uerò, & quaſi neutram, pecuniam, fauorem, adiumentum pro nobis, aut amicis. Adſit in petitione omni pudor (nam inferiorem ſe facit, quiſquis rogat) ſed in alijs rebus, & apud alios, maior aut minor. Rem honeſtam liberius petemus, & audacius: modò ne admiſceatur imprudentia, & uelut imperioſitas quædam, tanquam non roges, ſed imperes: quod in Bruto culpat M. Tullius. Oſtendes, cur petas, cur ab eo potiſsimum: nam ſi cauſa non ſit petendi, uidetur res inſolens aut arrogans, aut inepta & ſuperuacanea petere: uelut ſi uetula, uel auriga, à magno Theologo rogat explicari ſibi myſterium trinitatis, ut ab Auguſtino traditur, uel Hilario. Tum, cur ab eo petas, quod plurimum in ea re ualeat: ſcire te, illum non negare alijs, minus negaturum tibi amico, beneuolo, admiratori. Ad ſimilem modum in cõciliatione amicitiæ, eſſe te admiratorem linguæ græcæ et latinæ, quæ quũ in illo ſint exactiſsimæ, cupere te eſſe illi perfamiliarẽ: porrò illũ talem eſſe, ut humanitate illa inexhauſta uniuerſos ad ſe alliciat & complectatur. Apud amicum, aut hominem ualde humanum ac facilẽ, quiq; ſolet libenter eiuſmodi præbere, quæ nos cupimus, breuius licebit agere & ſimplicius, oſtẽſa fiducia ex amicitia noſtra, aut illius moribus quæ fiducia ualet etiam apud leuiter amicos, ut præ nobis feramus magnam beneuolentiam, ex qua oritur eiuſmodi fiducia. Nam indignantur ſæpenumero amici,

magnis

magnis & ambitioſis precibus aliquid ab ſe amicos contendere: ſuſpicantur enim illos non ſatis amare aut confidere amori mutuo. Quod ſi in rebus honeſtiſsimis attingendum, cur petas, & cur ab illo: quanto id magis faciendum eſt in re media? in qua erit adhibenda cura paulò maior. Sed id quoq; ex perſonis temperandum eſt, eius ad quem ſcribitur, & qui ſcribit: quippe ſi ſit pater, aut frater, aut chariſsimus, aut qui debet, aut qui ſemper ſolet: nihil opus eſt magno uerborum ambitu, niſi res ſint mutatæ, ut duriora et difficiliora tempora, iactura rei familiaris, te factum minus amabilem, aut quid tale. Diſcipulus incunctanter petit à magiſtro, quæ ſunt inſtitutionis: priuatus à magiſtratu, quæ iuris aut æquitatis: doctus à potente uel principe, alimenta ocij literarij. Nam ſi ab his non petat, qui dabunt? ſartores'ne & rhedarij? tum quod doctus adiuuat principem bonis monitis, princeps doctum fauore ac pecunia, uterq; qua re pluri-mum ualet. Sin alienior ſit, & non adeò familiaris, oſtende aliquid cur dignus ſis, qui impetres. Ex te, quoniam amicus, aut quod amaſti ſemper, aut ad illum maluiſti accurrere quàm ad alium quemuis: cui mauis, uel quod tantum amas, uel ob eius probitatē, debere hoc tantum beneficium, quàm ulli alteri: uel quòd plurimū ei debes, ideò plus uelis debere: quod eſt ingenui (ſicut Cic. ait) animi: aut quoniam debere omnia graue eſt, malle te bonis debere, quàm indignis: ita enim fit leuius: aut ſi in eum tua ulla extant beneficia, leuiter admoneas, & parce citra exprobrationem: declara quantum te deuinciet, quantam

Rei mediæ petitio.

habiturus ſis ſemper gratiam, quomodo obſeruaturus ſemper tempus, ut remunereris, ſi qua poßis: nõ ſolere te ingratum eſſe, uel minimis beneficijs, aut officijs: quanto minus futurum in hoc tanto, aut tali tempore. Nam petentis gratitudo uehementer elicit dantis benignitatẽ. Si cui opus fuerit, habet ea quæ ſunt in perſona. Petimus propter genus, propter patriam, propter communionẽ ſtudiorũ, propter magiſtratũ, propter amicos, propter inimicos, præſertim communes: hoc ſe rogare, quo eget, ut communium inimicorum audaciam compeſcat, & calumnias retundat: quod eſt telum acerrimum, animo præſertim affecto. Tum ex cauſa, te hoc petere in alimenta ſtudiorum, liberorum, coniugis, aut amici pauperis. Ex illo: noſſe te liberalitatem eius, præſertim in eos, qui ob eiuſmodi cauſas petunt. Illum ſcire quid ſit ſtudere, quod rebus ſit opus, aut quid ſit familiam ſuſtinere: ideò didiciſſe miſeris ſuccurrere, non ignarum mali: deniq; ſi nihil ſit in nobis dignum, ob quod petamus, illum certe eſſe dignum, quod det: hoc ei fore pium, honorificum, laudabile, hoc ſemper ſtuduiſſe, in hoc ſubijſſe tot labores, paraſſe tot opes, ut plurimis prodeſſet. Et hæc dicẽtur ambitioſo reuerẽtur, graui contractè, læto fuſius et hilarius, ſic tamen, ut ne nimium miſeriam noſtram uideamur uelle oſtentare, et quaſi clamare, dignos eſſe nos miſericordia, ut exiſtimemur imbecille nimis atq; impotenter ferre noſtras res aſperas: ſed obniti & reluctari, quantum poſſumus, premi tamen interdum ab illis atque urgeri: ſic enim natura fert, ut minus miſereamur

eorum,

eorum,quos abijcere ſe in aduerſitate cernimus,& nimis lamentari ſuam fortunam, tanquam rem diſgnißimã patiantur:ita ſemper honeſtiores ſunt pro alio lachrymæ,quàm pro nobis ipſis,niſi fortè ignoſci nobis precamur.

DE EPISTOLIS COMMENDATITIJS.

PRo alio quum petimus, ſi argumentum eſt ſimile ſuperioribus,ad eundem ferè modũ tractatur,quo docuimus. Commendationis uerò hæc ſunt præcepta.Primùm omnium, ut dignum oſtendamus hunc eſſe illius gratia & fauore: dignus fit uel ex cõmendato, uel ex nobis qui commendamus, uel ex eo ad quem ſcribimus. Ex commendato,ſi demonſtramus in eo eſſe aliquid,propter quod mereatur diligi:percurrendum per ea,quæ in perſona poſui:nempe genus,quia nobilis patriam,quia Romanus:ingenium, quia feſtiuus,acutus,Græcus,Latinus, Muſicus, Philoſophus,Theologus,uir prudens,& multis in negotijs uerſatus:animum,quia probus,modeſtus,moderatus, & cum primis gratus, ſi quid ei beneficeris:tum corpus, quod agilis,celer, formoſus, robuſtus.Iam externa,quod prædiatus,pecunioſus,gratioſus apud regem,apud multitudinem,magiſtratus. Et accõmodanda ſunt hæc moribus, atq; uſui illius: delectatur cognitione ueteris memoriæ, hic eſt eius peritißimus:claritate generis,hic eſt nobilis: ſtudio armorum,fortis,robuſtus,exercitatus:ſic nonnunquam commendatur nugator nugatori,aleator aleatori,commeſſator commeſſatori, compotor compotori:

Cõmendationis præcepta.

Ex commendato.

tori:habet multos agros,hic agricula:componit, hic optimus liberarius:eget miniſtro,ad manus hic dili/gens & fidelis,& is qui ſemper illum dilexit,admi/ratus eſt, appetiuit: natura enim diligimus illos, à quibus amore ſumus prouocati. Solent illa addi:ta/lem eſſe ut ſi propius cognouerit,ſit nobis habiturus gratiam, quod talem ſibi hominem conciliauimus: non uereri nos, ne mēdaces in huius laudibus depre hendamur, ne'ue incutiant nobis peccata aliena pu dorem:cautos nos eſſe in laudando,non conſueuiſſe niſi tales cōmendare:ecquid pœniteat eorum, quos ſua commendatione eſſet complexus? multo minus huius, quin & hunc omnes ſuperaturum: aut non eſſe hunc huius aut illius ſimilem commendati qui/dem, ſed commendatione indigniſſimi,in illo cepiſſe nos documentum, quales demum commendari con/ueniat. Ad eundem modum alia ornamenta,quæ u/nuſquiſq; dato exemplo excogitare ſibi poterit,uſus quoq; ipſe plurima ſuggeret. Ex noſtra parte,ſi nos ille amat,cui ſcribimus:nec ficte ſufficiet aperire,il/lum cuius cauſa laboramus, charum nobis eſſe, & illius negotium magnæ curæ exponitur ſæpe amoris cauſa, tum ut ille facilius hoc credat,uelut intercede re uetus hoſpitium,multa ultro et citro beneficia uel officia,affectum à nobis beneficijs gratiſſimū ſe præ buiſſe,nos eo uti familiariter,compluribus locis pro fuiſſe:nonnunquam ut eiuſdem de rebus ab illo dili/gatur,& ſuum iudicium adiungat noſtro,præſertim ſi quid ille nobis in iudicando tribuit:ſin minus,affe remus teſtimonium eius cui magnā ille fidem habet:

charus eſt nobis de eloquentia, de ingenio, quod ille, ſi quid me credis poſſe in hoc cenſere, habet in nu-merato: literas latinas iuxtà & græcas nouit, ut ne-minem uideat Eraſmus & Budæus, *quem poßit huic anteponere, aut etiam conferre.* Solent *illa quoq; in ſeri: in hoc nomine intelligam, quantum me ames, quanti me facias: da quæſo operam, ut hic quàm pri mum, quàm maximas mihi pro commendatione hac gratias agat, habeatq;: caue credas hanc eſſe ex uul-garibus commendationibus: non ut alium quemuis tibi commendo hunc, ſed ut ex me genitũ commen-darem, ideoq; & mea ipſius manu hoc epiſtolæ exa raui, quod facere conſueui rarius: omnes, quibus te-cum eſt negotium futurum, ad me accurrunt, quod ſciant quanta inter nos beneuolentia intercedat, aut quanti ego te faciam, uel tu me: ſuſpicãtur plurimum apud te ualere, quod ego eos credere facile patior, & ne hunc errorem eximã, qui eſt mihi gratißimus atq; honorificentißimus, nemini epiſtolas cõmenda-titias negare poſſum, petenti ad te.* Habent *principes & potentes uiri, ſigna quædã inter ſe, quibus digno-ſcunt, quàm uere & ex animo cõmendet, qui ſcribit: nam ſæpe commendationes dantur importunis pre-cibus, non amicitiæ, aut dignitati perſonæ: nec licet interdum recuſare: unde ſunt illa,* Rogatus *rogo,* Af-*ficio te moleſtia, quoniã affectus ipſe prior, tu quid facto ſit opus, uideris, multum huic homini debes, qui ſic cupit tibi eſſe cõmendatus, ut odio me eneca-rit, donec id extunderet, tãti ſcilicet te æſtimat, quum ego diu repugnarim: hæc ſigna epiſtolaria, &* Græ-

cis

cis olim & Latinis hominibus fuerunt in uſu. Græci συνθήματα ἐπιστολιμαῖα *nominabant, ſicut eſt apud* Gregoriū Magnū, Cicero *etiam ad* Qu. Valeriū *lib.* 13. *Adijcitur non raro cōmendatio rei potius quàm hominis, ut quod habeat negotium iuſtum, pium, illi cui commendatur magnificum, glorioſum, plurimis utile. Reipublicæ ſalutare ac neceſſariū: nos magis laborare in hoc, illius ad quē ſcribimus cura, quam eius quem commendemus: fore eam rem illi honorificam, aut fructuoſam: eo beneficio ingentem ipſi fauorem ac beneuolentiam uel utilitatem parari, aut ipſi eidem, aut ijs quibus optime cupiat, nempe liberis, propinquis, affinibus, ciuibus. Declarabimus quid poßit is quem commēdamus, ſuo loco efficere, quid ſoleat, quid eius parentes aut propinqui, quid alij eiuſdē ordinis aut nationis. Si nos ſumus illi cui ſcribimus charißimi, aut non leuis momenti, nequaquā opus eſt prolixa epiſtola, et accurata, breues qui dē uelut codicilli, & tanquā teſtificatio iudicij ac uoluntatis noſtræ ſufficerint. Sin ſecus, paulo pluribus erit diſſerendū, & preces addendæ, & promißio rependendi beneficij, quū uſus poſcat. Exempla cōmendatitiarū ſunt apud Ciceronē et Pliniū creberrima.*

DE REBVS EIVS AD *quem ſcribimus.*

I*N alterius rebus ſic ſemper ſcribendū, ut uideantur nobis curæ eſſe. Si tantummodo narras, nullo ad eam rē apparatu uel arte opus fuerit, ſimpliciter id poteſt expediri. Sin laudas, ueriſimiliter id facito: et ea laudato, quæ ſint illi tanquā ſtimulus ad uirtutē.*

Nam inuenire eſt ingenia nõnulla, quæ laude ad præclara opera incitantur, iſtis adhiberi laudē expediet: ut ferunt equũ plus pingueſcere, ſi plana manu dorſum & clunes eius demulceas, quàm pabulo. Sunt cõtra alij, qui accepta laude, uelut mercede, ab opere deſiſtũt: illis proderit laudatio; his caſtigatio uel reprehenſio. Sed quũ rem illi charã laudamus, licebit nobis eſſe benigniorib. ſi tamē ea res exiſtimationi nõſtræ nocitura nõ eſt, nec laudatæ rei, ut filio uel amico. Fabellæ, aut geſtæ rei narratio, feſtiuitate cõdietur, ut multũ abſit à cothurno et figuris hiſtoricis: repet leui lapſu, ut placidus riuulus: nõ rapietur, ut torrēs: nec intonabit claßicũ, etiã ſi bella referat. Quid in iocis ſequendũ, docuit Cicero lib. de oratore 2. & de officijs 1. Eſt & caput apud Quintil. de riſu, item apud Quintil. de riſu, itē apud eundem Ciceronem in libris de Oratore. Debet à iocis abeſſe omnis ſcurrilitas, ne ſordidi ſint et putidi: procacitas etiã et petulãtia, ne uirulētia ſit magis quã iocus, neu in miſerum & calamitoſum ſimus dicaces, néue in probum & grauem uirum: nihil eſt facilius quàm in quemuis dicta dicere: ſed id nõ eſt cordati hominis, & educati ingenuè. Debent ergo adeſſe iocis elegãtia, urbanitas, acumē et facetiæ: in quibus eſt ſedes riſus, nam in alijs admiratio potius eſt, aut delectatio. Longa res eſt, de ſingulis horũ præcipere, & hoc loco, quũ eam rē neget Cicero arte tradi poſſe, quod planè ita eſt: quippe tametſi paratur nõnihil uel exercitatiõe, uel lectione: tamē maxima pars naturæ eſt, munus. Idcirco cognoſcat ſe quiſq;, & ſi ad id non eſt natus, nè

tentet quidem: ſequitur enim neceſſariò ut ipſe ſis ridiculus, ſi nō ſint tua. Qua de cauſa Demoſthenes, cui putāt negatam fuiſſe hanc facultatem, nunquā quod iocum uideri uellet, orationibus ſuis admiſcuit. Et ex facetijs ſunt aliæ breues, quæ in uerbo uno, uel duob. certe paucis ſunt ſitæ, quæ dicta nūcupamus: aliæ fuſæ in narratione, atq; explicatione rei cuiuſpiā. Illud prius genus à paucis intelligitur, niſi acuto ingenio, unde uetus illud, Perdidi dictū, puto, nō intellexit: poſterius iſtud, imperitis auribus aptius eſt. Sunt qui iocū nec dicere poßint, nec ferre. Et quoniā uel ſuperbia humani ingenij, uel generoſitate nemo facile fert nouū ſuperiorē, hæq; omnes epiſtolæ, præceptoria, admonitoria, cōſulatoria, adhortatoria, caſtigatoria, obiurgatoria, tanquā ex alto loquūtur: ideo conſiderandū accurate qui ſcribat, cui, qua de re. Si receptus ſuperior, nihil neceſſaria erit præmolitio, aut dulcoratio: tanq̃ ſi ſenex & prudēs admoneat puerū, aut præceptor diſcipulū caſtiget, uel etiā obiurget: uel pater filium, uel frater natu maior fratrē minorē, uel puſillū tutor: uel princeps ſubditos, aut priuatos magiſtratus, modo ſuperior. Nam obiurgari pop. Romanū à Cenſore licebit, à quæſtore aut Aedile neſcio an liceret. Sed fit interdum publici boni gratia, qui eſt ualidißimus prætextus. Si uerò par admoneat parē, uel ſuperiorē inferior: uel par aut inferior in una re, ſuperiorē in alia, uel contrà, quemadmodū ſenex probus iuuenem nobilē, aut locupletem, aut doctus Theologus indoctū epiſcopū: hic lenimentis opus erit. Conſiderandum ergo, ut dixi, qui ſcribat: unde ſumūtur leni-

men-

menta: non eſſe mirandũ ſi ſenex, & tot annos uerſatus in ea re, qua de agitur, admoneat iuuenẽ, ſic illum minores ſe quandoq; admoniturum: ſe id debere facere pro publico munere, quippe qui ſit cõcionator, aut magiſtratus, aut curio. Tum qui ille cui ſcribis, non poſſe te reticere, quum ſit amicus paternus, quum ſit uelut tuæ curæ cõmiſſus, pro neceßitudine patris & tua. Ab ingenio: nõ poſſe te abductũ tanta indole & acumine ingenij aliter efficere, quin admoneas, quin cõſulas, quæ ad abſoluendũ numeris omnib. tale ingenium pertineãt, deſiderari tantum hoc ad ſummum ingenium: rogare te, ut id quoq; præſtet, quo magnũ quid et admirabile in eo uideamus. Sic in corpore formam illius ſpecioſißimã, quæ eſt uelut muta commendatio, impulſiſſe te, ut cætera uelis uidere cõformia, et digna illa pulchritudine. Iam corpus et fortunas: uel adductũ te miſeratione diſtorti et deformis corporis, ut cupias illum ingẽti pulchritudine animi deformitatem corporis penſare, & quaſi obtegere: tanto etiã futuram admirabiliorẽ animi pulchritudinem, quanto fuerit in uaſe fœdiore: ut precioſam gemmã in plũbo, theſaurũ in fictilibus: ſic Aeſopum, & Socratem, et Epictetum in maximo precio fuiſſe. A rebus uitæ: optare te, ut tãtæ fortunæ reſpondeãt cætera: aut contrà, ne deſit animus, quum deſit fortuna. Oſtẽſio uicij grauior eſt multo. Quidam apertam reprehenſionẽ non ferunt, rectã non ſentiunt, laudes figuratas et de ſuis ipſorum uitijs accipiunt & agnoſcunt: tanta eſt in eis ſuimet ignoratio. Sunt nonnulli eo acumine, ut omnia quorſum dirigantur, intelligãt: ſed repreben-

di ſe tamen nolunt, alij facile patiuntur reprehēdi ſe atq; obiurgari, ſed nō à quouis. Planè uarijs inge/nijs, ut corporib. uaria eſt adhibēda medicina: quod animaduertimus etiā ab Apoſtolis ipſis factitatū, in ſtudio illo tam ardenti obtemperandi Deo, non pla/cendi hominibus. Qui ſimpliciter poteſt ſanari, cum eo ſimpliciter agendum. Si laus de uirtute, quam nō habet, prodeſt, laudetur: quales ſunt nonnulli Princi pum & potentum & doctorum atq; ingenioſorum hominum. Si non à quouis admoneri ſe patitur, nec tu ſatis magna autoritate fultus, inducas maiorē: dic eſſe uiros graues, qui cū in eo magna & multa bona admirentur hoc uel illud requirāt: eſſe qui doleant il lum cum exceptione laudari: te uerò ſuſcepiſſe illorū negotium, ut ad eum ſententias eorū perferres: quod ſit tibi cum ipſo neceßitudo, quod frequēter ſcribas, aut quod ſis cōiunctior conſanguineus, affinis, uetus ſodalis, cōdiſcipulus, cōterraneus, ciuis, ſubditus, cli ens, uetus aſſecla, aut horū filius, uel alioqui neceſſa rius. Sin laudibus inſoleſcit ac fit inſanior, atq; ad a/pertā admonitionē eſt uelut aſinus ad lyrā, ſi omni-no curæ eſt tibi eius emēdatio, rūpe quod aperire nō potes, & diſſeca quod nequis diſſoluere: ſimpliciter aperteq; obiurga, tū certe functus fueris tuo mune/re, aut ſi periculū adeundū eſt, quid amplius aut ma/gnificētius, quàm pro optima cauſa? licebit rationes oſtēdere, quib. impulſus es ad hoc agendū, ut chirur gi declarāt, cur aliquid in ægro corpore urendū aut ſecandū ſit: nihil omnino à te, ſed uel ab illo, uel à re bus: quod ſit tam charus, quod tibi cōmendatus, tuæ

curæ creditus,uel à parentibus,uel à Chriſto,uel à ci uitate: ut malis illũ tibi inimicũ,quàm non omnino bene monuiſſe. A *rebus:quod illud eius uitiũ damno ſit multis,quũ ſit epiſcopus,curio,magiſtratus,*Rex, *& in* Chriſtiana *religione: modo adſit modeſtia,& præſcriptũ illud* Domini *de fraterna correptione,ne mo nõ ſatis habet iuris in quemuis alium fratrẽ.*Nã *ſi inter eas anguſtias uerſemur, ut difficile ſit gratũ temperamentũ obſeruare,habemus* Apoſtolorũ *exẽplũ ex ſchola Chriſti,qui recta egreßi,* Deo *curabãt approbari ſe,quẽcunq; mortaliũ offenderent.*Quod *ſi omnino profuturus non es,ſed magis iritatiõe tua & tibi nociturus,& alijs cõſultius erit Camarinam non mouere,non ſolum ex gentiliũ præceptis,quorum illud eſt:(*Fruſtra *autẽ niti,neq; aliud ſe fatigando niſi odiũ quærere,extremæ dementiæ eſt) uerum etiam exemplo et dictis* Seruatoris *nõ eſt prætermittendum,quin aliquid ſemper dulcedinis amaritudini admonitionis admiſceamus,idq; à laudib.illius cætera adeſſe abunde,præter hoc dolendũ,ſic naturam nihil undiq; feciſſe abſolutum:quis nõ miſereatur tale uitium in tali ingenio,aut corpore,aut nobilitate, aut fortunis?* Habẽt *conſolationes ſuum locũ,ut alia penè omnia,quæ hic diximus:ſed quandoquidem ex ſingulis delibamus,de illis quoq; eſt aliquid attingẽdum.*Sumitur *ergo conſolatio,uel ab eo quem conſolamur,non eſſe iſtius generis,non decere tantũ ingenium,ueteris ſtudioſum philoſophiæ: non probũ & pium,non magiſtratum,non principẽ, ſe affictare.* Vel *ex rebus,amiſſam rem nõ tanti eſſe, ut dolorem*

afferat: non eſſe amiſſam, ſed intermiſſam: non perditam, ſed profectam: nondum eſſe amiſſam penitus & deploratam: ſuſtineamus nos, & expectemus exitũ, ne quod ſapiens conſulit, miſeri ſimus ante tempus: multa aliter ceciderunt, quã metuebamus: plura ſunt quæ nos terrent, quàm quæ urgent: ipſum, uelut patrem, filium, aut neceſſarium ægreferre: ſic mœreri ſuam abſentiam, uel cauſam, uel interitũ: illi nihil mali contigiſſe, imò liberatum aſperis et inſuauibus uitæ rebus: profectũ ad beatitudinem ſempiternã, uti ſpes eſt de uita ſanctè & piè trãſacta, uel de genere mortis tam religioſo. Itaq; non illius cauſa ſuſcipi dolorẽ hunc, ſed noſtra: nec oſtẽdere nos illũ amare, ſed nos ipſos optimum illi fuiſſe mori, antequam fieret peior: exoſus erat plurimis, aut miſer morbis, egeſtate, infamia, aut periculum euidens de his: magnus metus de illis moribus: aut tunc oportuniſſimum mori, quũ iucundiſſimum uiuere. aut eo tempore, quum nihil erat amplius uiſurus boni propter cõditionem, uel publicæ fortunæ, uel priuatæ. Iam ex comparatione rei cũ hominé, nõ eſſe regis dolere pecuniã amiſſam: à quo animi magnitudinem, contemptum pecuniæ, tanquã ab exemplari quodã cæteros cõuenit doceri: uel cum facile recuperaturum quod amiſerit, alios non item: non eſſe magni uiri, non philoſophi, frangi humanis caſibus: non flere filiorum mortẽ, quum ſciat genitos eſſe mortales: non caſum amicorum: poſtremò ſi gẽtilis dixit: Placeat homini, quicquid Deo placuit: num non æquius eſt à Chriſtiano cogitari, dici, præſtari? non decet humanam excellentiam inferiorem facere

Rei cũ homine cõparatio.

ſe ijs rebus, quarũ natura eſt domina: hoc enim eſt ex regina fieri ancillã. Ex animo eius: ſuperfluus eſt dolor, ex quo nullum peti poteſt remedium: cõſilium unde petitur, uiolentia doloris perturbari. Tum exẽpla adducenda eorum qui ſapienter, qui fortiter pertulerunt impetus fortunæ: ne hoc factu uideatur uel impoßibile, uel difficile. Sed tranſeamus ad alia. Ea quæ ad utrunq; ſpectant, eo temperamento tractabũtur, ut erga noſtra præſtemus modeſtiam, erga aliena curam, fidem, diligentiã, amorem. Sunt tamen hic expoſtulatoriæ, & inuectiuæ. Poſtulamus non recte eſſe quid ab aliquo actũ, potißimẽ erga nos, aut res nobis charas, in quo genere imperioſum eſt, nimis maleſãctũ dicere, & rem atrocitate uerborũ inſectari: ciuilitatis uerò & comitatis cauſam addere cur queraris, cur illud recte factũ non ſit, et huc ſe ratio conuertat, ut uelis in poſterũ nõ fieri, magisq; ſolicitus uidearis eſſe de futuro, quã dolere de præterito. Sub expoſtulatione continetur exprobratio? turpis quidem illa & uix tolerabilis, etiam quum maxime neceſſaria. Ideo auerſa eſt una gratiarum à duabus, reliquæ illã ſpectãt, per quod ſignificatur, meminiſſe debere qui accepit, obliuiſci qui dedit. Sed interdũ compellit nõs ingratitudo aliena ad exprobrandũ, uel pertractos neceßitate, uel dolore. Itaq; ſic erit moderanda res, ut ne nimium beneficiũ tuum amplifices: uoluntatẽ potius & animum benefaciendi declares ingentẽ fuiſſe. Si ita libet, cõmoueri te quod huic tuo animo animus illius non reſpondeat, præſertim quum tu egeas, & illi adſit copia gratiæ referundæ: aut quod non memi-

Exprobratio.

Gratiarum typus.

nerit beneficij qui tacuerit, qui diſsimularit, quũ de honore, aut commodis tuis ageretur: ſeu, quod omnium indigniſsimum eſt, pro beneficio maleficiũ repoſuerit, qui læſerit adiutus. Expendendum cuiuſmodi fuerit beneficium. Nam quæ ad animum ſpectant, eruditio, conſilia, educatio, minora habentur uulgò, quã quæ ad corpus, aut fortunas: cũ maiora ſint reuera, aut honeſtius exprobrẽtur: maioreq́; ingratitudine ſe alligat, qui præceptori aut educatori gratiã nõ refert, ſi poteſt, quàm qui illi, à quo eſt locupletatus. Illud quoq; diligẽter cauendũ, ne quis uitio cõmuni in æſtimãdis ſuis beneficijs fallatur. Hoc enim non natura indidit, ſed praua conſuetudo, ut unicuiq; ſua uideantur magna et pulcherrima, aliena nõ item. In exprobratione minari ſubtracturum ſe ſua beneficia, non eſt uiro dignũ: ſed potius, ſe non fore ingrati ſimilẽ, nec illius uitio immutatum iri ſuã probitatem: ſed daturum operã, ut nõ minus poſthac ſit bonus & beneficus: quin illi etiã benefacturum, quoties exiſtimarit beneficijs ſuis illi fore opus. Inuectiuæ, ſi ad inſectationẽ uitij, aliosq́; ab eo genere uitæ deterrẽdos parantur, ferẽdæ ſunt: alioqui non uideo, quid iuuet acerba rabie cõgerere cõuitia & maledicta, caninamq́; facundiã exercere, iuxta uerbum Appij Claudij: Ergo mordeat uitia, homini quantum fieri poterit, parcat. Interdũ propter uitium impetitur homo, præſertim obfuturus, niſi coërceatur: ut impius, ut hæreticus, tyrãnus, latro, ueneficus, fœnerator, fur, corruptor eduliorũ, calũniator ſeditioſus, impitus, aut malus inſtitutor. Colore hoc excuſantur

tot

tot orationes Ciceronis in Piſonē, Gabinium, Verrem, Vatiniū, Catilinam, M. Antoniū: tot Demoſthenis in Philippum, Aeſchinem, Midiam. Idcirco ad ea commoda uideatur dirigi tota oratio, quæ erigere conamur, illo homine deijciēdo, uelut nobis chariſſima ſint, ac curæ maximæ: ut religio, patria, ciues, literæ, diſciplinæ. Res quæ ad utrūq; ſpectāt, ſicut fide ac ſedulitate ſunt tractandæ, ita & ſcribendæ quoq;, ut hæ uirtutes in illis eluceāt: quemadmodū nullam cōuenit eſſe epiſtolā, in qua nō uirtus aliqua animi, et grata quædā indoles exiſtat, et quaſi ſe proferat alibi ingenuus pudor, alibi reuerentia, aliàs comitas, aliàs humana quædam & moderata grauitas, tum fiducia erga amicum, fides, beneuolentia, honeſti reſpectus, etiam aduerſus inimicos placiditas, & animi quædam æquitas. Vehementer cauendū eſt, ne quem epiſtola offendamus: id nanque altiſſimè inſidet: propterea quod epiſtola nuda eſt omnino, ac patronis deſtituta: purgator, lenitor nullus ei adeſt: ille autem relegendo auget uulnus, & maledictum interpretando fit acerbius: nemoque eſt, qui non indulgeat ſuis doloribus, eosq; multo eſſe maximos arbitretur, ut ſua ſunt cuique chariſſima. Sic uidemus arctiſſimas amicitias uno ambiguo epiſtolæ uerbulo diremptas: quæ à me de rebus medijs ſint dicta: nā in uirtute & uicio quid ſentirem, dudum aperui. Res alienas ſui narratione licebit comprehendi.

Ciceronis & Demoſthenis inuectiuæ.

Epiſtola nemo offendendus.

DE RESPONSIONIBVS.

DVo ſunt in reſpondendo ſpectanda potiſſimum, quæ ſcripta ſunt ab eo cui reſpondemus, & quo animo. Poſſunt enim res eſſe malæ, aut parum rectæ

in animo bono: tum condimentum eſt eiuſmodi, ut facile condulcoret amaritudinem rerum: laudabitur animus, res ipſas pro illo excuſabimus, nec res poſſe nobis moleſtas eſſe, quarum talis ſit fons, à quo dimanent, mente uidelicet: & leuiter atque amicè admonebimus, ut uerbis illis paulò deinceps circunſpectius utatur, ne tam integer animus à ſiniſtrè interpretantibus per uerba parum cautè ab eo prolata gratiã ſuam amittat. Sin res ſint bonæ, diſsimili animo, quid oberit animum ex rebus cenſere? atque Itaque dicemus, non dubitare nos de animo, quandoquidem indicia eius, nempe res ipſas tales intuemur: hic res cõmendabuntur. Quod factum eſt à Cicerone in epiſtola quadã ad M. Antoniũ de reſtitutione Sex. Clodij, & de liberis P. Clodij. Res ſi ſint in noſtram utilitatem, agemus gratias, & agnoſcemus amici partes, & ſapientis cõſultoris: ſi in rem illius & de nobis eſt dicendum, id fiat parce omnino ac modicè: nam illud Thraſonicũ eſt, Orna munus uerbis. Conuenit huic loco uerborũ quædam comitas: illum cui damus, maiora eſſe promeritum: dolere nos, quod tam effuſe tamq; ambitioſe ſimus rogati: hoc ſolum facere, quod nihil magis licuit uel per facultatem noſtram, uel per illius uoluntatem: quo ſchemate utitur nonnunquam Plinius Iunior: ut de Cornelia, et de filia Quintiliani. Prorſum de nobis ipſis dicemus modicè ac moderatè, & noſtras laudes extenuabimus: ut reuera mortalium omniũ bona per exigua ſunt & prætenuia: quæ uerò nobis tribuentur, referemus uel in benignitatẽ dicentis, uel beneuolentiã erga nos: quæ habeamus uicia, hæc eſſe noſtra propria

pria: quæ autem bona, eſſe Domini: magis teſtabimur nos laudantis probare animum, quàm iudicium: haud falſo amorē fingi cæcū: probitatem illius omnia æqui boni facere, atq; etiā laudare nulla laude digna, quod ſi is error amicitiam nobis & beneuolentiam eiuſce uiri conciliarit, ſeruetur ſanè per nos, neq; eximatur cauſa rei adeò nobis grata: malle nos ipſum in eā partē falli, quàm in contrariā reſpectū ſentire. Interdū pudoris eſt ingenui, nihil penitus ad laudationē reſpōdere, præſertim ſi qua ſunt alia de quib. ſcribi poßit. Sin res ad neutrum ſpectent, aut ſint leuiculæ, declarabimus gauiſos eſſe nos illa cognouiſſe, niſi eiuſmodi ſint quæ ægritudinē animi cieant, ut de bellis: interim agemus gratias: ut D. Bruto Cicero, quod nō paſſus ſit etiam leuicula illa à ſe ignorari. Vicißim & nos ſcribemus ea, quorū eſt ipſe cognoſcendi auidus: ut literato de literis, alijs de bellis, alijs de rebus magnis, inuſitatis, ridiculis, ut erit cuiuſq; uel ſtudium, uel ingenium. Inuectiuæ ac maledicæ epiſtolæ: uel in totū reſpondendū nihil eſt, uel nō ilico, ubi eſt reddita: ſed ſedata commotione illa animi, et refrigerato ardore illo perturbationis: tum expendendum, quid obijciatur, & quibus de cauſis. Si merito reprehendimur, non ſolum parata eſt uenia, ſed laus etiam confitenti delictū, & cognoſcēti, cū licuiſſet defendere: ſin immerito, magna quæritur ex animi moderatione cōmēdatio, quod nō remordeiis morſus: dabitur ratiōe patefacere, cur quicquā uel feceris, uel dixeris: conuicia uerò ſines præter fluere. Si quis oſtēdat retineri ſe modeſtia Chriſtiana, ne maledicta regerat: et ſpectare potius quid ſe deceat,

quàm quid illum, rem faciet pulcherrimã, modo id ſentiat, ne aliud gerat clauſum corde, aliud ore apertum. Chriſtus nõ fallitur, cui mentes noſtræ ſunt perſpicuæ: nec eſt quicquam æque generoſi pectoris, atq; remittere iniuriã. Chriſtianis certo exemplo fit Chriſti, & ingenti mercede: nam ſic quoq; remittuntur noſtra ſcelera à Deo. Porrò quemadmodum epiſtolis moderata quædam comitas ſuaue condimentum præbet, ita redundantia comitatum palatis quidem ſanis inſulſa eſt penitus ac ingrata.

Epiſtolæ comitas.

DE PARTIBVS EPISTOLAE.

Qvod oporteret ſignificari Epiſtola, & eum qui mitteret, & eũ cui mitteretur: idcirco Latini & Græci omnes ſtatim initio, ſcribẽtis, & eius cui ſcriberet, nomen ponebãt: prius eius qui ſcriberet, hoc enim natura prius eſt, indicari quis faciat, quàm cui. Nam ſalutationẽ illam, Parmenonem ſummũ ſuum plurima ſalute impertit Gnatho: uel metrum excuſat, uel paraſitica conſuetudo: quæ etiã illic, ſicut in alijs omnibus, ad riſum captandum ludebat. Donatus comicum eſſe dicit, ac feſtiuum, & paraſiticæ elegantiæ. Sic etiam in Perſia Plauti: Salutem dicit Toxilo Timarchides, & familiæ. Nec minus eſt paraſiticum, Domitiano Martialis S. uel certè inſolentiſſimæ arrogantiæ principis, qui id exigebat. Excuſat Auſonius ad Paulinum, quod nomẽ illius præpoſuiſſet ſuo: Paulino Auſonius, metrũ ſic ſuaſit, ut eſſes Tu prior, & nomen prægredererе meũ. Nomen in calce epiſtolæ ſubſcribere, natũ eſt ex ſubſcriptionibus, quas olim principes addebant diplomatis: quarũ meminit Suetonius in Nerone. Poſt ubi

acrius inuaſit animos oſtetatio nobilitatis, unuſquiſq; affectauit uideri ortus regio ſanguine, & regios mores uſurpare tanquã ſibi gentiles & patrios. Alij exiſtimãt moderationis eſſe, poſtremò ſe loco nominari: quàm fatue? quaſi minus honeſtum ſit, quicquid ultimum. Non'ne animo legentis primum omnium occurrit, qui ſcribit? quod ſi penitus poſtremus eſſe cupit, nẽ ponat initio uel ego, uel uerbum primæ perſonæ. Sed hæc ſunt ineptiſsima, quæ conantur rerũ naturã inuertere: natura enim primũ in quocunq; opere facientẽ conſtituit. Quæſo, quid abſurditatis habet, ſi is primus occurrat oculis, qui primus occurrit animo & cogitationi? imò quantumcunq; abſcondas te, & in angulum chartæ ſecedas, reſoluta epiſtola ſtatim à primo legeris: niſi iam anteà ſciat qui legit, à quo mittatur. Epithetis parcebant prorſum, addebãt ſolum, ſi quid muneris gereret, & cui ſcribebatur, et qui ſcribebat. M. Cicero Imperator Cn. Pompeio Magno Proconſuli. M. Brutus, & C. Caſsius prætores, M. Antonio Conſuli. Cicero decimatertia Philippica, literas recitans M. Antonij, Antonius Hircio & Cæſari: neque ſe imperatorem, nec Hircium conſulem, nec proprætorem Cæſarem: ſatis quidem hæc ſcite. Deponere alienũ nomen ipſe maluit, quàm illis ſuum reddere. Ab alijs adiectis abſtinebatur prorſum. Itaque nos uſurpabimus noſtra, quæ ſunt profeſsionis, aut functionis: Senatori, Conſuli, Quæſtori, Epiſcopo, Presbytero, Curioni: cætera ex praua conſuetudine riſum potius aut faſtidium mouẽt, quàm ornãt: Quid quod præſtabilius eſt, tantũ illum exiſtimari, ut appoſitis non ſit opus: uelut,

G. Bu-

G. Budæo, Eraſ. Roterodamo, Th. Moro: in tãta claritudine nominum ſuperflua ſunt illa: utraq; lingua doctiſsimo, Theologo ſummo, uiro clariſsimo: neq; enim libris M. Tullij adijcit quiſquã, oratoris facundiſsimi: uel Ariſtotelis, philoſophi acutiſsimi. Itaq; deprehenſum eſt nihil eſſe grauius, aut decentius, quã ad Cæſarẽ ſine adiecto ſcribere, aut ad Regẽ, quod prudẽtibus et ingenioſis uiris ualde probatur. Quintiliani et Plinij tẽporibus cœpit recipi mos, ut omnib. ferè, niſi apertè eſſent inimici, adderetur SVO. Martialis de charta epiſtolari: Seu leuiter noto, ſeu charo miſſa ſodali, Omnes iſta ſuos charta uocare ſolet. Priſci tantummodo filios, aut uxorem, aut ſeruos, aut libertos dixerunt ſuos: ut Cicero, Terentiæ ſuæ, Tulliæ ſuæ, Tironi ſuo. Sunt inter homines amicitia coniunctiſsimos quædam interdum amoris ſignificationes: etenim beneuolentia tanquã ignis ſæpenumero cohiberi nequit, quo minus foras ſeſe proferat, et patefaciat: ut Gonzalus Tamayus Hugutiono unice charo, Idiaqueus Hieronymo Auguſtino dimidio animi ſui, Stracelius Crucio τῷ αὐτοῦ θυμῷ διχαζομένῳ, & quod de amico Ariſtoteles dixit, alteri ipſi. Exitur ad alluſiones ueteris memoriæ, de fabulis aut hiſtorijs petitas: Hier. Ruffaldus Viui Ionathæ ſuo, Patus Barchero Achati ſuo, Theſeo, Pyladi ſuo. Similes quoq; alluſiones ad alia rerũ genera poſſunt trãſire. Nicol. Borbonius Gulielmo Budæo Varroni huius ætatis, Aſtudillus Io. Gilidæ alteri Ariſtot. Bonamicus Alciato, id eſt, Vlpiano ipſi Regi. Paulus P. Bembo polyhiſtori, nõ multũ M. Tullio facũdia minori. Velius Ia. Sadoleto M. Catoni integritate propè

pari

pari(nã moderãda ſunt immodica) penè dixerim alte ri Paulo. Quæ ſi raro ponãtur, & ad dignos, tũ ab ijs, qui credantur poſſe iudicare, plurimũ adſerũt autori tatis illi, ad quē ſcribuntur: ſumuntur enim ceu quædã teſtimonia. Sed periculũ eſt, ne hæ ſicuti alia omnia honoris ſigna, uel ambitione, uel peruerſitate ingenio rum ad indignos transferãtur, & prorſus fidem amit tant. Amoris autem notæ magis ſalutationi, quàm ſu perſcriptioni congruũt: ne frigidæ atq; ineptæ uidean tur pleriſq;, quorum natura fert, ut ſolis ſuis capiãtur, aliena eis omnia ſordeant. Alteræ quoq; illæ exiſtima tionis & dignitatis, inuidiæ ſunt obiectæ: quæ res præ claras ſolita eſt ſemper inuadere, ac arrodere. Sed no mina tamen dignitatũ, & munerũ publicorũ, diligen tius ſunt ad amicos in ſuperſcriptione, & explicatius ponenda, quàm in ſalutatione: intus enim nos ſumus ſo li, & grata eſt utriq; ſimplex illa, atq; extra fucum o mnē familiaritas: foris uerò multos habemus ſpectato res, oculos & cenſores, quibus eſt ſatisfaciendum. Sed nos reliqua propoſiti exequamur. Porrò autem ut co mitatis eſt, imò uero humanitatis, in congreſſibus ſalu tare: ita ſtatim poſt omnia bene precabantur. Latini o ptabant ſalutē: Salutem dicit, Salutem P. dicit, S. dicit P. Græci aliàs εὖ πράττειν, & εὖ διάγειν, quaſi felicita tē: aliàs χαίρειν, quaſi gaudere. Romanus ſalutē dicit: & initio ſtatim bonũ uerbũ Salutis, bonũ erat omen ſermonis. Pro ſalute utuntur nonnulli ritu Apoſtolico, gratia et pace Domini IESV: quæ profectò ſalutē om nē exuperat, nec quicquã poteſt homini optari ſalubri us. Licebit nõnunquã & alia precari ex argumẽto epi

Inuidia.

Dignitatum nomina.

ſtolæ:

ſtolæ:ut bonam mentem,bonã frugem,ſenectam faci/lem,proſperum coniugium: ſicut eſt apud Horatium, *Celſo gaudere,et bene rem gerere* Albinouano,*Muſa rogata refer ſocio comitiq; Neronis.*Eundẽ *ad modũ illud & iam uetus:Si uales,bene eſt:à Seneca cõuertitur:Si Philoſopharis,bene eſt: ualere enim hoc demũ eſt:ſine hoc æger eſt animus:corpus quoq;, & ſi magnas habet uires,non aliter quàm furioſi aut phreneti ci ualidũ eſt:& alia epiſtola:Si uales,& te dignũ putas,qui aliquando fias tuus,gaudeo. Illa uerò manuum oſcula pro ſalute,obedientiã,ſummiſſionẽ,& eiuſmodi barbaricæ ſunt uel imperitiæ,uel arrogãtiæ:quid enim illi optas pro ſalute,ut tu manus illius oſculere? egregia profectò ſalus,& magnopere expetenda.Sunt apud Ouidiũ genera quædã ſalutationũ feſtiua & arguta:ut,Quam niſi tu dederis,caritura eſt ipſa ſalute,* Mittit Amazonio *Creſſa puella uiro.* Mittit *& optat amans, quò mittitur, ire ſalutem.* Hoc *modo poſſent multæ confingi:Salutem dicit,qualem ipſe nõ habet, ſed optat:Salutem mittit,ſalutis expers:Salutem mittit,quæ utinam eò perueniat:quæ poëtis cõceduntur, item adoleſcentibus, tum affectibus commotis.* Viris *autem grauibus non ſunt ſatis congruentes,quos nec decet ludere, nec animi motibus percelli.* Mirantur *nonnulli,cur ſcribens de ſe tertia utatur perſona, & continuo prima:ut,Cicero Lentulo ſalutem dicit:*Ego *omni officio,ac potius pietate erga te cæteris ſatisfacio omnibus:ea de cauſa exiſtimant,titulum illum epiſtolæ non fuiſſe partem, ſed à tergo epiſtolæ ſubſcribi ſolitum, ad monẽdum tabellarium, cuinam eſſet redditurus.*

Perſonarũ cõuerſio in ſalutatione & epiſtola.

turus: Nos adhuc facimus, ideóq; iam multi titulos epiſtolæ ſuperſedēt præponere. Sed fuiſſe eiuſmodi titulos partem epiſtolæ, & in exordio ſcriptos, multis & euidentibus argumentis poteſt planū fieri. (Tituli epiſtolæ pars.) Primum quoties Cicero, Saluſtius, Cæſar, Demoſthenes, & alij epiſtolam alicuis retulerunt, uel ſuam uel alienam, ſic exordiuntur: Antonius Hircio & Cæſari. Lentulus Catilinæ ſalutem: L. Catilina Catulo S. Cn. Pompeius L. Domitio S. βασιλεὺς μακεδόνων φίλιππος, ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. Ouidianæ epiſtolæ idē illud habent initiū, & ſi more poëtico uariatum. Quid attinebat, ſi illa tabellario ſcribebantur, in hiſtoria referre? quum ſatis fuiſſet dicere, epiſtolam eſſe illius ad illum: ſed nimirum epiſtolam integram uolebant ſubijcere ab initio ad calcē. Cicero de lege Agraria: Is uidelicet antequam ueniat Pontum, literas ad Cn. Pompeium mittet, quarum ego iam exemplum ab iſtis eſſe arbitror: P. Seruilius Rullus tribunus plebis, decēuir S. D. Pompeio, Cn. F. non enim credo aſſcriptum eſſe Magno: non uidetur, id quod imminuere lege conatur, conceſſurus. Sed apertiſſimè primo libro epiſt. Cic. Valerio Iuriſconſulto S. D. cur enim hoc tibi nō gratificer, neſcio, præſertim quū his tēporibus audacia pro ſapientia liceat uti. Non uidetur ſalutatio poſita à tergo, alioqui quomodo id ſcripſiſſet Cic. Cur enim hoc tibi non gratificer? quum nihil adhuc de iuriſprudentia dixiſſet. Plutarchus in Demoſthene ſcribit, inuentum in libello Demoſthenis initium epiſtolæ eius ad Antipatrū regē Macedoniæ, Demoſthenes Antipatro: nec aliud quicquā. Liu. lib. 34. de epiſtola Syracuſanorū ad Mar-

cellū: *Prætores Syracuſani Marcello ſuo S. tum ſecun dum ſalutē, ut ſolet, rectè eum atq; ordine feciſſe, &c.* & *in iure ciuili de negotijs geſtis,* Henſenius Apollina ris Iulio Paulo S. Et in ſummo adſcribi ſolitum hunc ti tulum, declarat *Lucianus in paraſitico:* Quin et illud, *inquit, mihi perridiculū uidetur, ſi in epiſtolis in ſum mo, quemadmodū ſolemus, ſcripſerimus, Simonidi pa raſito.* Deniq; *nulla eſt ueterū epiſtola, quæ nō titulum illum habeat, ſiue ab autore ſuo poſita, ſiue ab alio cita ta. Si is titulus tabellario erat aſſcriptus quum mittere tur, certe nihil fuit neceſſe addi, quū ab illo referretur, aut ederetur ab autore: ſed hac de re argumentorū ſa tis: quæ eo adduxi, quod nō quilibet de plebe, ſed docti nōnulli homines ſunt in cōtraria ſententia, & ita con tendunt fuiſſe, quemadmodum ipſi opinantur, ſolum ob tertiam illam perſonam dicit.* Nec *conſiderāt, non ſolitos priſcos illos homines nomini ſuo primam adde re perſonam, etiam de ſe loquentes, ſed tertiam: ut in rationibus & contractibus.* P. *Scipio fatetur ſe debere uel accepiſſe, uel recipit daturum ſe, aut quid ſimile: potius quàm,* Ego P. *Scipio fateor. Inſecutis deinde ſe culis receptum eſt, in prima perſona dici: porrò epiſto læ antiquiſsimam conſuetudinem retinuerūt.* Sed *tran ſeamus iam ad reliqua propoſiti.* Fuit *olim mos uetus, quem* Seneca *uſq; ad ſuam ætatē ſeruatum ſcribit, epi ſtolas ſic exordiri: Si uales bene eſt, ego quoque ualeo. Plinius Cæcilius* Fabio *Iuſto S. Olim nullas mihi epi ſtolas mittis.* Nihil *eſt, inquis, quod ſcribam: at hoc ip ſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas: uel ſolum illud, un de incipere priores ſolebant: Si uales bene eſt, ego ua leo.*

leo. Id uarijs modis enũciabatur: Si uales, ualeo: Si uales bene eſt, ego ualeo. Dolabella Ciceroñ: Si uales gaudeo, equidem ualeo, & Tullia noſtra recte ualet: et Cicero: Terentia minus bellè habuit, ſed certò ſcio iam cõualuiſſe eam. L. Lucceius Ciceroni: Si uales bene eſt, ego ualeo ſicut ſoleo, paulo etiã deterius quàm ſoleo. Lepidus Senatui & populo Romano: Si uos liberiq; ueſtri ualetis, bene eſt, ego quoq; ualeo. Interim nõ adijciebant quicquam de ſe, quum non rectè ualere uolebant ſignificare, animo præſertim: aut ſibi eſſe curæ illorum ſalutem, ſuam non item illis: ut Metellus Ciceroni: Si uales bene eſt. Cicero Metello: Si tu exercituſq; tuus ualetis, bene eſt. Quæ particula abijt ex uſu, ſicut illa in orationibus, Ioue ẽgo optimum maximum: ſed non ita, quin addi poßit, & aliquando debeat, ornetq; epiſtolam.

DE ORDINE EPISTOLAE.

ORdo in epiſtolæ corpore nullus eſt certus: pro re nata ſcribendũ, & exordiẽdũ undecunq; libuerit: nihil ſimplicitate illa iucundius, inelaborata. Cicero quũ narranda habet multa, nõ eſt ualde ſolicitus, quod primum faciat, quod ſecundum: promiſcue ſpargit, et refert, ut ueniunt in mentem: prius ubi eſt abſolutum, adiungit quodcunque eſt collibitum, ex abrupto. Itaq; & reuocat ſe crebro, et à ſe rogat: quid etiã? quid amplius? quid præterea? Ergo ſic interdum narrat, ut niſi prius rationem cognoris, difficile ſit diſtinguere, quod prius ſit, quod poſterius. Id uerò ſi quis uelit euitare, et narrare diſtinctius, ex præceptis narratiõis petat, quemadmodum ſit acturus. Iam ueluti quædam uincu-

la poteris adijcere, quæ priora poſterioribus coniun/gāt: Habes de hoc, accipe nūc de altero: audiſti de Britannia, audi nunc de Italia: hactenus de bellis, iam ad literas: de Republica ſatis, nūc de priuata noſtra. Cicero: Sequere me in Campū, ardet ambitus, &c. ſed quū ad perſuaſionem tendit epiſtola, maiore artificio erit opus, quod quanā uia exequeris, ex arte ſumito: quin & à primo ſunt iam nobis expoſita nōnulla. In reſpōdendo promptiſsimum et cōmodiſsimum eſt, ordinem eius, cui reſpōdemus, ſequi. Sed fit nō raro, ut expediat quædam anteuerti, ſine quibus progredi nō poſſet epiſtola, & fruſtra iactarentur multa uerba, illo impedi/mento obiecto, quod ſtatim eſt amoliendū: ut ſi quis in calce, aut medio epiſtolæ ingratitudinis aut maleuolētiæ accuſetur, huic enim occurrendū eſt ante omnia, niſi forte ex reſpōſione ad alia facilius diluatur crimē. Exempli gratia: Garſias Arabianus Nicolao Valdauræ ſuo S. Velim cures mihi tapetes aliquos ad ornan/dum cubiculum. Simon à manu meus annumerabit ti/bi pecuniam, eamq; in rem mittes aliquem ex tuis, quo fiat tibi negotium leuius. Nam & ſi mea in te ſunt officia nonnulla, tu tamen pro me grauaris quicquam fa/cere, niſi ut multo ſit leuiſsimum. Valdaura Arabiano ſuo S. Ex quo te Louanij habitare uelle cognoui, quod uelim tibi bene uertere, non deſtiti, quæ ad inſtruendū tuum cubiculum pertinerent, cogitare: & lintea proui di, de quo teſtis tibi erit tuus Simon: & aulæa: tametſi tu me uelut ingratitudinis apud animū tuum uel accu ſas, uel quod indignius eſt damnas: quam ſuſpicionem, malim tibi rebus ipſis eximi, quàm uerbis. Itaque dabo

operam,

operam, non ut leuiſſima pro te ſuſcipiam, neque enim tu es ita de me meritus: ſed ut leuiſſima mihi fiãt, quæcunq; pro te ſuſcepero. Incidit nõ raro, ut ex occaſione uerbi aut dicti alicuius, ad caput aliud reſpondeamus longe diſſitum, etiam quũ priores ſcribimus: hinc uenit in mentem mihi, ex hoc uerbo uel dicto admoneor, ut de hoc aut illo dicam: & quia mentionem fecit de Concilio, ſcito Pontificem & Cæſarem magnis & longis conſultationibus concilium aliquod moliri. Sed ut eſt genus hoc epiſtolare cum primis liberum, licebit etiam ab ultimis exordiri reſponſum: ut Cicero fecit ad Quin. Cornificium lib. epiſt. 12. Sunt molles quidam tranſitus, et lepidi ad continuationẽ ſequentium, uel eorum quæ ſis oblitus. Mane pauliſper, nam eſt aliud quod adijciam: non grauabor hoc quoq; adſcribere in tuam, uel Maluendæ gratiã: quæſo ne graueris hoc quoque legere: iamiam obſignaturo uenit mihi in mentem, quod præteritum minime oportuit: ſed quàm penè exciderat mihi, quod erat præcipuum? quàm multa ſcripſi, qui oblitus erã, id quod iure futurum fuerat primũ: leue eſt quod aſſcribam, ſed non omittendum tamen. Cicero plerunq; nihil horum curat. Ad extremũ literarum addi ſolet, ſi quem aut ſalutatum aut reſalutatum uolumus: aut ſi qui eos, aut quos ſcribimus, aut eorum amicos uel notos ſalutarẽt, reſalutarentue. Atticæ & Pyliæ S. Dionyſium uelim ſaluere iubeas. Terentia tibi S. D. Pyliæ & puellæ Cæciliæ belliſſimæ S. dices. Saluebis à Cicerone noſtro. Cicero tibi P. S. D. Hinc, ut digredientes, bene precantur mutuò: id enim humanitas docuit: literarũ exitus felix eſt omen, ut in-

greſſus. Græcis eſt ἔῤῥωσο, quaſi Vale: quod etiam Latini, tam et Salue. Catilina apud Saluſtiũ. Per filios tuos rogatus aueto: puto ex perturbatione animi et tumultu, in quo ſcribebat: quinetiam, Cura ut ualeas, fac ualeas: ſi me amas, ualetudinem tuam cura diligenter: Vale etiam atq; etiam: & , Salue mi Tyro. Hæc uetera: ſed illa aptiora uſui uitæ, & magis profutura: Chriſtũ precor, ut quæcunq; egeris, ſecũdet, et feliciter tua omnia ſinat euenire: ſeruet te Dominus: pax & fauor Chriſti ſit tecum: opto tibi bonam mentẽ. Aegidius Calentius reliquit epiſtolia haud ſane abſurda, in quorũ calce pro Vale, addit ſemper congruens argumento uerbũ: ſi quem aduocabat, Curre, uola: ſi cui nunciabat læta, Gaude: ſin triſtia, Plorato. Quiddam interdum ſimile fecerunt ueteres, ſed non erat in eis perpetuum, ut in iſto, Cicero D. Bruto: Vnice, & uale: Fabricius Pyrrho: Tu niſi caueas, iacebis. Sed bene precari eſt multo decentius & congruentius. Poſtremò quoniã è re eſt illũ cui ſcribas, & unde & quãdo epiſtolã dederis, cognoſcere, locus et tempus adſcribebatur. Locus hoc modo: Datũ Lucæ: ſcriptum in caſtris. Vale ex caſtris, ex urbe Capua. Data apud Valentiã, in urbe Valentia, Louanij, Lutetiæ, ex rure. Epiſtolã, inquit Cicero, datam à tribus tabernis: ex caſtris, ad imam Candauiam. Cicero T. Attico, ex rheda ſcripſit, & de phaſello. Ex tempore cognoſcitur, quæ epiſtola prior ſit, quæ poſterior: hinc enim haud raro uoluntatum pendent & ſententiarum interpretationes: quemadmodũ in edictis, legibus, diplomatis principũ. Auguſtus horas quoq; epiſtolis adſcribebat, ut eſt apud Suetoniũ.

Aegidij Calentij epiſtolæ.

Loci & temporis aſsignatio.

Annos

Annos illi conſulū nominibus denotabāt, quibus faſti ſignabantur, & acta omnia cū priuata, tum publica. Vnde illud iuriſconſultorum, Ne inſtrumentū fiat ſine die & conſule. In epiſtolis amicorum rarius adſcribebant, niſi rem contineret dignam, ob quam id facerēt. Athenienſes habebant ſuos ἄρχοντας, Græci olympiades, alij alias notas temporum. Nec ſolum tempus prætermittebant, ſed etiam locum: quum nihil referebat addi, uel quia iam is ſciebat cui ſcribebatur, uel ratio materiæ non poſcebat. Neq; uerò in loco, & tempore, & ſalutatione erat ullus ordo certus: ſic enim ſcribebant, Vale, Romæ, Nonis Iunijs: &, Vale Nonis Iunij, Romæ: et Nonis Iunij, Romæ, Vale. Si quid uel exciderat, uel ueniebat in mentē ut adderēt, ſine præfationibus id faciebāt, rurſus apponebāt Vale: quod ſi iterū liberet quicquā adſcribere, faciebāt ad eūdum modum, Iterū: uel tertio uale: itidē quoties placeret: cuius rei exempla ſunt quum alia permulta, tum in primis apud Cic. 13. epiſt. ad Atticū. Sed nos pro feſtis ueteribus tuemur noſtris: olim illi, Vale quinquatribus, Vale rubigalibus, Vale uulcanalibus, floralibus: quin nos etiā, Vale natali Seruatoris uirginis matris, ferijs D. Martini, Conuerſionis Pauli: niſi forte pudet ac pœnitet nos noſtrorum diuorum, ad quos nulla eſt illorum deorum comparatio. Pro Calendis quoq;, Idibus Nonis, expeditius eſt diem menſis aſſcribere, quinto Ianuarij, ſexto Nouembris, crepuſculo diei, cōticinio noctis, multo mane, bene mane, de media nocte, de medio die, in ipſo feruore diei, in rigore noctis mediæ, aut extremæ. Romanis conſulibus et Atticis ἄρχουσι ſucceßit

felicior computatio, à nato Domino Ieſu, aſſertore generis humani: Anno à Chriſto nato, ab orbe redẽpto, à filio Dei incarnato, à partu uirginis. Si uaria ſint ſcripta, quod maxime infixũ uolemus menti, id repetemus poſt Vale. ut, Vale mi Honorate, et literas cole, quæ te principem uirum efficient noſtræ ciuitatis. Vale etiam atq; etiam mi Poblaci, & cura ut ipſe è colica mea recte ualeam. Verùm loci & temporis aßignatio longe uidetur mihi aptior & congruentior negocijs, ſi ſtatim in capite literarum denotentur: quippe ſi dies aliquot aſſeruetur epiſtola, & res uariæ contingãt, maxima ſequetur perturbatio, quæ res, quo tẽpore acciderit: ſin uerò peregrinemur, nec unde ſcribamus, ſciri poterit. Ad effugiendam confuſionẽ hanc negociorũ, Cicero quandoq; media epiſtola ſignat diem: hæc ſcripſi ad quintum Calend. Iunias. Itaq; commodißimum mea ſentẽtia, & ad euentum rerumq; omniũ diuerſitatem in primis appoſitum fuerit, hunc in modum aut ſimilem quenpiam ſcribere: I. L. Viues G. Budæo ſuo facilem ſenectam optat. Brugis tertio die Ianuarij M. D. XXXIII. Cæſarem narrant eſſe Mantuæ, inde profectutum Bononiam. Agimus epiphaniam Domini. Iam pro certo habetur, illũ cum Pontifice congredi, & maximis de rebus quotidie conſultare, quæ ſint toto Chriſtiano nomini cũ primis utiles. Hic dies eſt octauus Ianuarij, de Concilio ferũt illos agitare: Chriſtus illis impartiatur ſuum ſpiritum. Dies eſt iam decimus menſis, ſum Gandaui, proficiſcens Bruſſellam, accepi literas tuas duabus epiſtolis, eodem faſciculo, ad omnia ferme reſpondi, præterquam de neceſſario illo tuo, quem

non/

nondum uidi:ſed expectatur hic quotidie:hæc epiſtola,quia feſellit me qui erat profecturus,nondũ eſt miſſa in hunc diẽ,qui eſt prædicti menſis decimus tertius: perueni Bruſſellam,cõueni amicum tuum, quem ſum de negocio tuo allocutus:pollicetur ſuam operam omnem,tu, ut ſoles, quicquid euenerit,magno ſis animo: opto tibi fauorem Chriſti. Iam pudet me tam diu aſſeruatæ epiſtolæ,uiceſimus eſt menſis:ex ijs, quæ ille eſt cum Scæuola collocutus, non uidetur eſſe eo in te animo,quem exiſtimabamus,quũ hic eſſet:ſed dum Chriſtus bono ſit in te animo,humanas utilitates facile neglexeris. Saluebis à Cranaueldio noſtro:uxori tuæ ſalutem ex me. P. Brixius ſaluebit à me officioſe & accuratè:item Beraldus & Tuſanus. Quid etiam? quid ad hæc? nam uereor,ne in epiſtola toties in manus reſumpta,deſit aliquid,quod nõ eſſe adſcriptum doleam: nihil occurrit,adſit tibi Chriſtus. Epiſtola hæc una ſufficerit pro exemplo,ad oſtendendã formulam. Salutem & Vale non damno,nec diem & locum in calce: quibus ipſe hactenus ſum ſemper uſus,nempe antiquis & receptiſsimis:ſed ratio hæc noua ſcribendi,nec inerudita uidetur mihi eſſe,& præſentium rerum ſtatui congruentior,non ſolũ in latina lingua,ſed in uernaculis, quibus etiam præcipimus, & proſpicimus,non ſolum latinæ:& ſi huic,ut par eſt,potiſsimũ. Adde his quod precationes magis religioſæ ſunt, magisq́; optabiles. In calce epiſtolæ,ſi ea ſit aliena manu ſcripta,ſignũ aliquod addendum,quo declares eam non eſſe adulterinam,aut ſuppoſititiam,ſed abs te profectam. In quo erat apud ueteres parata fraus,quippe quibus facile eſ-

ſet negare abs ſe eſſe miſſam. Cic. in Antonium Philippica 2. quem locum adſcribam totum, quia ſumitur ex prudentia communi. At etiam literas, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitauit: homo & humanitatis expers, & uitæ communis ignarus. Quis enim unquam, qui paulum modò bonorum conſuetudinem noſſet, literas ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palamq́; recitauit? Quid hoc eſt aliud, quàm tollere è uita uitæ ſocietatem? tollere amicorum colloquia abſentium? quã multa loca ſolent eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe uideantur? quàm multa ſeria, neq; tamen ullo modo diuulgãda. Sit hoc inhumanitatis tuæ, ſtultitiam incredibilem uidere. Sed quid oppones tandem, ſi negem me unquam iſtas literas ad te miſiſſe? quo me teſte conuinces? an chirographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam? qui poßis? ſunt enim librarij manu.

DE SVPERSCRIPTIONIBVS.

DE ſuperſcriptionibus nihil habemus antiquorum, quod quidem certo poßimus affirmare: qua de cauſa exiſtimarunt nõnulli, titulos fuiſſe ſuperſcriptiones: quam opinionem paulo ante ſatis refelli. Sed ſuſpicor multis epiſtolarum non fuiſſe additam ſuperſcriptionem: ſicuti nec intus in calce, locum aut tempus, quum iam alioqui ſciretur, aut nihil referret. Itaq; ubi is, cui perferenda epiſtola dabatur, cuinam eſſet redditurus nouerat, nihil erat ſuperſcriptionis opus: ferè aũt eam ad rem uel domeſticis, uel notis hominibus utebãtur: quod ſi publico tabellario committerent, is utiq; ſigna dignoſcebat. Sed conie cturarũ ſatis. Superſcriptio cer

tè

te hoc tempore neceſſaria eſt. Ea *conſtabit nomine eius,cui mittitur: adiecta uel dignitate, uel functione publica,ſicut in titulo.* Cn. Pompeio Magno Procon/ *ſuli imperatori,Ludouico ab Auyla fiduciario & cubi culario Cæſaris.* Epitheta *ſapientiæ,claritatis,illuſtrationis,& alia uere ſunt,quod dicuntur,ſuperiecta: nõ honorant ſuperſcriptionem, ſed onerant: nihil eſt eis mendacius,uel abſurdius,iam etiam pueri hæc rident.* Epitheta ſuperſcriptionum.

At ut in titulo dicitur Suo,*ita in ſuperſcriptione* Meo: *nam hic,qui ſcribit, iniungit tabellario ut perferat, uel reddat eas literas:alterum enim illorum uerborum ſub auditur.*Fernando A.Toleto *herili filio comitis* Auri/ *penſæ meo:in quo intelligendũ,reddes: uel Ad* Fernan *dũ,&c.in quo,perferes.Familiares,& qui optime cu piunt mutuò,poterunt uerbum aliquod addere, amicitiæ ſuæ notã,* Amico *meo unico,maximo,ſummo, amico multo mihi chariſſimo,iucundiſſimo,ſuauiſſimo: ad patres,præceptores,tutores,& eiuſmodi:mihi ſemper uerendo,honorando:ſed hæc modice,ſeu potius intra modum.Poſt hæc ſignatur locus ubi ille ſit:* Romæ, *Lutetiæ,*Brugis,Valentiæ.*Sunt qui ipſi adſerunt loco notitiam & claritatem, potius quàm è diuerſo: ut reges & principes : ad hos & ruditatis & ineducationis eſt,locum adſcribere.*

DE DICTIONE EPISTOLAE.

*EPiſtola imago quædam eſt quotidiani ſermonis, ac colloquij cuiuſdam perpetui, nec enim in aliud eſt inuenta,quàm ut abſentium ſermones referat ac repræſentet.*Itaq; *illud debet potiſſimũ efficere,ut quàm proximè poterit,colloquia & ſermonẽ familiarem exprimat:*

mat: prudētum dico & eruditorū. Nam optima quæque ſunt arti æmulanda, quo mediocria ſaltem conſequatur: ita eſt enim unaquæq; ars abſolutiſſima, ut maximè ad naturam ſuam accedit. Sermo aūt noſter quotidianus ſimplex eſſe debet, & rectus & naturalis, dummodo purus & caſtus: quippe coinquinatus & ſordidus, hominum eſt uel imperitorum, uel diſſolutè negligentiū. Excultus porrò atq; ornamentis nitidus ac ſplendens, uel inſolentiæ eſt atq; arrogantiæ, uel putidæ ac puerilis oſtentationis: quod ſi talem decet eſſe noſtrum ſermonem, profectò non aliam eſſe epiſtolarem dictionem conuenit, umbram atq; imaginem, & quaſi uicariā illius. Itaq; ueteres plurimi, ornari exiſtimabant epiſtolam ſimplicitate, & excultiſſimam eſſe ſine cultu, modo abeſſent ſordes: ut uenerabilior eſt ille in matrona ſimplex & parabilis ornatus, quàm ſplendidus & ſumptuoſus. Idem in uiris cōtigit, quos effœminatos eſſe ducimus, ac moribus parum uiro dignis, ſi ſolicitius mundicijs uidemus deditos, ut fœdos illos & deuitandos, qui in ſqualore pœdoreq; computreſcunt. Ergo illam unam eſſe artem epiſtolarem in eloquendo cenſebāt, nullam adhiberi artem: modo ſtulti ſenſus aut inepti, & nimis perturbatus abeſſet ordo: tum uocabula eſſent pura eius linguæ, qua ſcribebatur: grandia enim, ſelecta, tumentia, affectata, nō decori putarunt eſſe epiſtolæ, ſed irriſioni, ut pauonis pennas in cornicula. Hoc epiſtolis ſuis comprobāt magni omnes uiri: qui ſi eiſdē de rebus in epiſtola loquūtur, quibus in oratione, aut iuſto libro, ſtylū protinus mutant & uerba, totumq; illum rerum & uerborum apparatum

para-

paratum, demittuntq́; ſe ad humilitatem illam epiſtolarem, quæ tanquam frugi puella ac modeſta, minimeq́; loco claro nata abundè cõpta eſt, ſi abſit deformitas et ſordes. Ergo Cicero aliter ad amicos loquitur de cauſa Milonis, aut de prouincijs cõſularibus, aut de conſolationibus, quàm uel apud iudices, uel in ſenatu, uel in Tuſculanis. Aliter Auguſtinus de pietate in lib. de ciuitate Dei, quàm ad amicos: alio ſtylo & inuentione Plinius de laudibus Traiani ad amicos, quàm in ſenatu: de philoſophia Seneca elaboratius in libris de ira, aut de trãquillitate uitæ, aut naturalium quæſtionũ, quàm ad Luciliũ. Plato quoq; ad eundẽ modum: de Hieronymo taceo, qui non epiſtolas uidebatur ſcribere, ſed libros: quamuis ipſe de temporis anguſtia, & tarditate notarij haud raro cõqueratur. Sed ut de Cicerone loquar, eius epiſtolæ adeò ſermonẽ eius domeſticum & familiarem exprimunt, ut ego illũ non aliter cum uxore, cum libertis, ſeruis, familiaribus, in foro, in campo, in balneo, in cubiculo, in triclinio locutum exiſtimem. Iam ordinem ita neglexit, ut undecunq; uiſum ſit exordiatur, & repetat, & addat, & recipiat ſe, & reuocet: nihil tale eſt in orationibus, aut libris philoſophicis. Atticum quoq; hortatur, ut ſcribat quicquid in buccam. Seneca ad Lucilium lib. 10. epiſt. Qualis ſermo meus eſſet, ſi unà ſederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales eſſe epiſtolas meas uolo, quæ nihil habeant accerſitũ & fictũ, ſed ſi fieri poſſet, oſtendere quàm loqui mallem. Apollinaris Sulpitij iudiciũ, quo Plinij ſtylum in epiſtolis Ciceroniano antepoſuit, indignum eſt quod referatur, nedũ ut refellatur: nam Apollinaris Sulpitius.

nec

nec ipſe rationem ullam ſui dicti addit, & imitatorem ſe profitetur Plinij, à quo abeſt longißimè, ut hominis iudicium cognoſcas. Simplicitas epiſtolæ. *Veruntamen quod de ſimplicitate dixi, nõ eſt hoc uelut in puncto inſectili poſitũ, quin liceat intra illos limites huc ſe & illuc nonnihil porrigere. Nã ſicut in alia omni ſermonis forma, ita in hac diſpectandũ eſt, quis, cui, qua de re dicat. In adoleſcente non fertur ſolũ, ſed laudatur etiã dictio cõptior, elaboratior, diſtributio & ordo rerũ, deſcriptio: deniq; cõmendatur ſtudioſa diligentia. Sunt, qui accuratis ad ſe epiſtolis delectãtur, ut homines docti, acuti, ingenioſi: alij contemptũ interpretantur ſui, ni elegãter & ornate ſcribas: ſunt qui nimiã curã diſputant, quaſi putidam. Qui aliquid petit, alieno ſtomacho ſubſeruiat: qui nihil, ſuo. Res quoq; aliæ ſecũ ipſæ adferunt cultũ ſuũ, ut de bellis, de republica, de moribus: aliæ nolunt niſi cum ſplendore dici, ac ne poſſunt quidẽ. Quintilianus ſermonẽ et epiſtolas ſolutas uult eſſe numeris, niſi quũ aliquid ſupra naturam ſuam tractant: ut de republica, de philoſophia, de laudibus & uituperatione. Idem Seneca aduerſus epiſtolæ ornatum adeò ſeuerus, hæc ſubiungit: Non me hercule ieiuna & arida eſſe uolo, quæ de rebus tam magnis dicentur: neq; enim Philoſophus ingenio renunciat: multum tamen operæ impendi uerbis non oportet. Veteres illi, ut de negocijs modo ſcribebant, ſimplici illo & naturali utebãtur loquendi more: malebantq;, quod eſt prudentiæ, indoctius loqui, dũ apertius: tum errorem in uerbo committere, quàm in re. Vbi aliæ res acceſſerunt, plus eſt adhibitum curæ, quod fecit Seneca ipſe. Quũ uerò nihil fuit quod ſcriberetur,*

beretur,

beretur, præter mellitas epiſtolas aut etiam ſelleas, in-
anes tamen à negocijs, atq; umbratiles, inſtituerũt eas
ornamentis cultuq; cõueſtire: ut quæ cognitione rerũ
nõ poterãt niti ac ſuſtineri, certe uenuſtate atq; orna-
tu ſubſiſterent: nam alioqui quis unam illarum ſuſtinu-
iſſet perlegere, uacuam rebus, & inopem uerbis? Ta-
les ſunt epiſtolæ Plinij Cæcilij. Quin obſeruatum eſt e-
tiam, Marcum ipſum Tullium aliter ad alios, & alijs
de rebus ſolitum ſcribere: elaboratius ad Brutũ quàm
ad Atticum: quum aliquid cõtendit impetrare, quàm
quum narrat: uelut ad L. Luceiũ, quàm ad Varronem:
quum conſolatur item, ut ad M. Marcellum. Et alioqui
ars & exercitatio Ciceronis, & ingeniũ excellẽs hoc
præſtabant ei, ut oblata & naturalia in eo uiderẽtur,
quæ extimo eſſent producta artificio. Summa hæc eſt, Epiſtola, ue-
ut meminerimus eſſe epiſtolã, hoc eſt, puellã plebeiã, lut puella ple-
in quibus & ſi aliæ alijs ornantur excultius paulò & beia.
purius, mundum tamen patritiarum non æquant, uti
nec famulæ dominarum. Aliud eſt, inquit Plinius, ſcri-
bere hiſtoriam, aliud epiſtolam, etiam de eodem argu-
mento. Idem Plinius preſſam & aſtrictam uult eſſe
phraſim epiſtolarẽ: ſic tamen, ut ne ſit ieiuna prorſum
ac frigoſa, ne'ue arida, habebit ſucci aliquid, & eum
lepôrem ac gratiã, quæ eſt in aſtricta dictione, & ſim-
plici illa dicẽdi nota, ſæpenumero uel maxima. Ideoq;
nec tropos continebit crebros, nec translationes ua-
rias, nec allegorias frequentes aut longas, nec confir-
mationes alias, nec uerba grandia & magnifica, nec
concinnam & numeroſam ſtructuram: hæc quidem de
genere uniuerſo: nam in formis uariatur, ſeruata gene-

ris

ris ipſius natura,ſicut oſtendi. Quæ præcepi de elocutione,transferri ad artē ipſam uniuerſam poſſunt: quæ quum celari ubiq; par ſit, tum in epiſtola adeò debet eſſe tenuis,ac propè nulla, ut à magnis ipſis artificibus uix queat deprehendi: & ſi hoc,uti de phraſi docuimus, dirigendū eſt ad cōſiderationem perſonarum & rerum. Quidam de epiſtolis componendis diſſerentes,de proœmio tradunt, de narratione, cōfutatione, confirmatione,peroratione,de inuentione, diſpoſitione,elocutione, ex rhetorū præceptionibus repetita: quod planè eſt ſuperuacaneum,& loco huic alienum: primū quod nulla eſt ferè epiſtola,quæ habeat quinq; illas partes: nec tantum artificium tenera hæc puella ſuſtinet: deinde & ſi proœmio nonnunquā utatur,& colligat ac conficiat argumenta,uel depellat, & ordinem ſequatur,rebus in ſuos locos diſtributis:idem faciunt omnes ſermonis ſpecies,cōſolationes, gratulationes,dialogi,panegyrici:quid ergo, quoties de aliquo illorum præcepta tradentur,omnia artis ferramenta & arma in mediū proferemus? Quæ artis ſunt, ſemel oportet exhiberi in genere, ut quādo opus ſit,ſingulis accōmodentur formulis:nullius enim harum ſunt propria,minimè omniū epiſtolæ,quæ minimè uel indiget, uel utitur. Ad doctos & ocioſos ſcribētes,licebit alluſiones admiſcere ad fabulas,ad hiſtorias, ad prouerbia,ad res naturæ ac morum, ad dicta præſtantiū ſcriptorū:modo breuiter,nō tam explicandi gratia,quàm uelut puncto ſignandi & indicādi digito. Etiam in reconditis rebus utile eſt ænigmata inſerere,quod uidemus Ciceronem feciſſe crebrò ad Atticum:ne ſi literæ

in

in alienas manus deueniſſent,atq; aperirētur, prodere tur quod illi opertum uolebāt omnino eſſe, & occul/ tum. Etiam uerba græca immiſcet altera duarū occa ſionū, uel quū aptius id Græce dicitur,atq; appoſitius quàm Latinè: uel quū non uult à quolibet intelligi: ideoq; abſtruſis & Homericis plurimū uerbis,nec pa ſsim cuiuis expoſitis utitur. Nobis quoque,ſi negociū poſcat, uelare ſententiā noſtrā concedetur ſermone alieniſsimo ab eo quo ſcribimus: uelut ſi Hiſpanicè, ſermone Teutonico, aut Britānico: neq; enim,ut pau/ lò antè admonui, de ſola præcipimus latina lingua. Quid q; etiā in ea ipſa uerbo Germanico uel Socti[illegible] ei tamen cui ſcribimus cognito,ſenſum obſcurare quis queat, ſi id rei qualitas efflagitet? Nā Cicero,nō quod lingua græca elegās & exculta eſſet,ut quæ maxime,uel potius ſupra cæteras, idcirco res arcanas illa cōtege/ bat:ſed quod nota Attico,reliquis uerò ciuibus nō tātò pere:quod ſi aliā à Romanorū uſu ſemotiorē Atticus ſciuiſſet,eā ipſam uſurpaſſet Cicero,in reb. quæ nolebat euulgari. Et quādo in cuiuſq; principis comitatu ſunt hoīes multilingues, repertū eſt genus quoddā notarū recōditiſsimū:cifras uocāt, è quibus nemo unquā ſen/ ſum exculpet,niſi abecedariū & ſignificatiōnē uerbo rum teneat, quæ inter illos cōuenit. Quēadmodū nec Laconicā ſcytalā quiſquā legerit,ni bacillū habeat per omnia illi parē, ad quem erat lorū contortū & conuo lutū.Sunt etiam in epiſtolis Ciceronis,ad Atticū præ/ cipuè, multa breuia & præciſa: quam autumo phra/ ſin fuiſſe ſermōis latini,familiaris illo utiq;ſeculo: omit tit enim uerba potiſsimū,Dico,Mitto,Scribo, Venio.

MISCELLANEA DE VETERVM CONSVETVDINE EPISTOLARI, TVM AGENDO, TVM loquendo, ex Cicerone potiſsimum: Addita ſunt etiam nonnulla noſtri uſus.

ANtiquiſsimi homines Epiſtolas ſolebant in tabellis ſcribere, quod Homerus uates docet in fabula Bellerophontis: is mos durauit uſque ad Romana tempora, uti oſtendunt ſcriptores latini, Plautus, Cicero, & alij: Tabellarij. unde qui literas perferrent, tabellarij nominati: quod nomen etiam nunc manet, quum tabellis iam pridem non utamur, ſed ut alia, propter uim atq; uſum eundẽ, Veredarius. γραμματόφορος eſt Græce, & à quibuſdam noſtris Veredarius dicitur: ſed hic non tam eſt qui literas perfert, quàm qui ueredis ſubinde mutatis, breui tempore magna itinera coficit: cui literas ſolemus committere, ut Codicilli. celeriter perferantur. Codicilli quoque appellationem ſuam ſumunt ex tabellis. Literæ dicuntur, & literulæ diminutiue, ſicut epiſtola & epiſtolium. Exarare literas, componere epiſtolam, & formare epiſtolam & dictare: qui uerò ſcriberet epiſtolas domini, librarius, & ſcriba: ſequentibus tẽporibus notarius: & ab excipiendo, quæ alius dictaret, exceptor. A manu autẽ, & amanuenſis puer eſt, quo utimur quaſi ad manũ, in miniſterijs intimi cubiculi: qui etiam ad manum appellatur: is interdum excipit, quæ nos dictamus, uel præſcribimus

ſecretiora

ſecretiora quàm ut alijs uelimus communicari, aut leuiora quàm ut neceſſe ſit librarium propter illa acceſſiri. Formalis epiſtola eſt uelut forma, & ea nõ aliarũ illius generis: quales ſunt principum, quæ ad certam quandam formam, uelut obſeruatione religionis conſcribuntur. Tabellis ſucceſſit charta, primũ membrana pergamena: huic uerò hæc noſtra papyracea. Erit genus chartæ epiſtolaris, cuius in apophoretis Martialis meminit, tenue, leue, firmũ, aptũ epiſtolis ſcribendis. Vna in facie olim ſcribebãt: nã quæ duabus eſſent ſcripta, ea nuncupabãt opiſthographa: cuiuſmodi erat Oreſtes ille Iuuenalis, Scriptus & in tergo, nec dũ finitus: propterea quod una tantũ facies erat leuigata, & literis recipiendis idonea, nempe interior, quæ carnea ſanè nuncupetur: exterior autem uilloſa. Vtebantur etiam membrana deletili, palimpſeſton dicebant. Cicero Trebatio: Nã quod in palimpſeſto, laudo equidem parſimoniam: neſcio tamen quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quàm hæc non ſcribere, niſi fortè tuas formulas: non enim puto te meas epiſtolas delere, ut reponas tuas. Rationes loquẽdi in epiſtolis hæc propemodum, & eiuſmodi uſurpabant: Qui epiſtolam perferet, pertulit, perfert: quorum primum ſpectabat tempus poſt ſcriptionem, alterum poſt redditionem, tertium eſt tempus præſens, quod latè ſolet extendi: ſicuti, Quis prandet apud nos? Barcherus & Patus: de pranſuris. Nihil habebam, quod in præſentia ſcriberem: ſcriptione dignum, ad te præſertim, nullum erat argumentũ, nulla materia, cauſa, occaſio ſcribendi, ſcriptionis, epiſtolæ, literarum: eoq; breuior

Formalis epiſtola.

Chartha.

Opiſthographa.

Palimpſeſtos.

*eſt,erit,hæc epiſtola:nam nec tu inanibus literis dele/ ctaris: et ego non iam, ut ſoleo, epiſtolas libens mitto ſcholaſticas atq; umbraticas,in quibus nihil ſit nego/ cij præter comitates,officioſa uerba et mellita :tametſi hæc ſatius eſt exercere,quàm facundiam caninã.*Tam *multum habeo, uel eſt quod ſcribam, ut initium non uideam : ut nec initium,nec exitum inueniam:propter hanc dubitationem meã breuior hæc epiſtola eſt . Sed tamen ita diſtinebar, ut uix huic tantulæ epiſtolæ tem pus habuerim:noli putare pigritia facere me, quod nõ mea manu ſcribam .*Ad *plancum ſcripſi,miſi, habes exemplum.* Ad *ſenatum quas literas miſi, uelim prius perlegas: & ſi qua tibi uidebuntur,commutes.* Ad *has literas ſtatim mihi reſcribe, tuorumq; aliquem mitte, quid reconditum magis erit,meq; ſcire opus eſſe pu taris.*Et *ſi manè* Harpalium *miſeram,tamen quum ha berem, cui recte darem literas, & ſi noui nihil erat, eiſdem de rebus uolui ad te ſæpius ſcribere , non quod diffiderem diligentiæ tuæ,ſed rei me magnitudo mo/ uebat.* En *quantam epiſtolam ex quàm tenui initio de ductam, quantum exaraui chartæ, quum uix tres uer- ſus ſcripturum me à primo exiſtimarem. Sed quid ego non imitor laconiſmum tuum ? altera pagella proce/ dit .* Q*uid aliud?quid reſtat?nunquid ſum oblitus?ex/ cidit ? fugit ?* Permultum, *permagni intereſt,quo tibi hæc tempore epiſtola reddita ſit : an quum ſolicitudi/ nis aliquid haberes , an quũ ab moleſtia uacuus eſſes: itaque ei præcepi,quem ad te miſi,ut tempus obſerua/ ret epiſtolæ tibi reddendæ .* Nam *quemadmodum co/ ram qui ad nos intempeſtiuè adeunt,moleſti ſæpe ſunt: ſic*

ſic epiſtolæ offendunt,non loco redditæ.Coràm me te cum hæc eadem agere ſæpe conantem,deterruit pudor quidem penè ſubruſticus, quæ nunc expromam abſens audacius:epiſtola enim non erubeſcit.Manu mea ſcripſi,manu tua ſcripſiſti, manu mea ipſius: manu propria mea, negat Valla dici. Brutus tamen,De uoluntate,inquit,propria mea.Scripta iam epiſtola Hermia uenit:accepi epiſtolam tuam uacillantibus literulis:rede nobis ſuperiorem epiſtolam,& appinge aliquid noui,Vale, Da operam ut ualeas: Cura diligenter tuam ualetudinem,hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale, & matrem, meoſq; tibi commendatos habe. Vale, & ſalue, quarto Calendarum, Calendas decembres, ad quartum Calend. Decembres, ante diem quartum Calendarum, quaſi quarto die ante Calendas. Nuncij nobis triſtes,nec uarij uenerunt de Qu.fratre,ex et ante diem Nonarum Iunij uſque ad pridie Calendas Septembres.Contulit hoc negotium,ſiue diſtulit in ante diem ſextum Iduum Maij,uſque ante diem quintum Calendas Maias: hoc eſt,uſque ad diem quintum ante Calendas Maij,ut recte interpretatur Budæus.Balbus, Sub poſtea quàm literas cōmuneis cū Oppio ad te dedi:quod durum admodum uidetur.Epiſtolā perſcriptā cōplicabant,uinciebant lino ſeu filo,addebant ceram: quodam uerò tempore proceres Romani cerā quandam ex Aſia aduectam, ut refert Cicero pro L. Flacco,in cera ſignum imprimebant ex gemma annuli.Cicero in L.Catilinam: Ac ne longum ſit Quirites, tabellas proferri iuſsimus,quæ à quoquā dicebātur datæ. Primum oſtendimus Cethego,ſignum cognouit,nos li

Epiſtolę obſignandę ratio.

gnum incidimus: tum oſtendi tabellas Lentulo, & quæ ſiui cognoſceret ne ſignum: annuit: eſt uerò, inquam, notum ſignum imago aui tui, clariſſimi uiri, qui amauit unice patriam & ciues ſuos. Idem Cicero: Obſignata iam epiſtola ſuperiore, non placuit ei dare cui conſti/tuerã, quod erat alienus: itaq; eo die data nõ eſt. Hæc ſcripſi raptim, præpropere, ꝑturbatè, quod ex literis ipſis & ſenſis facile conijcies: quæſo feſtinationi meæ, & breuitati literarum des ueniam. Nos item compli/camus epiſtolam, quæ ſi non ſit deuincta, eſt ſolutilis, uel apertilis: ut quas alicui mittimus legendas prius, quàm reddat: filo deuincimus uel ſupernè, uel transfi/xam: interdum quoq; fibra ex eadem charta, quum ſi/gnum non habemus: commiſſura quoq; chartacea, uel orbiculari parua: uelut in negocijs mercatorũ: uel ma gna commiſſura obſignata, ut ad proceres: itaq; dici/tur uel deuincta filo, uel aſtricta cõmiſſura. Solet nunc interſtitium uacuũ relinqui inter ſalutationẽ & ipſam epiſtolam, pro dignitate eius ad quẽ ſcribitur, uel am/plius, uel adſtrictius: uocetur id ſanè margo honorari/us. Qui literas perferunt, ſunt tabellarij: è quibus alij ſunt ordinarij, alij extra ordinẽ, lenti, celeres, uereda/rij, per equos diſpoſitos magnis itineribus, eũtes, cõiun gentes dies noctibus: hi accipiunt precium uecturæ, ſeu pro uectura appenſis epiſtolis, non numeratis. Reſpon dentes uerò hiſce locutionũ generibus utebantur. Ac/cepi literas: Plinius etiã recepi, dicit. Redditæ ſunt mi/hi literæ tuæ amantiſſimæ, ſuauiſſimæ, blandiſſimæ, iu/cũdiſſimæ, expectatiſſimæ, amicæ, comes, ſalſæ, feſtiuæ, plenæ humanitatis et beneuolẽtiæ; uel acres, acerbæ, inſipidæ,

Margo hono rarius. Tabel larij.

Reſpondendi locutiones.

inſipidæ, dentatæ, maleuolæ, rabioſæ, rabioſulæ, fatuæ, dementes, imprudẽtiſſimæ. Accepi literas tuas duabus epiſtolis: duas uel tres epiſtolas eodẽ exemplo, manu tua ſcriptas, manu ſcribæ, manu liberti tui. Treis uno die à te accepi epiſtolas, unã breuẽ, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarũ alteram tabellarius T. Vibij attulit, alterã ad me miſit Lupus. Puer à ſorore tua miſſus, epiſtolam mihi abs te allatam dedit. Accepi tuas tres. Plinius: Poſt longũ tempus epiſtolas tuas, ſed tres pariter recepi, omneis elegãtiſſimas, et quales à te uenire præſertim deſideratas oportebat: quarũ una iniũgis mihi iucũdiſſimũ miniſteriũ, ut ad Plotinam ſanctiſſimam fœminã literæ tuæ perferantur, perferentur: eadem cõmendas mihi Popiliũ Artemiſium: ſtatim præſtiti, quod petebat. Sed ad Ciceronem reuertamur. Obuiã mihi fuit tabellarius, at ego ſtatim: cedo inquam, ſi quid ab Attico? Si quid erit occultius, & ut ſcribis, reconditum, meorũ aliquẽ mittam, quo fidelius ad te literæ perferantur. Et ſi iuſta et idonea uſus es excuſatione intermiſſionis literarũ tuarum, tamen id ne ſæpius facias rogo. Accepi literas ab eo, qui miſit: accepi à tabellario, qui reddidit. Damus literas ad eum, cui ſcribimus, damus tabellario: tabellarius reddit, atq; etiam interdum dat: & ſi hoc rarius. Accepi literas tuas ab Acaſto ſeruo meo: quas quidem quum expectaſſem iam diu, admiratus ſum, ut uidi obſignatam epiſtolam, breuitatem eius: ut aperui, rurſus σύγχυσιν literularum, quæ ſolent tuæ comptiſſimæ et clariſſimæ eſſe: ſic ille. Videlicet, breues et parui momenti epiſtolas non ſolebant obſignare: ſed cõplica

plicatas ſolum mittebant in modum codicillorum. Miſit ad me literas, quarum exemplum hic habebis. Literæ à Cæſare uenerunt, literæ à Catone ſunt adlatæ, Cicero filius Tironi: Quum uehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando uenerunt poſt diem quadrageſimum & ſextum, quàm à uobis diſceſſerāt: quorum mihi fuit aduētus optatiſſimus. Expecto tuas literas de multis rebus, teipſum multo magis. Scripſiſti ad me epiſtolā plenam conſilij, ſummæq; tum beneuolentiæ, tū prudētiæ: eam mihi, Philotimus poſtridie quàm à te acceperat, reddit. Q. Seruilius perbreues à te literas mihi reddit, quæ mihi tamē nimis longæ ſunt uiſæ: iniuriā enim me accipere putabā, quod rogabat. Accepi à te aliquot epiſtolas uno tēpore, quas tu diuerſis temporibus dederas. Ac uelim poſthac ſic ſtatuas, tuas mihi literas longiſſimas quaſq;, gratiſſimas fore. Quod epiſtolam conſciſam doles, noli laborare: ſalua eſt domi, petes quum libebit. Epiſtolam tuam, quam accepi ab L. Aruntio, conſcidi innocentem: nihil enim habebat, quod nō uel in cōcione rectè legi poſſet. Reſoluta epiſtola, cōtinuo uidi quod cupiebam, uel quod metuebam. Libentiſſimè legi tuas literas, in quibus iucundiſſimū mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas eſſe. Ex literis tuis cognoui, intellexi, accepi, factus ſum, redditus ſum certior: nihil certū de te habebamus. Domitiū aiunt futurum ſine faſcibus: quum id ſcies, facies ut ſciā, fac ſciam: faciā ut ſcias, ut noris, ut intelligas. Particulā literarū tuarū, quas miſiſti Octauio, legi miſſam ab Attico mihi: particulā literarū legit mihi Atticus. In capite tuarū literarū, in medio, ad mediū, in calce,
fine,

fine,extremo,ad poſtremum,hæc erat literarum tua/rum clauſula.Habeo,habebam literas à fratre: nõ ta-men dicitur habui,pro accepi.Reſpondebo tuis literis ordine,uel promiſcue,non ſeruato ordine.Tuam ratio nem ſcribẽdi ſequar,quoniã uidetur mihi optima,com modiſsima,appoſitiſsima:uel ut cõmodius reſcribã:nec οἰκονομίαν meã inſtituam, ſed ordinẽ cõſeruabo tuum, & reſpondebo primum poſtremæ tuæ paginæ.Ego re ſpondebo tibi ὕστερον πρότερον, ὁμηρικῶς. Epiſtolas tuas accepi duas:prior recentiorem habebat diẽ,altera an/tiquiorẽ. Vetus epiſtola recẽs,dies prior,poſterior, re cens,antiquus,uetus: item dies repetita, quum uetu/ſtior eſt quàm quo epiſtola fuit ſcripta:hæc & alia in/ueniet permulta,qui ueteres, ſed Ciceronẽ præcipuè, diligenter euoluerit.

SALVTANDI FORMVLAE VSVI *noſtro aptæ.*

SAlutationem uoco,non primam illam,quæ eſt ſcri/bẽtis ad eum cui ſcribitur,nempe primi ad ſecundũ: ſed primi ad tertiũ per ſecundum,uel per quartũ quum ſcribet,quum uidebit,quum quid ad eum mãdabit:hinc à tertio ad ſecundum per primum,à quarto ad ſecun/dum per tertium ſolũ,uel per tertium ad primũ.Quo/rum omnium exempla ſunt hæc: Saluta,dic ſalutem. Sa lutem annunciabis, precaberis meo nomine,meis uer bis,pro me,mea uice. Petro à Toleto hoſpiti meo. Sal uebit à me Rodericus Manricus meus.Iubebis ſaluere Gomezium Benauidiũ.Significabis Ioanni Mãrico à Lara,accepiſſe te literas à me,quibus iubeo illũ ſalue/re:accepiſſe me literas à Duce Beiaris Franciſco,qui

bus iniunxit,ut ſi quando uel tibi,uel illi ſcribam,adiũ-gam ei S. ſuis uerbis. Si quando Morũ conueneris, admone hominem,ut quum ad Roffenſem Epiſcopũ mittet literas,adſcribat precari me læta omnia, ac felicia. Io. Claymondo patri meo S. & ſenectam leuem ac facilem: cui epiſtolam hanc dabis legendã, tanquam ad eum quoq; ſcriptam. Quum hoc literularum ad te exararem, aderat, uel interuenit, uel nũciauit mihi Al. Viruesius, uti ſuo nomine S. tibi impertirem, ſalutem impertirer, S. optarem & optime euenire, quod filiam probiſs. iuueni collocaſſes, tum Chriſtophoro Mirãdæ filiolam gratularberis ſalua uxore. Quum ad Morũ dabis literas, uel nactus fueris qui eò proficiſcatur, & mandata ad illũ miſeris, ne obliuiſcare accuratiſſimã mea uice ſalutationem adiungere ipſi & liberis: ſed in primis Margaritæ Roperæ meæ, quàm ego ex quo primum noui, non amaui minus quàm ſi mihi eſſet ſoror germana. Quum aliquem tuorũ mittes Segobrigam, præcipe ei, ut quærat ibi aliquem ex familia ducis Alquercani, cui mandet, ut ſi Cuelarẽ proficiſcatur, ſalutet mihi Bartholomæum à Cueua ducis fratrem, uerbis amantiſſ. & officioſiſſ. Terſulæ, quoniam quod optimũ in pueris eſt, hilarula eſt, meis uerbis ſuauium des. Illud eſt animaduertendum, non omnes ſalutationes omnibus congruere: nec ſimiliter ignotos, aut leuiter notos debere ſalutari, ut amicos & familiares: non idem debere iniungi ſuperiori, quod pari: non omnes metiendi ſunt eadem decempeda, ſed gradatim et diſtinctè, ut emineant ſigna uoluntatum, in quo prudentia eſt opus. Curionem, ſi quando tibi occurrerit, ſi uide-

tis, ſi uoles, ſi uacabit, ſi erit tibi commodum, ſalutabis paucis uerbis, leuiter, ſuffrigidè, ſuo ipſius more. Quũ adibis Cæſarẽ, obſeruata occaſiõe precaberis illi meo nomine propitium numen, ut tanta regnorũ moles fœliciter ſub eo adminiſtretur, ipſi et populis. Oro te uir clariſſime, ne graueris inſtitutori tuorum liberorum S. ex me nunciare. Salutat te P. Clodius: ego uerò precor tibi meliorem ſalutem, quàm ab illo.

RESALVTANDI.

RESpondet, cui uel ſcripſimus, uel mãdauimus, executum ſe quod erat iniunctum per ſe, uel per alium literis aut mandatis: uel non licuiſſe, aut noluiſſe, quia non deceret, non expediret: tum quid ſalutatus reſponderit. Exempla ſunt huiuſce generis: Quod erat in extremo tuæ epiſtolæ, uel in extrema epiſtola: aut charta, in fine, in calce, in poſtremo literarũ: ut Ioannem Feuynum noſtrum ſalutarem, feci, & quidem perlibens: is uerò, ut eſt ingenio ſuauiſſimo, et amantiſſimo ſuorum, lætiſſimus de te audiuit: reſalutat te plus millies. Salutationem tibi remittit Cranaueldus noſter, cum fœnore incredibili: ſalutem optat tibi ueram & ſolidam: optat tibi, quæ ſibimet ipſi: precatur tibi omnia euenire ex animi tui ſentẽtia: omnia proſperrimè, feliciſſ. fauſtiſſ. tibi & tuis: non potui ipſe Vergarum ſalutare pro te, quod unicè cupiebam: quoniam aberam, quoniam me aduerſa ualetudo domi continebat, mãdaui Gonzalo Tamayo: is renunciat, incredibile dictu quàm grata illi tua ſalutatio, quamq́; eã remittit tibi accuratè & copioſè cumulatam. Exhilaratus eſt uehementer Franciſcus Leardus ad commemorationem Petri Mexiæ ſui,

multo

multo etiam magis ad ſalutationem, quod ſignificares te ſui meminiſſe: planè amat te, et reueretur bona fide, nihil non optat tibi fauſtum & lætum. Ain' tu, ſalutari nos à Nicolao Vottono? de quo iam pridem audiebamus omnino nihil: quæſo iube eum à nobis ſaluere, & meminiſſe ueteris noſtræ amicitiæ, ac familiaritatis Louanienſis. Marcus Craſſus miſit S. chartaceam, ut ſolet: mallem auream, hoc duntaxat tempore: redde tu illi pro me chartaceam item, aut ſi mauis, aêream quum illum conuenies. Grata fuit ſalutatio Vdalli: ego illi pro ſalute lignea uel chartacea, reddam argenteã. Salutem Gabriel Valdaura hoc tempore ad me? quin potius literas, & quidem copioſas de rebus ſuis omnibus, aut noſtris communibus? renuncia ei, non expectare me ab eo ſalutationes, ſed epiſtolas: aut quod matrona illa caſtiſſima marito ſcribit, Nil mihi reſcribas, attamen ipſe ueni. Claudius ergo S. mihi? ſatius eſſet cædi ab alio, quàm ab illo ſalutari. Piſo nobis Sal. rogo te, an ſerio? quo ore? quo uultu? quibus uerbis? nã eſt admodum ſubdolus, & maleuolentiã blanditia uerborũ aſſueuit occultare. Sed uincemus bono malum: repẽde ei ſalutationem plena manu, & uerbis amantiſſimis. Cum Demetrio nolo mihi eſſe rei quicquam: meliore ac cõmodiore utemur eo, ſi nullus penitus ſit nobis uſus cum illo: procul quæſo ab hac pice, ne inquinemur: crede mihi ericius eſt, ne accedas propius. Fabiũ Gurgitem nolui ſalutare tibi, ne inſoleſcat. Cornelio Nepoti non reddidi tuam ſalutationem, ueritus ne arrepta unius colloquioli occaſione, inſinuet ſe in meam familiaritatem: noſti quantus ſit ingerendi arti

fex,

ſex, & admiſſus quàm moleſtus ſit atq; importunus, & excuſſu difficilis.

DE BREVITATE EPIſtolæ.

ILlud prætereà iam olim quæſitum, quàm breuẽ eſſe epiſtolam conueniret. Nam Demetrius Phalereus, *ſeu quis eſt alius, longam epiſtolã librum appellat, non epiſtolam.* Et Lucij Senecæ *hæc ſunt uerba libro epiſt.* 6. *Ne epiſtolæ modum excedam, quæ non debet ſiniſtram manum legentis implere, in alium diem cum dialecticis differam. Quanquam eius ipſius epiſtolæ interdum quoq; dextram bis implent.* Ciceronis *etiam aliquæ, ad* Atticum *præcipuè, ad alios quoq; nonnullos uolumina ſunt, nõ epiſtolæ: quas ſe ideò tam longas ait conſcribere, quod dormire non poßit. Idem ad eundẽ, ait ſe interdum* λακωνικὴν σκυτάλην *mittere: & ad* D. Brutum, *imitari* λακωνισμὸν *illius: omnia temperabat perſonis, et negocijs: quũ expediebat, et ſcribebat fuſè, & ſic ad ſe gaudebat ſcribi: idcirco* Brutum *increpat, quod in medio ardore ciuilis belli, breues ad ſe literas dediſſet, quum negocia longißimas flagitarẽt: ut ſciretur explicatius, quid ageret, quiq; eſſet acturus. Moroſis, incognitis, amicis ſimulatis, breues: itidẽ occupatis, aut ijs quos eo ſcribendi generè uidebat delectari, quaſi multa paucis uerbis cõcluderẽt: cuiuſmodi erat* D. Brutus. *Noui itẽ amici breuibus ſunt epiſtolis initio tentandi, ut omnes ignoti cunctabundæ. Sunt qui uel mediocres epiſtolas loquaces iudicent, atq; aſpernentur. Sunt qui epiſtolium iniuriã interpretẽtur: demus tamen operam, ne in alterutro modum excedamus: ſi*

neceſſaria

neceſſaria omittas, omnes ſunt nimis breues: ſi ſuper/uacaneas inſarcias, omnes ſunt nimis lōgæ. Multū te accommodari conuenit ingenio illius, cui ſcribis: et pro ratione materiæ licebit in fine aut breuitatem excuſare apud illum qui longas cupit: aut prolixitatem apud eū, qui breuibus: illa excuſatur negocijs, aut noſtris, aut illius: et pudore, ne obſtrepamus aut interpellemus in maximis occupatū: prolixitas excuſatur rei qualitate, dulcedine cum illo colloquendi. Nihil perinde uidetur mihi alienum ab epiſtolis, quàm diffuſa in locis communibus iactatio, niſi forte libri ſint potius de ſapientiæ præceptis, aut de ſtudijs humanitatis, uel encyclopædia. Epiſtolia, & codicilli, quæ paucis uerbis acuā quampiam ſententiam concludunt, plurimum habent uenuſtatis. Quum licebat, noluiſtis: nunc quum uultis, nō licet. Quod ſi nihil habeant inſolens, ſuperbum, faſtidioſum, mitti poſſunt uel ad reges ipſos, ac principes, et homines quantumuis ſupercilioſos. Hieronymus Salinas Theologus Inacho Mendozæ Cardinali, Epiſcopo Burgenſi ardentem pietatem precatur. Lutetiæ, Natali Ioannis Baptiſtæ, 1533. Scio prudentiæ tuæ nō eſſe opus conſultore, memoriæ autem propter uarietatem & magnitudinē negociorum nonnunquā: itaq; rogo te, memineris nationis ſtudioſorum hominum: nam de uolūtate in illos tua nihil dubitamus. Marcus Laurinus Carolo V. Cæſari Auguſto, regi Hiſpaniarū S. Nec abs te contendo, ut mea cauſa iuſticiā uioles, quod nec tu faceres quantūlibet rogatus, nec uelim te per ignorantiā iniuſtè agere. Itaq; libellum hunc, quem cuſtodiæ iuſtitiæ tuæ confeci, oro attente legas: tales erant

Lacedæmoniæ epiſtolæ, et reſponſiones, quæ etiam in
prouerbium uenerunt. Res male geſta eſt: qui ſuper/
fuère milites, eſuriunt. πρὸς τὰ γὰρ ὑμῖν γραφθέντα, ναὶ
ἢ οὔ. Sunt qui in reſpondendo repetant, ceu epiſtolæ il
lius capita, ad quã reſcribũt: quod ſolet in grauibus fie
ri negocijs: & tamen accuratius, quum à nonnullis le
ctum iri reſponſum arbitrantur, non lecta epiſtola pro
uocante. Nam hoc fine etiã in leuioribus fecerũt qui/
dam, ut ij qui ſuas epiſtolas cogitabant edere, non edi-
tis ad quas reſcriberent: ſicuti Plinius & Politianus.
Fit hoc interdum compendij gratia, et ut lectoris tum
labori, tum intelligentiæ cõſulatur. Adde etiam, quo/
niam in diſcepationibus noſtra cauſa magis ea uia
adiuuatur, quum quæ ille uel eloquentia conueſtiuit,
uel muniuit coloribus, roborauit argumentis, nos om
ni detracto præſidio oculis ſubijciamus nuda atq; iner
mia: qui actus erat oratoribus peruſitatus. Ergo una/
quæque epiſtola uirtutem aliquam habere debet, uel in
rebus, uel in dictione, qua commendetur, libenterq; et
ab ijs legatur, ad quos mittitur, & poſteris quoq;, ſi
ad eos perueniat: unde multæ placuerunt epiſtolæ re/
frixerunt & iacuerunt plures.

DE AVTORIBVS EPI/ ſtolarum.

Antiquiſſimæ enim epiſtolæ extãt Platonis perpau
cæ, & Demoſthenis: hinc M. Tullij amiſſæ quidem
multæ, ſed multæ etiam in hãc uſq; ætatem reſeruatæ,
in quibus præter uerba & dictionẽ, quibus uir ille cæ/
teros omnes ſcriptores, latinos duntaxat, tanto poſt ſe
interuallo relinquit, plurimũ ineſt & ad Reſpublicas,

&

& ad priuatas iudicij ac prudẽtiæ. Senecæ epiſtolæ uo lumina ſunt de philoſophia. Accommodatior ad uſum Plinius Cæcilius, eorum præſertim, qui de negocijs pri uatis, aut Republica non ſcribũt: nam huiuſmodi me lior Cicero: Plinius uerò ſuccinctus, & feſtiuus et face tus, et acutus, & frequens concinnis ſententijs: doctis atque acutis ingenijs mirifice eſt aptus, qui ſcolaſticas inter ſe mittunt epiſtolas & umbraticas, ut idem ipſe ait, quibus oportet plus ornatus & condimenti adiun gi, quando rebus non perinde nituntur. Sparſæ apud Græcos ferũtur cõplures. Luciani dilucidæ ac faciles, Philoſtrati picturatiores quàm decet hoc ſermonis ge nus: utræq; inanes ſunt, & leuiculos habent ſenſus. Sy neſij itidem non parum elaboratæ, metaphoris potiſsi mum. Sunt nonnulla Baſilij, Gregorij, Libanij, et alio rum breues argutæq́;, ſcholæ & hominibus ocioſis cõ gruentes magis quàm negocijs. Sed redeamus ad Lati nos. Poſt Plinium ſcripſerunt epiſtolas Chriſtiani ho mines, ſuis temporibus non Chriſtianorum ſolum, ſed omnium quoq; ſine controuerſia eruditiſsimi. Tertullia nus durus, nẽpe Afer: Cyprianus nõ perinde, etſi eiuſ dem gentis. Auguſtinus item Afer, mollior, ſed minus terſus ac comptus. Hieronymus ardens & uehemens, ut uideatur ſemper ad iudices dicere de cauſa capitali. Ambroſius lenior ac placidior, aliquot interdũ locis ſubturbidus. Symmachus nec magnitudine rerũ, nec gratia ſermonis potuit conſeruare famam poſterio rum. Sidonius Apollinaris Aluernas, obſcurus, per plexus, fauorem iudiciorum nec conſecutus eſt, nec me retur. Longo poſt hos interuallo, uelut ſtellula inter

den/

denſiſsimas tenebras emicuit Franciſcus Petrarcha, prolixus, ac pleriſque locis moroſus, difficilisq́ꝫ, & multum trahens ex rubigine ac ſitu ſuorū temporum. Multo pòſt ſequitur, qui ætate auorum primus cœpit in Italia latinè balbutire, Gaſparinus: cuius epiſtolæ uel hac dè cauſa merētur laudem, quia in ſeculo doctorum primæ. Huic ſuccedunt Leonardus Aretinus, parum adhuc excultus: tum lingua terſiores Philelphi duo, pater & filius, ſententijs inanes et ſubfrigidi, nec compoſitione ſatis grata. Poggius, garrulus, nugator & rabula. Pius ſecūdus Pontifex, qui & Aeneas Syluius, natura felix, infelix arte. Aegidius Calentius, & Campanus non contemnendi: quanquam hic in oſtentationem eſt maxima ex parte compoſitus. Sabellicus ubique copia & facilitate, iucunditate ſui ſimilis. Pomponius Lætus Romanæ puritatis adeo ſtudioſus, ut nec Græcè quidē ſcire uoluerit, ne quid alienum ſonaret, aut admiſceret linguæ illi Quiritium: ita & uerba habet electa, et dictionem ſatis caſtigatam. Ioannes Picus, & Angelus Politianus, magnū huius uerba faci le cōplectaris atq; exoſculeris, illius nō poſsis non probare: ille ſententiarum pondere & ſanctitate dictionis excellēs, hic acumine & feſtiuitate amabilis, niſi quod laudis nimia cupiditate ſupra epiſtolæ limites aſſurgit: ludit etiam non raro, et laſciuit: rebus quoq; diſplicere poſſet ſeueris et eruditione præſtantibus, quia multus eſt in materia leuiſsima, minutiſsima ſui oſtentator: & in eos quibus nō probaretur, acerbe maledicus. Allubeſcunt hæc quidem adoleſcentibus, ueluti pugnæ & certamina, grauibus autem & ſanctis uiris inſuauia ſunt;

& imbuuntur teneræ mẽtes duobus uicijs humanæ ſocietati pernicioſis, iactantia, & amarulentia linguæ, quodq; eſt indignius, de rebus utiliſsimis, de literula, de ſyllabula, de uocula, de intelligẽtia uerſiculi, uel negligendi, interim etiã obſcœni, et moribus dãnoſi. Grauior eſt Hermolaus Barbarus, & diſciplinarum cognitione ſine ulla prorſum cõparatione excultior: ſed duriuſculus, & perplexus. Admiſcuit ſe his Philoſophaſter Marcilius Ficinus, ut oloribus gauia: atq; epiſtolas compoſuit, ut de Platonicis quæſtionibus diſputaret, dictione inuenuſta et moleſta. Epiſtolis Fran. Pici & ſi minus terſis quàm patrui, magis tamẽ deeſt genius, ꝙ uel dictionis elegãtia, uel ſententiarũ põdus. Rodolphus agricola, ſi ipſe ſua emẽdaſſet, maximis quoq; ueterũ potuiſſet cõparari: tanta erat in illius eruditione ſoliditas et ſanitas, atq; acrimonia in iudicando. Ioannis Capnionis epiſtolas nuper uidimus, ſimul & natas & extinctas, adeò dãnauit eas tacitus doctorũ cõnſenſus, ut uix potuerint paucos uitæ mẽſes impetrare. Chriſtophorus Lõgolius nimia cura imitationis bonã naturam corrũpit. Verba habet Ciceroniana, mira religionisne an ſuperſtitionis obſeruatione: ſenſus eſt ineptior, ꝓpterea quod dicta grãdia rebus exiguis aptabat. Nõ enim ſatis illi erat, uerba et phraſin Ciceronis miro ſtudio imitari, niſi etiã totũ Ciceronẽ exprimeret, rẽ illam publicã ſimularet, & curã imperij, quo totus orbis cõtinebatur: priuatus ipſe, & in angulũ ſtudioſi ſeceſſus abditus. In quo tam erat ridiculus, ꝙ ſi gigantis ueſtitũ induiſſet, et uerba ac pronunciationẽ gigantis effingeret, ut gigas crederetur: legẽdus tamen pro

pter uerba. Superāt ſcriptores omnes ætatis huius,& æquant eos, qui patrum atq; auorum memoria uixerunt,ingenio,eruditione,facūdia. Eraſmus Roterodamus,et Gulielmus Budæus,uario et diuerſiſſimo dicēdi genere:ſed uterq; in ſuo præſtans. Eraſmus facilis,& dilucidus,ut aliâs ſemper. G. Budæus nouo quodam atque inuſitato dicendi genere eſt delectatus,quod ſit admirari quā imitari prōptius. Pauli epiſtolæ auguſtiores ſunt,quàm ut illas fas ſit ſub noſtram cenſurā uenire.

METHODVS

CONFICIENDARVM EPISTOLARVM, PER CONRADUM *Celtem.*

QVID SIT EPISTOLA.

EPISTOLA *nuncia mentis,& uelut quidam eſt uector atque internuncius ſermonis noſtri, deſiderijq́;,& cōceptus unius ad alterum abſentem, rubore aut alto caſu loqui,certioremq́; reddere nequeuntis ſignificatio,uel qua cum amicis & inimicis tacitas noſtras cogitationes uoluntatemq́; communicamus.*

QVAM VARIA EPISTOLARVM *genera.*

EPiſtolarum alia diuina, humana alia eſt. Et diuina quidē,cœleſtis,ſacra,aut moralis eſt. Humana,grauia,conſolatoria,amatoria uel amica exprimit. Graue

genus,ſeuera, ardua,difficilia,nouaq; et quotidie acci dentia cõtinet, puta quæ belli aut pacis tempore ex ca ſtris ad urbem,uel ex urbe ad exercitum,et qua ſimul nouæ hiſtoriæ ſcribuntur.Conſolatorium,ſi amici, uel propinqui,aut chari mors, calamitas, inedia, aduer/ ſaq; fortuna interuenerit,unde nobis conſolandi illius offertur occaſio.Amicum ſeu commendaticium, cum amicum quempiam familiarem,notum aut ignotum li/ teris commendamus.Amatorium, cùm dulcia, exhila rantia,& ad amorem pertinentia petulanter penè & amanter ſcribimus.Hortatoria propria uel aliena pro- mit:& propria quidem,cùm res domeſticas & fami/ liares continet,ut puta prædia,agros,uinũ, pecus,fru mentum,ſeruos,&id genus plura:aliena,cùm filios, affines,familiares,ſodales,diſcipulos,aut Principes,aut quoſcunq; alios ad mores,ſtudia, immortalem gloriã, ad laudem & decus, ornamentumq; exhortamur & impellimus. Ex his igitur aut ſimilibus rebus epiſtolas noſtras conſtare neceſſe eſt.

EPISTOLA QVOT PARTES
in ſe complectatur.

PArtes epiſtolæ quinq; ſunt:Principium,cauſa,nar/ ratio ſeu expoſitio,enumeratio,et character. Initiũ epiſtolæ eſt,per quod animus eius ad quem ſcribimus conſtituitur,& præparatur ad percipiendum. Cauſa eſt,quæ animum noſtrũ impellit ad ſcribendum.Nar/ ratio, per quam aperimus quid ab alijs fieri uolumus, aut quid factum ſit demõſtramus.Enumeratio, cõclu ſio eſt epiſtolæ et eius terminus.Character eſt,qui con tinet ea quæ intra et extra epiſtolã ſunt,de quibus iam ex ordine dicemus.

EXORDIVM EPISTOLAE SIVE
*principium, quibus ſit modis
conſtituendum.*

Sicut citharœdi pauca illa quæ ante legitimũ certamẽ inchoant, emerendi fauoris gratia canunt: ſic ſcribẽs epiſtolam animum eius ad quem ſcribit, conciliare curabit: id autem duobus modis fieri poterit, ſalutatione & procemio: Salutatione *quidem ſemper, ut noſtrum eiusq; nomen præponatur in capite epiſtolæ: ubi etiam ſi homo infimus ad maximum* Pontificem, Regem *aut* Principem *ſcripturus ſit, noſtrum tamen illius nomini præponemus: deinde dignitas officij, ordinis, magiſtratus, uirtutis nomẽ tam noſtro quàm ſuo adiungemus: ut,* Con. Cel. P. P. Frederico *tertio* Imperatori S. P. D. *aut,* Innocentio *octauo* Pontifici *maximo: aut,* Andreæ Pegaſo *cui liberaliſſimo. Contra uerò agentes neque* Græcorum *neq;* Latinorũ, *ſed* Barbarorũ *morem ſequuntur, & à pueris nuper inuentum, & à ſordidiſſimis hominibus in aſſentationis ſpeciem inductum, in quem errorem ferè omnis noſtræ ætatis fex currit.*

Procœmio *utimur in epiſtolis noſtris, dum attentum, docilẽ et beneuolũ eum ad quẽ ſcribimus, facere curamus.* Hoc aũt *initijs epiſtolarũ perquã neceſſariũ eſt: illi enim ad quẽ ſcribimus animũ permulcemus, ut procedere ultrà poſſimus, et quæ ſcribimus, legãtur et admittãtur.* Dociles *habere poterimus, ſi ſummã rei expoſuerimus:* attentos, *ſi pollicebimur de magnis reb. et inſolitis nos uerba facturos.* Beneuolentiã *habebimus, ſi à noſtra perſona, uel ab aduerſarijs incepimus: maximè ſi noſtra incõmoda proferemus, inopiã, ſolitudinẽ,*

 exilium,

exiliũ,calamitatẽ:itẽ cũ officia noſtra in patriã,in ami cos,ſine arrogãtia tamẽ,referimus:dũmodo hæc om/ nia ad rẽ ipſam,de qua agitatur,ſint accõmodata. De quibus rebus circa orationis partes à nobis dictũ eſt.

DE CAVSA ET NARRATIONE quæ per expoſitionem fit.

ET naturaliſſimum eſt,& fieri debet frequentiſſime, ut præparato per ea quæ dicta ſunt eius ad quẽ ſcribimus animo,res quæ exprimenda eſt ſcribatur. Ea autẽ eſt cauſa,& eius expoſitio, quæ ex narratione pendet. Videndum igitur nobis hoc, & quomodo ſingu/ las epiſtolas ſcribimus,exponendum. Diuinas narrabimus,ſi ſcripſerimus religionem,ceremonias,Deiq́; cultum,à maioribus natum & traditum fuiſſe,nobisq́; poſteris in uirtutis famam,decoris & humanitatis exemplum & monumentũ relictum:in ſtatuis,ſimulachris, ſepulchris,ſanctiſſimis ædibus, ampliſſimis exemplis, opibus et diuitijs,ſumptibusq́; magnificè extructis,uaſis conſecratis,& eius generis innumeris: præterea ſi Deum ſecundum eſſentiam & perſonas deſcribimus, ſtatum angelorum,ordinem cœlorum,loca beatorum, pœnas ſontium,fidem,ſpem, charitatem, obſequium, mandatorum obſeruationem,ſcientiam uirtutum, ui/ bium ſalutem,humanam ſocietatem,honeſtatem,prudentiã, fortitudinẽ,iuſticiam,temperantiã, modeſtiã, opum & diuitiarũ cõtemptũ,humilitatẽ,uerecundiã, amicitiam & huiuſmodi, cum oppoſitorum,& con/ trariorum uituperatione,adductis exemplis & hiſto/ rijs,ſcripſerimus. Horum autem exempla in epiſtolis Pauli,diui Iacobi,Ioãnis,diui Hieronymi,Platonis, Se

necæ, Auguſtini, aliorumq́; doctiſsimorum uirorum inueniri poſſunt. Circa quod cauendum ſummopere eſt, ne in barbariem cum noſtri ſeculi & rudis uulgi hominibus cadamus. Nihil itaque nobis legendum erit, niſi quod caſte, limate, terſeq́; ſcriptum eſt: ab illis autem imperite & negligenter ſcriptis ita cauebimus, ſicut à calamitate atq; labe ingenij. Inquinata enim lectio ſordes lectori ingerit, & mentem illius ſimili coinquinat labe. Graue uerò genus epiſtolarũ exponemus: ſi amoto urbano, ſtatum ducis, militum, Reipub. exercitus declaramus. Et ſi animum fidum erga Reipub. ſalutem, amota ſeditione eiusq́; ſuſpicione, cum ciuium incolumitate aperimus. Et iſta quæ ab aduerſarijs facta fuerint exponimus, ſi obſidiones, ſi induciæ tractētur. At ſi ſuſpicio interuenerit, illa excuſanda eſt, ut ciuis Romanus ab urbe exul cum exulum multitudine profectus fuerit, aduerſus quem Pop. Ro. Pontificem maximum & Imperatorem legauerit, qui bellum contra eos mouerit, illi inſcio populo cum Romano Pontifice aut Imperatore ſermonem habuerint: ita excuſatio formanda eſt. Innocentius Octauus Pontifex maximus & Imperator Auguſtus S. P. D. S. P. Qu. R. Deum ſanctosq́; & homines teſtor, Patres Conſcripti, qua mente & quo animo ſemper in Remp. fuerim, ut hac nihil antiquius & communius ſaluti & libertati ueſtræ iudicauerim: quod uobis breui probaſſem, niſi fortuna proprium conſilium extorſiſſet: nam exercitus cunctus conſuetudinem ſuam in ciuibus conſeruandis, deq́; communi pace ſeditione facta, retinuit: me tantæ multitudinis ciuium Romanorum & ſalutis atq; in-

columitatis cauſam ſuſcipere, ut uere dicam, coëgit. In qua re ego uos Patres Conſcripti, oro atq; obſecro, ut priuatis offenſionibus omißis, ſummæ Reipublicæ conſulatis, & ne cauſam ueſtram exercitus noſtri in ciuili diſſenſione ſceleris loco ponatis: quod ſi ſalutis ac dignitatis rationem habueritis, melius & uobis & Reipub. conſuletis. Valete, ex caſtris: pridie kalendas Quintil. Conſolatorium autem exponemus, ſi nos dolore eius ad quem ſcribimus à ſcribendo deterreri oſtẽdemus, & ſi ea lege nos homines natos ſcripſerimus, ut ictibus telisq; fortunæ expoſita uita noſtra ſit: meminerimusq; cum fatis ineuitabilibus nobis luctãdum non eſſe, quibus nemo proprio conſilio reſiſtere poteſt. Præterea minus recuſandum eſſe, ut ea qua nati ſumus conditione uiuamus, ne'ue tam grauiter eos caſus feramus, quos nullo conſilio uitare poſſumus. Et ſi cogitauerimus quod alijs euenerit antea, nobis quoque nouũ non accidiſſe intelligamus. Idq; exẽplo non quidem catholico, uerum gentili probabimus: ut, Fridericus Romanorũ Imperator Emanueli Palæologo Imperatori Conſtantinopolitano S.P.D. *Et ſi egomet qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe ſim, propterea quod nullã rem grauius tuli quàm incommodum tuũ: tamen te magnopere non ſolum hortor, uerumetiam pro amore noſtro rogo atq; oro, te colligas, uirumq; præbeas.* Et qua cõditione omnes homines, & quibus temporibus nati ſimus, cogites. Plus tibi uirtus tua dedit, quàm fortuna abſtulit: propterea quod adeptus es, quod non multi homines nouiter: amiſiſti quæ plurimi homines nobiliſſimi. Et deinde uidetur cõditio impendere

dere legum, iudiciorum, & tẽporum, ut optimè actum cum eo eſſe uideatur, qui uita ſuperſtes ſit: tu uerò & qui fortunam aduerſam expertus, & liberos habeas, & nos cæterosq́; qui neceßitudine & beneuolentia te cum coniuncti ſimus, magnam nobiſcum facultatẽ habiturus es, & cum tuis omnibus: his de cauſis debes iſtam moleſtiam quàm leuißime ferre: meus autẽ in te animus erit, liberosq́; tuos ſemper, quem tu eſſe uis, et qui eſſe debet. Vale.

Amicum autem epiſtolarum genus, aut commendatitium aut amatorium: urbanum etiam, uel hortatorium eſt. Commendatitium *quidem fit, ſi quos cõmendamus, amicitia, beneuolẽtia, amore, affinitate, aut nobis uicinitate ſunt coniuncti: aut ſi doctrina, ingenio, eloquẽtia, uirtute, nobilitate, dignitate, affabilitate, ſeu comitate præditi ſunt, ut noſtra commendatione digni uideantur; eos gratißimos & beneficiorum memores eſſe dicemus, & à prædictis laudabimus.* Ingratitudi*nis quoq; cauſam refutabimus, cùm nihil* Deo *uel hominibus iucundius quàm ſe gratum exhiberi: & rurſus nihil turpius quàm ingratũ iudicari: ueluti boues, qui in ſterilibus campis iuga ferre nolunt: & licet pingue ſolum laſſet, ipſe tamen labor iuuat. Poſtea & commendationem, à quo petimus, honeſtam, facilem, poßibilemq́; eſſe, per blandimenta & ſpẽ remunerationis exponamus: ut,* P. P. Con. Cel. Marco Cardinali *Hoſtienſi* Salut. Plurim. Dicit. Q*uia non eſt obſcura in me tua beneuolentia: eo fit, ut multi per me tibi uelint commendari.* Nam *cum mihi ſuprema familiaritas, neceßitudoq́; cum* Franciſo *ciui foret, eius fratrem hominem*

frugi & modeſtum ſummaq́ꝫ uirtute præditum, & nobis uehementer probatū, tibi maiorem in modū commendo. Gratū mihi feceris, ſi is intelligat meam apud te commendationem magno uſui atqꝫ adiumento ſibi fuiſſe. Vale.

Amatorium autem proſequemur, cum quodam animi affectu, blanditijs, querelis, ſupplicationibus, miſeria plenis & lachrymis, quas etiam ſupra epiſtolam effuſas emiſerimus. Item ſi munera & dona polliciti, corporis membra cum laudibus eius ad quam ſcribimus exuperatione, noſtriq́ꝫ diminutione, cū aliqua uia diſsimulationis deſcribemus: aut ſi gratias habere uoluerimus, animo & corpore, aut fortuna bonis nos eas reddere oſtēdemus: matris more, quæ plenis uberibus ſemper plura reddat quàm recipit, noſq́ꝫ nō ſpe maiora conſequendi, ſed animo aperto & hilari, cum perpetua beneficiorum commemoratione nequaquam immemores fore exponemus. Huius exemplū eſſe poteſt. C.C.P.P. Haſilinæ Eudemiæ S.P.D. *Non poſſum non cruciari, dum mihi in mentē uenis, dum coma illa tua, dum crines, et oculi caſtigatiſsimi, & benigniſsima facies, dulciſsimum os, & labia ſuauiſsima menti ſe inſerunt: dumq́ꝫ diua illa ſtatura tua animo altius inſederit. Sed crudelis & ſæua nil mea uerba curas, nil mei misereris, me mori permittis: neſcio an fortunæ, an fato, an ſorti et iniquæ meæ natiuitati tribuendum ſit, ut cum te non modo amem, uerum adamem, à te uix amari queam. Iam literas legis lachrymis meis illitas, iam locum uides lachrymis deletum: noli ita crudelis eſſe, ſed aſta & ad me accedas, teq́ꝫ frui permittas: quid*

enim

enim dulcius? quid iucundius? quàm ut uiuamus, ame mus, oſculemur, & iocemur? nec ætas, nec munera nobis deſunt, quibus gaudere ualeamus: nec animus perpetuus, qui ſe tibi totum dedit. Vale, & *mei mini me obliuiſcaris.*

Hortatorium autem exponemus, ſi oſtendamus nos nil gratia noſtri aut alterius, ſed eius ad quem ſcribimus petere, idq́; fiducia, beneuolentia, & neceßitudine. Deinde *incommoda quæ ſequi poßint, ſi non fecerit id ad quod hortamur aut dehortamur.* Rurſus, *quæ ſi paruerit, commoda conſecuturus ſit: eaq́; exemplis roboremus.* Poſtremò *ſi cõmodum ſuum minus attendere uoluerit, ſaltem noſtræ beneuolentiæ, amoris, neceßitudinisq́; gratia faciat.* Vt *ſi militantem in bello, & ad urbem redire cupientem, dehortari intendis, hunc modum obſerues.* C. C. P. P. *egregio adoleſcenti* Nicolao Patricio S. D. In *omnibus meis epiſtolis, quas ad* Ducem *ueſtrum mitto, legitima quædam eſt acceßio commendationis tuæ, nec ea uulgaris, ſed cum aliquo inſigni iudicio meæ erga te beneuolentiæ, tu modo ineptias iſtas & deſideria urbis depone, & quo conſilio profectus ſis, id aßiduitate aſſequere & uirtute: exẽplo* Medeæ Reginæ, *quæ licet mollis, delicata, & abſens à patria dum rediret, à matronis interrogata reſpondit, pulchrum eſt ob uirtutem conſequendam à patria abeſſe: nam multi rem ſuam bene geſſerunt procul à patria: multi uerò qui domi ætatem egerũt, propterea ſunt improbati: quo in numero tu certe fuiſſes, niſi te extruſiſſemus: ſed plura ſcribemus aliâs: & quoniam* Medeã *agere cœpi, illud ſemper meme*

to: qui ſapiens ipſe ſibi nequit ſapere, ne quidquam ſa/ pit. Cura ut ualeas.

DE ENVMERATIONE.

TErminus ſiue finis epiſtolæ tribus conſtare debet: perſona, loco, & tempore: ut ſi uni ſcribimus, dicamus Vale, aut Cura ut ualeas: Vale, & me commendatum habe: Da operam ut ualeas; Vale, & me ama: Sis felix noſtriq; memor, Vale diuq; uiuas, Vale militiæ decus, uel patriæ, uel literarũ ornamentũ & columẽ, et his ſimilia. Locus, ut dicatur, Datæ uel Datũ Romæ. Tempus, ut dicatur kalendis, Nonis, aut Idibus menſis alicuius, & anni, ſiue diebus & ſeptimanis.

Prior autem epiſtolarum conſignatio, hoc eſt, per Calendas et nonas, doctorũ uirorum eſt, eorumq; ap/ probata antoritate: pro quibus notabimus uniuſcuiuſ/ que menſis diem primum kalendas uocari, ſed melius hoc ex iſtis patet uerſibus,

Prima dies Menſis priſco dat more kalendas,
Poſt numera Nonas, poſt Idus, poſtq; kalendas.
Mars, Maius nonas October ſex tenet & Iul.
Octo tenet Idus Menſis generaliter omnis.

Et quoniam omnes hi dies qui ante Calendas & Idus currunt, præcedũt eos dies principales tres, ideo ſemper præpoſtero ordine, numerũ dierum menſium collocamus: ut octaua Idus, hoc eſt, octaua die ante I/ dus: octauo Calendas, hoc eſt, octauo die ante Calend. Sic euenit, ut Calendarũ dies ſemper in priore menſe cõputandi ſint: ea ratione & nos cogimur, pridie Calendas, pridie nonas dicere, quod is dies præcedat Nonas & Calendas, & non ſequatur.

DE CHARACTERE.

*CHaracter eſt, qui intra epiſtolam, aut extra ſcribi/
tur. Intra quidem epiſtolam, characterem obſerua
mus, quum eloquutionis præcepta, quæ à nobis ſupe/
rius tradita ſunt, ſequimur, punctis orationis noſtræ ob
ſeruatis: quorum ſex ſunt, ſuſpenſiuus, Comma, Colon,
Interrogatiuus, Parentheſis, & Periodus. Suſpenſiuus ,
eſt ſimplex uirgula, quæ ſolet quietis gratia poni, ante .
quam ſenſus alicuius clauſulæ haberi poßit, ſic, ut Ar
ma. Cõma duo puncta ſunt, ubi clauſula uidetur com/ :
pleta, & tamen imperfecta eſt ſic, ut Arma, libroſq;
meos: diripuerũt milites. Colon punctus eſt, qui poni/ ;
tur in fine clauſulæ, quando ſenſus perfectus eſt, ſic, ut
Arma, libroſq; meos: diripuerunt milites, quanquã eos
huc uenturos nunquam exiſtimarim. Interrogatiuus ?
uirgula eſt obliqua, ſurſum tendens puncto ſuppoſito
ſic, ut de te quid dicam? Parentheſis, ſententia eſt in/
ter poſita in medium alterius ſententiæ, geminis corni ()
bus clauſa, ut arma, libroſq; meos (ſicut uidiſtis) mili/
tes diripuerũt. Periodus totius orationis terminus eſt,
ſic. Et hoc quidem intra epiſtolam terſe politeq; ſerua
ri debet. Extra autem epiſtolam conſignamus per cha
racterem extrinſecũ, hunc ſeruamus, dum illi ad quem
ſcribimus, dignitatis titulum addimus. Idq; aut in dati
uo aut accuſatiuo caſibus cum præpoſitione adſcribe/
re debemus: hos in tres ordines digeßimus. Nanq; titu
li Romano Pontifici cõuenientes illi eſſe debebũt. San
ctißimum, beatißimum dominum noſtrum Pontificem,
maximum, ſummum ſacerdotem & patrem clemen/
tißimum dicemus. Ad primos ab eo ordines, Reueren/
dißimum*

diſsimum in Chriſto patrem & dominum, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, Cardinalem, Patriarchã, Archiepiſcopũ, uel Epiſcopum dicemus. Ad ſecũdos, Reuerendũ in Chriſto patrem & dominum Epiſcopum, Abbatem monaſterij aut Apoſtolicæ ſedis protonotarium colendiſsimum & obſeruandiſsimum. Ad tertios ordines, Venerabilem in Chriſto patrem, dominum honeſtũ, honorandum, religioſum monachum, canonicum, ſacerdotem, uel heremitã. Ad Cæſarem, ſacrã maieſtatem, Romanorum Imperatorem, Cæſarem Auguſtũ, inuictiſsimum, glorioſiſsimum, fœliciſsimũ, & Cæſarem excellentiſsimum ſereniſsimumq́; dicemus. Ad primos ordines ab eo, ſacram Regiam maieſtatẽ, Regem, Ducem, Principem, Marchionẽ, Comitem, Chriſtianiſsimũ, potentiſsimum, illuſtriſsimum, inclytum, fœliciſsimum & illuſtrem dicemus.

Ad ſecundos ordines, equites, barones, patricios, conſules, ſenatores, prætores: nobilem, generoſum, excellentem, illuſtrem, inclytum, præſtantiſsimum, clariſsimum, magnanimum, potentem, ſtrenuiſsimum, ſpectabilem, inſignem, magnificumq́; dicemus. Ad tertios ordines, milites, præſtantes, præclaros, ſingulares, officioſos, fortes, integerrimos, egregios, prudentes, humaniſsimos, diſcretos, induſtrios, rei bellicæ expertes, glorioſosq́; appellabimus. Ad theologos, diuinarum literarũ interpretes, ſacrarum literarum, ſacræ paginæ, ſacræ theologiæ magiſtros, doctores, profeſſores, eximios & ſapientiſsimos dicemus. Ad primos ab eis ordines, uates, muſarum alumnos, lauro inſignes, hedera

dera decoratos, Apollini ſacratos, Phœbi interpretes, rerum naturæ ſcientes, hiſtoriæ peritos, diuinos poëtas, lyræ modulatores, ſacro numine afflatos, grauiſſimos, iucundiſsimos, ornatiſsimos, celeberrimos, eloquentiſsimos, facundiſsimos, Romanæ linguæ principes, humani eloquij ductores, diſertiſsimos, copioſiſsimos dicemus. Ad *ſecundos ordines, iuriſconſultos, legum interpretes, utriuſque iuris* Doctores, *ciuilis & Pontificij, egregios reipublicæ moderatores, & ſapientiſsimos, prudentiſsimos, excellẽtiſsimos, eximios, integerrimosq́; dicemus.* Ad *tertios ordines, medicos, medicinæ doctores, artis medicæ profeſſores, expertiſsimos, prudentes, philoſophos, utriuſque medicinæ interpretes, naturæ & cauſarum ſpeculatores, ſapientiæ amatores, fideles, acutiſsimos, ſubtiliſsimos. Muſicos, argutos & iucundos, humanæ uocis magiſtros, directores, modulatores uocaliſsimos.* Ad *geometras, immenſi mundi ſyderum & rerum indagatores, naturæ menſores.* Arithmeticos *& aſtrologos, acutos, diuinos, & occultarum rerum indagatores, ſapiẽtes, fati interpretes, futurarum rerum conſcios & ſubtiles dicemus.* Reliquos *ab illis, optimarum literarum amatores, bonarum artium ſtudioſiſsimos, eruditos, doctos & humani ſtudij decus dicemus.* Ad *cognatos, chariſsimos, dulciſsimos, dilectiſsimos, obſeruandiſsimos, optimos, uenerandos, & perpetuo amore colendos, dicemus.* Ad *fœminas, caſtitatis decus, pudicitiæ exemplum, honeſtatis ſpeculum, pudiciſsimam, caſtiſsimam, integerrimam & honeſtiſsimam matronam & dominam dicemus.*

METHODVS CONSCRIBENDI EPISTOLAS AVTORE CHRISTOPHORO HEGENDORPHINO.

CHRISTOPHORVS HEGENDORPHINVS LAVRENtio Czoch diſcipulo ſuo S. D.

IN iterum prodit opuſculum iſtud de conſcribendis epiſtolis, & renatum et auctum. Tibi uerò, mi Laurenti nũcupatur, ut, qui à me unicè amaris, mei quoq; erga te amoris ἀνάμνησιν habeas. Tu uerò in literas & Græcas & Latinas, ut ſoles, gnauiter incumbe. Nec te deterreat, quod hoc ſeculo tam literæ, quàm literati contẽptui ſint. Redibit, crede mihi, redibit ſuus honor & literis, & literatis: nam omnium rerum uiciſsitudo eſt, τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ τὰ τερπνὰ πικρὰ γίνεται, καὶ αὖθις φίλα, ut inquit Sophocles.

Vale.

QVID SIT EPISTOLA.

Epiſtola eſt ſermo abſentis ad abſentem.

QVVR INVENTA.

Vt faceremus certiores abſentes, ſi quid eſſet, quod

eos

eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet: autor Cice*ro libro* Epiſtolarum *ſecundo.*

GENERA EPISTOLARVM.

Epiſtolæ aut ſunt demonſtratiuæ, aut ſuaſoriæ, aut iudiciales.

DEMONSTRATIVVM GE-
nus epiſtolæ.

Conſtat & laude & uituperio, perſonarum, factorum, rerum.

Perſona laudatur à:
- *Natalibus.*
- *Pueritia.*
- *Adoleſcentia.*
- *Iuuenta.*
- *Senecta.*
- *Morte.*

Laudari & poteſt perſona ab animi bonis, id eſt, uirtutibus: à corporis bonis, à ualetudine, dignitate, uiribus, uelocitate: deniq; ab extraneis, honore, pecunia, affinitate, genere, amicitia, potentia, patria.

SIC LAVDATVRVS ANNIBA-
lem, ſcribere potes.

Annibal natus eſt patre Amilcare, *uiro fortiſſimo, & cùm iam eſſet annorum nouem, fama eſt eum pueriliter blandientem patri, ut duceretur in* Hiſpaniam, *quum profecto* Africo *bello, exercitum eo traiecturus ſacrificaret, altaribus admotum, tactis ſacris, iureiurando adactum, ſe, quum primum poſſet, hoſtem fore populo* Romano. *Miſſus* Annibal *in* Hiſpaniã, *primo ſtatim aduentu, euntem exercitum in ſe cõuertit.* Amil*carem uiuentem redditum ſibi milites credebant.* Inge-

nium eius ad res diuerſiſsimas, parendum et imperandum habile erat. Saguntū Romanis fœderatum intra ſex menſes euertit. Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinium, Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Tarſimenū ſuperauit, etc. Deniq; cùm nemo per omnia ſit fœlix, à Scipione ſuperatus, ad Antiochum regem Syriæ confugit: quo uicto, ad Pruſiam Bithyniæ regem conceſsit: unde Romam repetiturus, hauſto, quod ſub annuli gemma habebat, ueneno aſſumptus eſt.

EXEMPLA LOCORVM aliorum.

Cicero libro Epiſtolarum quarto, epiſtola quæ incipit, Accipio excuſationem, &c. Seruus tuus, uel potius noſter, ſumma me obſeruātia colit, cuius ego cum omni probitate, ſummaq; uirtute, tum ſtudijs, doctrinaq; delector, &c.

CICERO LIBRO EPISTOLARVM nono, epiſtola, Et ſi contentus.

Nihil enim, mihi crede, uirtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, ut tu ſcis, Marcum Brutum, propter eius ſummum ingenium, ſuauiſsimos mores, ſingularem probitatem, atq; conſtantiam, &c.

PLINIVS IVNIOR MAVrico Suo S.

Petis ut fratris tui filiæ proſpiciam maritum, quod merito mihi potiſsimum iniungis. Scis enim, quantopere ſummum illum uirum ſuſpexerim, dilexerimq;,

quibus

quibus ille adoleſcentiam meam exhortationibus fouerit, quibus etiam laudibus, aut laudandus uiderer, effecerit: nihil eſt quod à te mandari mihi aut maius, aut gratius, nihil quod honeſtius à me ſuſcipi poßit, quàm ut eligã iuuenem, ex quo naſci nepotes Auruleno Ruſtico deceat: qui quidem diu quærendus fuiſſet, niſi paratus, & quaſi prouiſus eſſet Munitius Acilianus, qui me, ut iuuenis iuuenem (eſt enim iunior pauculis annis) familiariſsimè diligit, reueretur, ut ſenem: nam ita à me informari & inſtitui cupit, ut ego à nobis ſolebã. Patria eſt ei Brixia, ex illa noſtra Italia, quæ multũ adhuc uerecundiæ, frugalitatis atq; ruſticitatis retinet ac ſeruat. Pater Munitius Macrinus, equeſtris ordinis princeps, quia nihil altius uoluit. Adlectus à diuo Veſpaſiano inter prætorios, honeſtam quietem, huic noſtræ ambitioni dicam, an dignitati, cõſtantiſsimè prætulit. Habet auiam maternam, Serranam Proculam è municipio Patauio: noſti loci mores. Serrana tamẽ Patauinis quoq; ſeueritatis exemplum eſt. Contigit & auunculus ei P. Acilius, grauitate, prudentia, fide propè ſingulari. In ſumma, nihil erat in tota domo, quod nõ tibi tanquam in tua placeat. Aciliano uerò ipſi plurimum uigoris, induſtriæ: quiq; in maxima uerecundia quæſturam, tribunatũ, præturam honeſtiſsimè percurrit, ac iam pro ſe tibi neceſsitatẽ ambiendi remiſit. Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa. Eſt ingenua totius corporis pulchritudo, & quidã ſenatorius decor, quæ ego nequaquã arbitror negligẽda: debet enim hoc caſtitati puellarũ quaſi præmium dari. Neſcio, an adijciam, eſſe patri eius amplas facultá

tes.&c. Iidem loci ſunt uituperij. Nam et à natalibus obſcuris, pueritia tarda, adoleſcētia ſtertente, malicioſa, iuuēta ignaua, ſenecta inopi, morte ignominioſa, uituperantur perſonæ. Exempla ſuppeditabit frequens lectio epiſtolarum & Ciceronis & Plinij.

GENVS DEMONSTRATIVVM epiſtolæ ipſius facti.

In hoc facta laudamus & uituperamus.

LOCI CONFIRMATIONIS ſunt.

Honeſtum, utile, facile, pium, iuſtum, &c.

EXEMPLVM.

Multa ſunt Romanorum præclara facinora, ſed hoc facilè clariſſimū eſt, quod P. Decius pro ſalute exercitus Romani ſe dijs manibus ultro deuouerit: nam quid honeſtius & ſibi priuatim, & publicè omnibus facere potuiſſet? Priuatim, quod non parui animi ſit mortem oppetere: uitā, qua nihil charius homines habent, tam lubens ponere. Neq; uerò id temere fecit, ſed admonitus ſomnio, ſeu potius diuino adflatu, ſe deuouet. Publicè uerò, quod non poteſt non honeſtū eſſe, quod uir bonus pro ſalute patriæ moritur. Age uerò, quot cōmoditates hoc ſuo facto attulerit uide. Duces optimos quoſq; ſeruauit. Exercitum uictorem domum remiſit, Troianis æternam gloriā peperit, ſe deniq; à mortalitate uindicauit. Pater patriæ iure ſuo dici poteſt. Quid uerò cōmemorem, quàm difficile hoc factū fuerit. Nemo non hominū amat uitam: hæc ſi ponenda eſt, dolemus, quantumuis ſimus fortes. Vir tamen ille,

cum

cùm uideret ſua uita Reipub. ſalutem periclitaturam, maluit Rempublicam quàm ſe incolumem.

ALIVD.

Quod ducentos ducatos ad ludum literarium erigendum dediſti, uehementer laudãdum cenſeo. Quid enim honeſtius, quàm de literis bene mereri? quid magis pium, quàm bonorum iuuenum ſtudia in urbe alere? Porrò ſi Demoſthenes eſſem, commoda facti tui, quid dicam exornare, uix enumerare poſſem. Principio, uide tua priuata commoda, laudaberis donec ullæ ciuitatis reliquæ ſuperfuerint, tum (cùm nemo non morti obnoxius ſit) hoc tuo beneficio te à morte aſſeres, ut qui ſemper in hominum pectoribus, in monumentis eruditorum uicturus ſis. Non enim ingratæ ſunt literæ, immortali præconio ornant ſuos inſtauratores. Porrò ecquam putas multos inſigniter eruditos iuuenes uelut ex equo, qđ aiũt, Troiano, è ludo iſto prodituros. Et cùm Plato beatas Reſpublicas dixerit, quas aut philoſophi gubernarẽt, aut in quib. gubernatores philoſopharẽtur: beatiſſima erit Reſpublica tua, quæ à tot eruditis uiris gubernabitur, idq́ beneficio tuo, etc.

GENERIS DEMONSTRATIUI EPISTOLÆ.

Cuius loci ſunt, honeſtũ, utile, facile, difficile. Honeſtas, rerum antiquitate, miraculo rei, inuentoribus tractatur. Vtilitas ſpargitur in multa, cum circunſtantijs docemus, quibus, quando, ubi, cur res ſit utilis.

EXEMPLVM.

Theologia merito omnibus literarum ſtudijs præponitur, ut quæ antiquiſſima eſt, ut quam inuenit ὁ θεὸς,

cuius nec principium, nec finis eſt: quàm ut mundo pa làm faceret, Chriſtũ de cœlo demiſit. Hic eam per prædicationem & ſuam & apoſtolorum in totum orbem terrarum enunciauit. Commoda Theologiæ, conſcientiæ tranquillitas, iuſtificatio noſtri, uita æterna, unicum propugnaculum aduerſus peccatum, mortem, diabolũ. Facilitas. Si enim temetipſum abneges, ſi de te deſperares, adeſt ſpiritus ille Domini, & ſine negocio te in penuaria ſua perducit.

HVC REFER DESCRIPTIONES.

Regionũ, quæ laudantur à { Ducibus, Regibus, Vrbium frequentia, Celebritate, Copia annonæ, Tuto tranſitu.

Exemplum eſt, ut apud Plinium lib. 3. cap. 5. Vbi Italiã ſic laudibus tollit: Iam uerò tota ea uitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperies eſt, tã fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſyluarum genera, tot mõtium adflatus, tanta frugum & uitium olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori uellera, tã optima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiũq; ubertas, totã eam perfundẽs, tot maria, portus, gremiumq; terrarũ commercio patens undiq;, & tanquã ad iuuandos mortales ipſa auida in maria procurrens, &c.

Vrbium, quæ laudantur à { Repub. Senatu, populi frequẽtia, bellicoſitate, ciuiũ urbanitate, cõcordia, domorum magnificẽtia, rerum uariarum copia, nõ ita magno parabili, ab aëre, à uicinia, uilla.

VERGILIVS PRIMO
Aeneidos.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago, Italiam cõtra, Tyberinaq; longe Hoſtia, diues opum, ſtudijsq; aſperrima belli. Plinius lib. tertio, capite quinto, Romam ſic laudat: *Vrbs Roma uel ſola, quo tandem narrari debet opere, &c.*

Aedificiorum, quae laudantur ab
- *Atrio,*
- *Magnitudine,*
- *Figura,*
- *Cubiculis,*
- *Conclauibus,*
- *Situ,*
- *Proſpectu,*
- *Veſtibulo,*
- *Penetralibus,*
- *Triclinijs.*

Exemplum habes apud Plinium libro epiſtolarum ſecundo, Epiſtola ad Gallum.

Homerus libro Ili. ſ. domum Priami ſic deſcribit:

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ Πριάμοιο δόμον περικαλλέ᾽ ἵκανε
Ξεστῇς᾽ αἰθούσῃσι τετυγμένον, αὐτὰρ ἐν αὐτῷ
Πεντήκοντ᾽ ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο,
Πλησίον ἀλλήλων δεδμημένοι. ἔνθα δὲ παῖδες
Κοιμῶντο Πριάμοιο παρὰ μνηστῇς ἀλόχοισι.
Κουράων δ᾽ ἑτέρωθεν ἐναντίοι ἔνδοθεν αὐλῆς
Δώδεκ᾽ ἔσαν τέγεοι θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο.

HOC EST,

Sed cùm iam ad Priami domum ualde pulchram ueniſſet, politis parietibus fabricatam, & in ipſa quin

quaginta inerãt thalami de polito lapide, prope inter ſe conſtructi, ubi filij dormiebant Priami propter deſponſatas uxores: filiarum verò ex altera parte è regione inter aulam duodecim erãt ſublimes lecti de polito lapide, &c.

Fluminum quæ laudantur { Ab amplitudine, curſu, colore, ortu, nimirum unde naſcantur: locis, quæ præterfluunt, quæ in fluunt.
Agris, nemoribus, quæ irrigant, piſcium genere. }

Exemplum inuenies apud Plin. lib. 5. cap. 9. ubi Nilum deſcribit.

Virgilius lib. 2. Aeneidos.

—Leni fluit agmine Tybris.

Ecce à curſu Tybrim laudat.

Plinius libro quinto. Cap. 28.

Amnis Indus in Cybiratarum iugis ortus, recipit ſexaginta perennes fluuios, torrentes uerò amplius C. etc.

Agrorum, qui laudantur ab his { Quid ferant, quantum, quo ritu colantur, cuiuſmodi cultores habeant.
Quod arborum genus, quod uinum proferant. }

Huc refer laudes amœnitatum ruris.

Horatius lib. Epiſtolarum. 1. epiſtola ad Fauſtum:

Nouiſti' ne locum potiorem rure beato?
Eſt ubi plus teneant hyemes? &c.

Mon/

Montium qui laudantur à { Radicibus, Si quid habeant nouum, Quid prodigioſum, Quid memorabile.

Plinius lib.3.capite 8. Aetna mons nocturnis mirus incendijs.

Virgilius lib.3. Aeneidos.

Ipſe ſed horrificis iuxta ſonat Aetna ruinis,
Interdumq́; atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo,& cadente fauilla,
Attollitq́; globos flammarum,& ſydera lambit:
Interdum ſcopulos,euulſaq́; uiſcera montis,
Erigit eructans,&c.

GENERIS DELIBERA-
tiui epiſtolæ.

In hoc ſuademus aliquid,aut diſſuademus.

CVIVS LOCI SVNT.

Honeſtum,utile,poßibile,neceſſe,facile,iucundum, pium,iuſtum, æquum,glorioſum. Porrò honeſti ratio in uirtutibus ſita eſt.Proinde ſi honeſti fontes ſcire uis, neceſſe eſt ut uirtutum ſingularũ rationes teneas,quas ex 1. Officiorum libro perdiſces.Cæterum de utilitate ſuprà diximus.Neceſſe eſt, ut inquit Cicero,ſine quo ſalui eſſe non poſſumus.

ALIQVI HOS LOCOS
recenſent.

Laudem,gloriam, fidem,iuſticiam, quæſtum,emolumentum,fructus.

Hi uerò loci cum ſuperioribus re ipſa conueniunt.

EXEMPLVM.

SVADET AMICVS AMICO, VT
iuri ciuili nauet operam.

Audio te uir optime, tecum inire rationem, cuinam ſtudiorũ generi te tradas. Tu uerò ſi amici conſiliũ admittis, ſuadeo ut animũ tuum ad iuris ciuilis ſcientiam adiungas. Quid enim honeſtius hoc ſtudio aut dici, aut fingi poteſt? Hoc poteris ſuccurrere oppreſſo, iudicare pupillo, defendere uiduã. Quid porro neceſſarium magis? tolle è medio Ius ciuile, & omnes urbes ſubuerteris, omnes rerumpublicarũ formas confuderis. Non opinor, ignoras, quid dicat Cicero in oratione pro Cluentio: Quod hoc uinculum ſit ciuitatis, hoc fundamentũ libertatis. Vt enim corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine legibus, ſuis partibus & neruis, & ſanguine, & membris uti nõ poteſt. Audi uerò quid dicat idem Orator pro Cecinna: Nihil in ciuitate, inquit, tam diligenter retinendum, quàm ius ciuile: quo ſublato, nihil cuiquã exploratum eſſe poteſt, quid ſuum, quid alienum ſit. In hoc enim incumbit Ius ciuile, ut optima ciuitas cõſtituatur, Alcinnoo autore. En habes Iuris ciuilis neceßitatem. Iam uerò quantum adferat ijs qui ei præſunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? & ut alios omittam, quantum ſplendoris ars hæc Mutio Scæuolæ attulit, ut cuius domus uerum oraculum ciuitatis Romanæ dicta eſt. Sabinus quidã uir anguſtæ rei familiaris, propter Iuris ciuilis ſtudiũ, à Tyberio Cæſare in equeſtrẽ ordinem iam grandis natu, & fermè quinquaginta annorum, exceptus eſt. Caius Caßius Longinus ſub eodem Tyberio in maximo honore

nore habitus eſt, ſub Claudio præfectus Syriæ crea-tus. Quod ſi quæſtum quoq; ambis, nulla eſt ars quæ-ſtuoſior: id quod uerſiculus ille, licet in ſyllaba una uulgo uitioſus, ſatis arguit: Dat Galenus opes, *& ſan-ctio Iuſtiniani* Q1. *id quod re ipſa uides nullum quan-tumuis mediocriter iuris peritum, rei familiaris inopia laborare? Nec uerò eſt quod te difficultas deterreat: ſtudiũ iſtud admodum facile eſt, ſi quis illud diſciplinis alijs inſtructus adeat. Tu uerò cùm ſis linguarum cal-lentiſsimus, facundia facundior, memoria uiuaciſsima præditus, quid obſecro, difficultatis perſenſurus es? Ac-cedit huc quoq; totum iſtud Ius in certos, nec illos in-numeros libros relatum eſt: quod ſi perdidiceris (per-diſces uerò, ſi ingenium intenderis) tantum non alter Scæuola futurus es. Hic quoque certum aliquem ſcri-ptorem elige: nec fac ut pleriq; faciunt, qui iam illius, iam iſtius autoris interpretamenta ſequentes, & ipſi incerti ſunt quos ſequantur, & auditores multo incer-tiores abeunt. Deniq; eſt mira quædã in cognoſcendo Iure ciuili ſuauitas & delectatio. Nam (ut Ciceronis uerbis utar) ſi quẽ aliena ſtudia delectant, plurima et in omni Iure ciuili & in Pontificũ libris, & in* XII. *tabulis antiquitatis effigies, quod & Romanorũ pri-ſca uetuſtas cognoſcitur, & actionũ genera quædam maiorum conſuetudinem uitamq; declarant. Age igi-tur, cum iuris ciuilis ſtudio nullum ſit honeſtius, nul-lum magis neceſſarium, nullum utilius, facilius, deniq; iucundius, Corœbo (quod aiunt) ſtultior eris, ſi non ad hoc ſtudium animum tuum appuleris. Vale.*

Contrarij

CONTRARII LOCI SVNT IN
diſſuadendo ſcilicet.

Inhoneſtum, inutile, difficile, non neceſſarium, impium, periculoſum, impoßibile.

EXEMPLVM.

DISSVADET AMICVS AMICO
ne mercaturæ ſtudeat.

Licet amicorum mellitißime ipſemet conſilio uales, tamen cũ te plurimũ amem, non poſſum nõ, quid ego de tuo inſtituto ſentiã, apud te expromere. Rumor eſt te mercaturæ uacare uelle: quod ne facias, ſuadeo. Principiò non poteſt per opes tuas fieri, ut copioſam mercaturã inſtruas. Mercatura autem, ut inquit Cicero, ſi tenuis eſt, ſordida putãda eſt. Sordidi enim putantur, qui mercantur à mercatorib. quod ſtatim uendant. Quid, quæſo, proficiunt, niſi admodum mentiantur? nec uerò quicquam turpius eſt uanitate: hæc ille. Porrò pone ob oculos pericula, quæ tibi ingruent, ubi iam huc, iam illuc, uel pedes, uel eques proficiſceris: ſi quid pecuniarum in zona tecum geſtaueris, mille inſidiæ tibi tendentur: ſi merces aliquas coëmeris, iam uel in mari intercident, uel in uia pedeſtri à latronibus intercipiẽtur. Taceo imbres, tonitrua, grandines, quæ tibi iam huc, iam illuc proficiſcenti imminebunt. Omitto laborem emendi, uehendi domum: has, inquam, malorum Iliadas reputa, & mirũ ni cane peius & angue mercaturam oderis. At quæſtus forſitan tibi arridet. Verũ heus tu, quàm quæſo ſordidus eſt? quàm impius? Siquidẽ tu res minoris emis, ut pluris fratri tuo uendas. En quàm pius quæſtus. Quid uerò ſi aliquando

do

do cum merce una aut altera, tantũ iacturæ acceperis, quantum in multis nõ reſarcire potes? Quid uerò ubi nõ ſemper pecunia præſente emere poteris, et maioris emas, quàm reuendere unquã queas? Quid ſi aliquan do unam rem plures alij emerint, & tua tibi domi maneat, ubi tunc manebit quæſtus? Deniq; quæ neceſ-ſitas, ſi Dijs placet, Diomedæa te ad mercaturam adi git? an non literas tenes? quæ unæ te quæcunq; terra-rum ueneris, alere poterunt? quæuis enim terra alit artem. Ecquur non potius te ad certum aliquod ſtu-diorum genus transfers? uel medicinam, uel ſi mauis etiam iuriſprudentiam? hac ſanè uia citius ad hono-res, quorum ſcio te eſſe famelicum, ad opes quas am-bis, proueheris. Proinde ſi me amicum uis, aliò inſti-tuti tui uela uerte.

EXEMPLVM DISSVASORIAE ORA-*tionis habes apud Ciceronem,*
7. Philip.

Ad hoc genus epiſtolæ, refer Epiſtolam	*Conciliatricem,* *Exhortatoriam,* *Dehortatoriam,* *Petitoriam,* *Commendatoriam,* *Conſolatoriam.*

Conciliatrix epiſtola eſt, qua conciliamus uel noſ-metipſos alijs, uel alios alijs.

Loci ſunt ijdem qui ſuaſoriæ epiſtolæ. Dicimus ho-neſtum eſſe, ut iram, ſimultatem, odium deponant: ſiquidem fortium uirorum eſſe, ſeipſos uincere. Dici-mus impium eſſe, Chriſtianum cum Chriſtiano diſſi-dere,

dere, cùm utrunq; Chriſtus ſuo ſanguine coniunxerit: ipſe enim eſt pax noſtra. Oſtendimus multa incommoda, quæ ex illis odijs mutuis, ſimultatibus, gliſcant. Facile uerò eos poſſe reconciliari docemus, ſi modo utrinq;, quicquid ultrò citroq; moleſtiarum ſit, animo expuerint: nos & alios bonos uiros, quod æquum ſit utriq;, pronunciaturos.

Exhortatoriæ quoq; & dehortatoriæ loci ſunt, qui ſuaſoriæ & diſſuaſoriæ.

Eraſmus hos locos enumerat.

Laudem { Rei: ut ſi res pia, honeſta, iucunda, glorioſa, &c. ſit. Perſonæ.

Spem bonorum	Odium inimicorum,
Metum malorum,	Commiſerationem,
Amorem eorū quorum gratia res aliqua ſubitur	Aemulationem, Expectationē inimicorum.

Exemplum apud Eraſmum offendes.

Cic. lib. Epiſtolarum 2. epiſtola quæ incipit, Epiſtolarum, &c. Eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta & parata incredibilis quædā expectatio, quam tu una re facilimè uinces, ſi hoc ſtatueris: quarum laudum gloriam adamaris, &c.

C. PNINIVS OCTAVIO
Suo S. D.

NOminem te patientem, uel potius durum ac penè crudelem? qui tam inſignes libros, tam diu teneas? quouſq; & tibi & nobis inuidebis? tibi maximam laudem, nobis uoluptatem. Sine per ora hominum ferantur, iiſdemq; quibus lingua Romana ſpa

cijs

ciis peruagetur: magna etiam longaq; expectatio eſt, quam fruſtrari adhuc, & differre non debes. Enotue*re quidam tui uerſus, & inuito te clauſtra refrege runt: hos niſi retrahis in corpus, quādoq;, ut errones aliquem, cuius dicantur, inuenient.* Habe ante oculos *mortalitatem, à qua aſſerere te hoc uno monumento potes.* Nam *cætera fragilia & caduca, non minus quàm ipſi homines occidunt, deſinuntq;.* Dices, ut ſo*les, amici mei uiderint: opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laborioſos, ut tantum curæ, intentionisq; ſuſcipere & poßint, & uelint: ſed di ſpice, ne ſit parum prouidum ſperare ex alijs, quod tibi ipſe non præſtes: & de editione quidem interim, ut uoles, recita ſaltem, quo magis libeat emittere, utq; tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temerè præſumo.* Imaginor *enim qui concurſus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam ſilentium ma neat: quo ego, cum dico, uel recito, non minus quàm clamore delector: ſit modo ſilentium acre, & inten tum, & cupidum ulteriora audiendi hoc fructu tan to, tam parato.* Deſine *ſtudia tua infinita iſta cunctatione fraudare: quæ cum modum excedit, uerendum eſt ne inertiæ & deſidiæ, uel etiam timiditatis nomen accipiat.*

EXEMPLVM EPISTOLAE *dehortatoriæ.*

Bella *uerò res eſt, quod tu, ut audio, dies noctesq; ebrietati deditus es: an non uides quàm turpis res ſit, quàm homine indigna?* Etenim *homo una ratione cæteris animantibus anteit.* Hac *uerò uini iuxtà*

decem aureos hominis & egentis & amici uſibus ex ponere. Tu ſanè non decem, ſed ducentos citra tuarum rerum diſpẽdium, mihi utendos dare poſſes: ſed parum abs te peto, ut minore negotio impetrem. Quot uerò mihi commoditates parua iſta pecunia allaturus ſis, uide: meam exiſtimationem, ne omnino eleuetur, conſeruabis: liberi, operæ, uxor, ne fame pereant, caueris: me in tuo, quod aiunt, ære eſſe facies. Vbi uiciſsim: ſi non pecunia, at induſtria, conſilio, literis, ſi quas modo calleo, tibi tuisq́; conſulere potero, diſpeream, ſi non me tuum eſſe dixeris. Vale.

Seruius, id quod & Eraſmus obſeruauit, enarrans orationem illam Iunonis in 1. Aeneid. Aeole, &c. dicit, id quod petimus, poßibile, & iuſtum eſſe debere, tum modum præſtandi præſcribendum, poſtremo remunerationem addendam.

EXEMPLVM.

Optime uir, eſt quòd à te petam. Sycophanta quẽ noſti, mihi multis modis moleſtus eſt: quare te peto quo illum compeſcas, ut moleſtiarum finem faciat. Ecquid uerò iuſtius, quàm amicum amico aduerſus Scycophantæ oblatrationes patrocinari? Vt uerò patrocineris, nihil facilius: noui enim autoritatem tuã: admone ſaltem hominem iſtum, quem noſti, ut linguæ imperet, ut maledicendi finem faciat: admonebis uerò ipſum, cùm te, ut ſolet, ſalutandi gratia acceſſerit: ego uiciſsim ſedulò, quæ uoles faciam.

In epiſtola petitoria ſæpe demonſtratiuæ locis utimur.

C. PLINIVS MAXIMO

Suo S. D.

QVod ipſe amicis tuis obtuliſſem, ſi mihi eadẽ materia ſuppeteret, id nunc iure uideor à te meis petiturus. Arrianus Maturius Altinatium eſt princeps: cum dico princeps, non de facultatibus loquor, quæ illi largæ ſuperſunt, ſed de caſtitate, iuſtitia, grauitate, prudentia. Huius ego conſilio in negotijs, iudicio in ſtudijs utor: nam plurimum fide, plurimum uarietate, plurimum intelligentia præſtat: amat me (nihil poſſum dicere ardentius) ut tu: caret ambitu, ideo ſe in equeſtri gradu tenuit, cum facile poſſet aſcendere altiſsimum: mihi tamen ornandus, extollendusq́; eſt. Itaque magni exiſtimo, dignitati eius aliquid aſtruere inopinantis, neſcientis, imo etiam fortaſſe nolentis: aſtruere autem quod ſit ſplendidum, nec moleſtum, cuius generis, quæ prima occaſio tibi, in eum conferas rogo. Habebis me, habebis ipſum gratiſsimum debitorem: quamuis enim iſta non appetat, tam gratè tamen accipit, quàm ſi concupiſcat.

COMMENDATORIA.

Qua uel aliquam perſonam, uel alicuius ingenium commendamus.

Exempla plurima offendes in libro epiſtolarum Ciceronis 10.

CON/

CONSOLATORIA EPISTOLA.

Qua aliquem conſolamur.

EXEMPLVM.

SERVIVS SVLPITIVS M. *Tullio Cic.* S.

Poſteaquàm mihi renunciatum eſt, de obitu Tul-liæ filiæ tuæ, ſanè quàm pro eo ac debui, grauiter moleſteqúe tuli, communemqúe eam calamitatem exiſtimaui: qui, ſi iſtic affuiſſem neque tibi defuiſſem, coramqúe meum dolorem tibi declaraſſem. Et ſi genus hoc conſolationis minimum atque acerbum eſt, propterea, quia per quos ea fieri debent propinquos, ac familiares, ipſi pari moleſtia afficiuntur, neque ſine lachrymis multis id conari queunt, ut magis ipſi uideantur aliorum conſolatione indigere, quàm alijs poſſe ſuum officium præſtare: tamen quæ in præſentia in mentem uenerunt, decreui breui ad te perſcribere: non quod ea te fugere exiſtimem, ſed quod forſitan dolore impeditus minus ea perſpicias. Quid eſt, quod tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiſcum egerit, ea nobis erepta eſſe, quæ hominibus non minus, quàm liberi chara eſſe debent, patriam, honeſtatem, dignitatem, honores omneis, hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris æſtimare? an illius uicem (credo) doles, quoties in eam cogitationem neceſſe eſt & tu ueneris, & nos ſæpe incidimus, hiſce temporibus non peßime cum ijs eſſe actum,

quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum uita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare poſſet? quæ res, quæ ſpes, quod animi ſolatium? ut cum aliquo adu/leſcente primariò coniuncta, ætatem ageret? Lici/*tum eſt tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuen/tute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tu/tò committere putares: an ut ea liberos ex ſeſe pa/reret, quos cum florenteis uideret, lætaretur, qui rem à parente traditam per ſe tenere poſſent, hono/res ordinatim in repub. petituri eſſent? in amicorum negotijs libertate ſua uterentur? Quid horum fuit, quod non prius, quàm datum, ademptum ſit?* At ue*rò malum eſt liberos amittere: malum, niſi hoc peius ſit, hæc ſufferre & perpeti. Quæ res mihi non me/diocrem conſolationem attulit, uolo tibi commemo/rare, ſi fortè eadem res tibi dolorem minuere poſ/ſet.* Ex *Aſia rediens, cum ab* Aegina Megaram *uer/ſus nauigarem, cœpi regiones circum circa proſpi/cere: poſt me erat* Aegina, *ante* Megara, *dextra* Pi*ræus, ſiniſtra* Chorinthus, *quæ oppida quodam tem/pore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata, & diru/ta ante occulos iacent. Cœpi egomet mecum ſic co/gitare, hem nos homunculi indignamur, ſi quis no/ſtrum interijt, aut occiſus eſt, quorum uita breuior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iacent.* Vis ne tu te Serui *cohibere, & me/miniſſe hominem eſſe natum?* Crede *mihi, cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus.* Hoc *idem ſi tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas, modo*
uno

uno tempore tot uiri clariſsimi interierunt, de impe rio præterea tanta diminutio facta eſt, omnes prouin/ ciæ conquaſſatæ ſunt: in unius muliierculæ animula ſi iactura facta eſt, tantopere commoueris? quæ ſi hoc tempore non ſuum diem obijſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fue/ rat. Etiam tu ab hiſce rebus animum ad cogitationem tuam auoca, atque ea potius reminiſcere, quæ digna tua perſona ſunt: illam, quam diu ei opus fuerat uixiſ/ ſe, unà cum republica fuiſſe, te patrem ſuum præto/ rem, conſulem, augurem uidiſſe: adoleſcentibus pri/ marijs nuptam fuiſſe, omnibus bonis propè perfun/ ctam eſſe, cum reſp. occideret, uita exceſsiſſe. Quid eſt quod tu, aut illa cum fortuna, hoc nomine queri poſsis? Denique noli te obliuiſci Ciceronem eſſe, & eum qui alijs conſueueris præcipere, & dare conſi/ lium: neque imitare malos medicos, qui in alienis mor bis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: ſed potius, quæ alijs tute præci/ pere ſoles, ea tute tibi ſubijce, atq; apud animum pro- pone. Nullus dolor eſt, quem non longinquitas tem/ poris minuat, atq; molliat: hoc te exſpectare tempus tibi turpe eſt, ac non ei rei ſapientia tuapte occurre/ re. Quod ſi quis etiam inferis ſenſus eſt, qui illius in te amor fuit, pietaſq; in omnes ſuos, hoc certè illa te facere non uult. Da hoc illi mortuæ, da cæteris ami/ cis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut ſi qua in re opus ſit, opera & conſilio tuo uti poſsit. Deniq;, quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiã huic rei nobis ſeruiendum ſit, noli committere, ut

quiſquam te putet non tam filiam, quàm reipub. tempora & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te de hac re ſcribere pudet, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere. Quare ſi hoc unum propoſuero, finem faciam ſcribendi. Vidimus aliquoties ſecundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamq́; ex ea re te laudem adipiſci: fac aliquando intelligamus, aduerſam quoque te æquè ferre poſſe: neque id maius, quàm debeat, tibi onus uideri, ne ex omnibus uirtutibus hæc una tibi uideatur deeſſe. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliorem animo eſſe cognoro, de ijs rebus, quæ hic geruntur, quemadmodumq́; ſe prouincia habeat, certiorem faciam.

DE GENERE EPISTOLAE Iudicialis.

Hæc conſtat intentione, id eſt, accuſatione, cū ſcilicet alicui crimen obijcitur: & defenſione, cum quis crimen obiectum defendit & deprecatur. Hic multū refert, callere rationes amplificādi crimē, quod alicui obijcitur: refert, confutandi rationē habere cognitā.

Amplificatur res à circunſtantijs.	*Verbis, ſententijs, figuris.*	
	Loco,	
	Tempore,	*Vide Fabium lib. 8.*
	Perſona,	*Cicer. in Partition.*
	Modo,	
	Frequentia.	

RATIO CONFVTANDI.

Aut totum eſt negandum, quod obiectum eſt, & fictum & falſum eſſe docendum: aut redarguenda ea, quæ pro ueriſimilibus dicta ſunt. Primo dubia eſſe

poſſ

poſita pro certis. item impoßibilia eſſe, repugnantia eſſe, abſurda dictu eſſe, inuidia magis quàm iudicio effuſa, &c.

EXEMPLA.

Accuſatur amicus ſtupri.

An' ne uerò Iupiter tibi mentem abſtulit omnem? Ecquæ te intēperies agit, quòd Chremetis noſtri filiæ uitium offers? An uerò illud leue crimen eſt? an uerò tolerandum, quod in domo optimè de te meriti, ipſo die natalis Chriſti, puellam iſtam famæ ante hac ſemper integræ, ſtupras? Nec ſatis eſt, quod tu in puella tui dißimilis es, niſi etiam ſororibus alijs uidentibus, & ſupra modum queritantibus, tuam expleas libidinem. Quid te futurum ſit, neſcio, niſi quod audio exēplum in te futurum maximum. Bene uale.

EXEMPLVM CONFVTANDI.

Confutat quidam ſuſpicionem uulnerati à ſe uicini.

Ioannes fuit hodie apud me, indicans uicinū Phaniam graue uulnus accepiſſe: de nullo uerò ſuſpicionem coortam, niſi de me. Ego uerò auſim deierare per deos omnes, me eſſe extra noxam. nam quod iſti dicunt me heri gladio accinctum, ædes uicini præterijſſe, non arguit me propterea eum uulneraſſe, cum multi alij præterierint, non minus armati quam ego, cur non in eos quoque recidit ſuſpicio? Accedit huc, quod ego heri circiter horam undecimam à meridie domum Phaniæ præterij, & poſthac ne ſemel quidem in publicum progreſſus ſum. quinam igitur fieri poteſt, ut ego illum uulnerarim? cum conſtet eum ueſperi hora nona uulneratum. Age uerò quinam con-

gruit, uulneratum illum à me, quem ſemper parentis in loco habuerim? teſtabitur ipſe, ſi mihi non adhibe/tur fides. Non me fugit, quinam iſti ſint, qui me hoc nomine traducant, ſunt certe mei inimiciſſimi, qui nihil prius malunt, quam me extinctum. Ex his igitur col/liges, quam falſiſſime traducar, &c.

Ad hoc epi/ſtolæ genus refer { Querelam, Expoſtulationē, Expurgationē, Exprobrationē, Inuectiuam } quæ ut nominib. uariāt, ita tractā di ratione ab argumētis epiſtolæ iudicialis nō multum diſcrepant.

Exempla in autoribus obſerua.

DE EXORDIIS EPISTOLARVM.

Exordia ducuntur à rebus ipſis de quibus ſcribimus.

EXEMPLA.

Miram ſanè rem & tibi, ut opinor, auditu iucun/diſſimam, non potui nō ad te perſcribere, cùm ſciam te rerum nouarum percupidum eſſe: en rem, ut no=uam, ita miram. Mira auditu nuper ad te perſcripſi, ſed audi θαυμαστότερα.

Exordia ducuntur à perſona noſtra.

EXEMPLA.

Meum erga te animum multis ſæpe nominibus ti/bi cognitum eſſe nō dubito: ſcis, opinor, quàm patrē tuum multis ſæpe rebus ornarim, non te latet, quàm toti familiæ tuæ ſemper prodeſſe ſtuduerim, &c.

ALIVD.

Si unquam aliud de te benemeritus ſum, me ante benemeritum eſſe, negare nō potes, fac te quoq;, &c.

ALIVD.

ALIVD.

Horreo,ut me Chriſtus amet dicere quàm inſœlici ter ceſſerit mihi mea profectio. O quā non ibi calamita tem uidi? O quam non inopiam expertus ſum.

ALIVD.

Quamuis alij multi hic ſunt, quos mihi adfuturos ſpero, tu tamen imprimis ades, omnium mearum neceſſitatum prora & puppis, quod aiunt.

Exordia dicuntur ab ijs, ad quos ſcribimus: item ab illis, de quibus ſcribimus. Et his exordij generibus in epiſtola commendatoria autores uti ſolent.

C. PLINIVS LIBRO EPISTOLArum 2. C. Plin. Priſco ſuo.

ET tu occaſiones obligandi me auidiſſimè amplectcris, & ego nemini libentius debeo. Duabus ergo de cauſis à te potiſſimum petere conſtitui, quod impetratum maxime cupio. Regis exercitum ampliſſimum, hinc tibi beneficiorum larga materia, longum præterea tempus, quo amicos tuos exornare potuiſti: conuertere ad noſtros, nec hos multos malles tu quidem multos, ſed meæ uerecundiæ ſufficit unus, aut alter, ac potius unus: is erit Voconius Ro. pater ei in equeſtri gradu clarus, clarior uitricus, imò pater alius: nam huic quoque nomini pietate ſucceſſit. Mater è primis citerioris Hiſpaniæ. Scis quod iudicium prouinciæ illius, quanta ſit grauitas: flamen proximè fuit: hunc ego cùm ſimul ſtuderemus, arctè familiaritérq; dilexi: ille meus in urbe, ille in ſeceſſu, contubernalis: cum hoc ſeria, cum hoc iocos miſcui: quid enim illo aut fidelius amico? aut ſodale iucundius? Mi-

ra in ſermone, mira etiam in ore ipſo uultuq; ſuauitas: ad hæc ingenium excelſum, ſubtile, dulce, facile, eruditum in cauſis agendis. Epiſtolas quidem ſcribit, ut Muſas ipſas latine loqui credas: amatur à me plurimum, nec tamen uincitur. Equidem iuuenis iuueni, quantum potui, per ætatem auidiſſime contuli, & nuper ab optimo Principe trium liberorũ ius impetraui, quod quanquam parce et cum delectu daret mihi, tamen tanquam liceret indulſit: hæc beneficia tueri nullo modo melius, quàm ut augeam, poſſunt: præſertim cum ipſe illa tam grate interpretetur, ut dũ priora accepit, poſteriora mereatur. Habes qualis, quàm probatus, charusq; ſit nobis: quem rogo pro ingenio, pro fortuna tua exornes: in primis ama hominẽ. nam licet tribuas ei, quãtum ampliſſimum potes, nihil tamẽ amplius potes amicitia tua, cuius eſſe eum uſque ad intimam familiaritatem capacem, quo magis ſcires, breuiter tibi ſtudia, mores, omnem deniq; uitam eius expreſſi. Extenderem preces, niſi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epiſtola feciſſem: rogat enim et quidem efficaciſſime, qui reddit cauſas rogandi. Vale.

Exẽpla plurima ſunt lib. 13. epiſtolarũ Ciceronis.

Exordia ducuntur ab officio: ſic Cic. lib. primo epiſtolarum: Ego omni officio, &c.

Ab aduerſariorum perſona, ſi eos in odium, inuidiam, contemptionem adducimus. Hoc exordij genere in epiſtola iudiciali uti licebit.

A tempore: ut, Ecquod unquam de te bene merendi tempus oblatum eſt commodius. Semper occaſionem te mihi arctiore amicitiæ fœdere aſtringendi quæſiui, en iam reperi. A mori/

A moribus, Mos eſt, *ut in his diebus natalitijs amicus cum amico xenijs certet*, &c. Mos eſt *apud Lippenſes, ut in diebus* Bacchanalibus *alius alium ad prandium, cœnam inuitet*, &c.

Exordia *ſumuntur à ſententijs, ut recte dixit Comicus*. Quot *capita, tot ſenſus*.

A uotis: O *quàm uellem mihi dari uberrimam de te benemerēdi anſam. Si quid uotis proficeretur, optarem, ut iam* Crœſus *alter eſſes, ut qui tantos ſumptus quotidie ferre cogeris*.

A cōparatione: Si unq̄ aliâs, hoc certe tēpore Deus Opt. Max. *cōprecādus eſt, ut tandē orbis funeſtis illis diſsidijs defungatur, alioqui uereor, ꝓrſus collabetur*.

SALVTAMDI FORMVLAE.

Paulus ſic ſalutat: Gratia uobis & pax à Deo pa*tre, &* Domino Ieſu *Chriſto*.

CICERO.

Sic ſalutat: M. T. C. *Publio* Lentulo S. D. *Plinius iunior addit*. Suo. *Alias formulas ex* Eraſmo *pete*.

DE SVPERSCRIPTIONE Epithetorum.

Principum epitheta fere ſunt huiuſmodi.

Cæſar Auguſt. Rex *inuictiſsime*.
Fortiſsime Imperator.
Dux illuſtriſsime.
Clementiſsime Princeps.
Vir generoſiſsime, præpotens.
Ornatiſsime, clariſsime, ſplendidiſsime.

Opt.

Opt. Max. quod à Ioue ſumptum quidam in Chriſtum tranſferunt, in quem uerius competit, quàm in Iouem.

Magiſtratuum Epitheta ſunt hæc.

- Conſul uigilantiſsime.
- Senator ſplendidiſsime.
- Cenſor grauiſsime.
- Aedilis magnificentiſsime.
- Iudex incorruptiſsime.
- Prætor integerrime.

Ex his qui literas profitentur, appellare poteris

- Theologos, graues, ſynceros abſolutos, ſacros ac diuinos.
- Rhetores, diſertiſsimos, ſuauiloquentes, facundiſsimos.
- Poëtas, ſacros, diuinos, claros, nobiles, inclytos.
- Iuris peritos, iuris utriuſq; cõſultiſsimos, prudentiſsimos legum, iuris utriuſque iuxtà doctos.
- Dialecticos, acutos, argutos, inuictos.
- Medicos, peritiſsimos, fidos, eximios.
- Mixte doctos, undequaq; doctiſsimos.

Cognatorum & affiniũ epitheta fere ſunt hæc, Pater optime, mater indulgentiſsima, frater chariſsime, patrue obſeruande, uxor ſuauiſsima, nepos melliтiſsime.

Iucundiſsime

- Gener,
- Affinis,
- Sodalis,
- Commilito.

Ex reliquorum genere, qui nulla certa nota ſunt inſignes, diuites, & autoritate præſtantes, uiros appellabimus, optimates uiros, ſummates, primarios, nobiles, graues, grauiſſimos, ornatos uirtute, aut eruditione præcellentes, obſeruandos, honorandos, colendos, abſolutos, eximios, egregios, prudentes, ſuſpiciendos, ſpectatos, perſpicaces, circumſpectos.

Matronas nobiles { Primarias, optimas, integerrimas, probas, pudicas.

Puellas lepidas { Bellas, amabiles, optime moratas, pudicas, mellitas, iucundas. } Appellabimus.

Item adoleſcentes ingenioſos { Probos, modeſtos, optimæ ſpei, eximiæ indolis, generoſæ indolis. } uocare licet.

Milites, fortiſſimos, exercitatiſſimos.

Opifices { Induſtrios, ſolertes, peritos, exquiſitos, accuratos.

D. ERASMVS ROTERODAMUS Petro Paludano Salutem.

VICISTI me tandem, humaniſsime P. habes toties efflagitatam à nobis ſcribendarum epiſtolarum rationem. Sed uide interim dum tuæ morem gero uoluntati, quantis me calumnijs ipſe obiecerim. Quid tandem Critici dicent? imò quod non dicent, ubi uiderint me auſum tractare rem à multis tam diligenter ac ſcite tractatam? Vis tu, inquient, Penelopes telam retexere? poſt tantos autores? aut eadem dicas neceſſe eſt, aut deteriora: quorum alterum ſuperuacaneum eſt, alterum etiam pernicioſum. Ego uerò quanquam multa alia habeo quæ reſpondere poſſum, unum hoc tamen dico, nullius qui de hac re aliquid conſcripſerit me ueſtigijs inhæſurum. Accipe itaq; breuiſsimam, maximeq; compendiariam conficiendarum epiſtolarum formulam: tibiq; hoc unum perſuade, non uerbis tantum illas, ſed arte etiam indigere. Vale, ſaluta amicos communes.

BREVISSIMA MAXIMEQVE COMPENDIARIA CONFICIENDARVM EPIſtolarum formula, per D. ERAS. Roterodamum.

EPISTOLAE DEFINITIO.

EPISTOLA *uarie à ſcriptoribus Latinis definitur, ſed eodem penè ſenſu. Libanius Sophiſta Græcus epiſtolam finit hoc modo: Epiſtola eſt abſentis ad abſentem colloquiũ. Porrò colloquium ſermonem familiarem interpretamur, ut intelligamus epiſtolam nihil ferè à communi ſermone quotidianarum collocutionum differre: nimiſq; errare eos, qui tragica quadam grandiloquentia in componendis epiſtolis utuntur, atq; ibi omnes ingenij uires effundunt, atque ſplendorem quærunt, copiæq; et oſtentationis gloriam, ubi minime opus eſt. Eſſe enim epiſtolicus ſtylus ſimplex debet, ac ueluti neglig ẽtiuſculus: Nam eſt etiam quædam negligentia diligens. Exemplo ſunt Plinij Cecilij epiſtolæ acutæ, elegantes, expreſſæ, in quibus nihil niſi domeſticum, quotidianum: ſed omnia tamen Latina, caſta, ornataq; leguntur. Cumq; ſit ſtylus ille multa arte atque ingenio, cultuq; ſubactus atq; elaboratus, illaboratus tamen penè, ſubitus atque extempora/*

rius

rius uidetur. Obſeruandum uerò illud imprimis eſt, fugienda eſſe uerba accerſita, antiqua, nimium affe/ctata, repetitaq́; ex Aboriginum ſeculis: quibus ho/die plerique corrupti & cacozeli utuntur, uerba no/ua atque inuſitata anxie quærentes, ut doctiores uide/antur: neque exiſtimantes rerum gratia uerba eſſe in-uenta, ſcribente ita Horatio in arte poëtica: Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ, Verbaq́; præ uiſam rē non inuita ſequentur. Superuacaneum quidē penè fuerat poſt M. T. Ciceronem, ac Fabium Quin tilianum, idem toties repetere: niſi quidam hodie re/perirentur uerborum aucupes, atque anxij captato/res, qui unius uerbi cauſſa tantum epiſtolam condere parati ſunt: cumq́; uoculam unam longo labore quæſi tam epiſtolæ inſeruierint, putāt ſe palmarum fructum reperiſſe: ac tunc maxime ſuam barbariem ac balbu/tiem indicant.

DE EXERCITATIONE *& ſtylo.* Cap. I.

CAput igitur illud primum ſit, rem totam acu/te, ingenioſe, prudenter diſpoſuiſſe.. Quando in tanta latinæ linguæ opulentia uerba propria, a/pta, atque ad rem ipſam ſignificandam nata, deeſſe non poßint. Exercitatione itaque opus eſt, & ſtylo non mediocri. Scribendum uerò quàm plurimum, & quàm diligentißime: quoniam ſtylus optimus effector eſt & magiſter dicendi, ut apte apud Ciceronem Craſſus ait. Et ut terra altius effoſſa generandis alen-

diſq́; ſeminibus fecundior eſt. ſic profectò non à ſummo petitus ſtylus ſtudiorum fructus effundit uberius, & fidelius continet. Primum itaque ſumma ſolicitudine ac ſtyli diligentia utendum: ſed nec ſine frequenti aßiduaq́; ſcribendi exercitatione extemporalis facultas, ampliſsimus certiſsimusq́; ſtudiorum fructus, nec ſolida dicendi fiducia parari poteſt. Stylus itaq; frequens & opulentiam nobis parit, copiamq́; ſermonis, & mirabilem adfert dicendi ſcribendiq́; promptitudinem. Porrò tardus primum ſtylus eſſe debet & diligens, cùm uaria multipliciq́; autorum lectione: habendus eſt rerum ac uerborũ delectus, & pondera examinanda. Neque occurrentibus primum uerbis ac ſtatim ſeſe offerentibus, incautè utendum eſt, ut quidam faciunt, captantes prima quæque, atque auide arripientes. Suſpecta eſt enim facilitas illa, qua plerique imprudenter exultant & gloriantur. Quare Salluſtium conſtat, Quintiliano referente, in ſcribenda hiſtoria fuiſſe tardiſsimum, & Virgilium paucisſimos indies uerſus componere ſolitum. Nunquam profectò fœliciter inueniet, neq; aptè collocabit, neq; ornatè ſcribet ac politè, qui primum & ſtylo & iudicio lento uſus non fuerit. Mora enim melius ſolidiusq́; iudicium paratur, refrigeſcit´que inuentionis amor. Quare falluntur, qui multa ſtylo primum quàm uelociſsimo ſcribere conãtur. Diligentia enim in primis opus eſt, quanquam mox & fœliciter ſequitur ſtylus, & uberior ac promptior. Celeritatem enim dabit conſuetudo, ut Fabius ait. Paulatim res ſeſe facilius oſtendent, uerba reſpondebunt, compoſitio ſequetur: cun-

cta denique, ut familia bene inſtituta, in officio erant. Cæterum fugienda eſt eorum moroſa nimis diligentia, quibus nullus eſt ſeipſos calamitandi finis, & quibus nihil unquam ſatis placuit. Neq; enim promptum eſt dicere, uter eorum peccet ualidius, is ne, cui omnia ſua placent, aut cui nihil ſatisfacit. Relinquenda eſt infinita illa cura, et curandum ut optime ſcribamus: ſed ſcribendum tamen pro facultate. Adſit ergo ipſi diligentiæ quidam modus.

DE IMITATIONE
Caput II.

QVoniam uerò artis pars magna imitatione continetur, ab authoribus lectione dignis uerborum ſumenda eſt copia, & uarietas figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum uirtutum omnium mens dirigenda eſt. Stultiſsimum uerò eſt (ut Plinius in epiſtolis ait) non optima quæque ſibi imitandum proponere.

CIRCA IMITATIONEM EXACTISſimo iudicio opus eſſe.

QVapropter exactiſsimo iudicio circa hanc partem ſtudiorum opus eſt. Examinanda ſunt omnia, primumq; uidendum eſt quos imitemur. Imitandi uerò ſine controuerſia ſunt, quos multorum ſeculorum conſenſus probauit. Atque in epiſtolis Cicero, quanquam Latinæ eloquentiæ princeps, plus naturæ dicitur habere quàm artis: Plinius uerò plus artis ac diligentiæ: uterque tamen optimus. Sed nec ij ſoli legendi enim ſunt & alij, qui ſeſe ad ueterum imitationem

nem compararunt. Quibus Politianum iure adnumerandum cenſeo, propter incredibilem rerum nitorem; exactamq́; diligentiam, qua in quibuſdam epiſtolis eſt uſus. Senecam uerò doctis tantum legendum putant; quod quanquam eximiæ uir doctrinæ fuerit, ſtylo tamen uſus ſit ſterili & circunciſo, cum fœcundioribus ſcriptoribus alenda ſint adoleſcentum ingenia: alioqui magnas uirtutes in eo, non quantum ad mores modo pertinet, ſed etiam ad literas ac eloquutionem, non difficile deprehendent ij, qui in uaria lectione uerſati fuerint. Nec legendæ modò epiſtolæ eorum, quos imitare uelimus: ſed ſcripta alia, quæcunque ad phraſim prouectamq́; eloquentiam faciunt. Etenim ſicuti non unius generis ſunt epiſtolæ, ſic nec eiuſdem generis ſcriptores nobis eligendi. Quare qui ex omni albo operum Marci Tull. Ciceronis epiſtolas tantum eligunt, aut officia Ciceronis ſeſe diſcipulos profiteri non debent. Legendus eſt enim totus: quippe qui uarius, ſibiq́; diſsimilis, ut in uario diſsimiliq́; genere materiæ.

DE IVDICIO. Cap. III.

IMitatione itaque ſubeſt iudicium: niſi enim iudicio apprehendatur, non modo nihil prodeſt, ſed abeſt pernicioſiſsime. Videndum igitur qui nobis imitandi ſint, ne corruptiſsimos pro optimis ac probatiſsimis deligamus. Porrò qui Ciceronem ſibi ducem atque anteſignanum propoſuerit, neque eloquentiæ, neq; acuminis, neque diſpenſionis pœnitebit unquam. Falluntur tamen, qui exiſtimant imitatio-

nem per ſe ſufficere: uerum eſt enim illud Quintiliani: Pigri ingenij eſt, contentum eſſe ijs, quæ ſunt ab alijs inuenta. Quid enim, inquit ille, futurum erat temporibus illis quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil niſi quod iam cognouiſſent, faciendum ſibi aut cogitandum putaſſent? nempè nihil fuiſſet inuentum. Quare rectè exclamat Horatius *in imitatores.* O *imitatores ſeruum pecus, ut ſæpe* Bilem, *ſæpe iocum, ueſtri mouere tumultus.* Et *profectò nemo poteſt eum æquare, cuius ueſtigijs, ſibi utique inſiſtendum putat. Neceſſe eſt, eodem* Fabio *autore, ut ſemper ſit poſterior qui ſequitur.* Et *ſunt quædam in oratione maxima, quæ imitabilia non ſunt: ingenium, inuentionis facilitas. Arte igitur opus eſt, & præceptis, deinde imitatione & iudicio, poſtremo frequenti ſtylo ac exercitatione. Cæterum oritur quæſtio: an ſcribendarum epiſtolarum ars aliqua dici poßit: quidam enim naturali ratione & quotidiano* Latinoq; *ſermone contenti, artem eſſe aliquam ſcribendi negant: & noſtram hanc rident diligentiam exemplo magni nominis profeſſorum: quorum aliquis interrogatus quid eſſet, ſchema & noêma. Neſcire ſe quidem, ſed ſi opus eſſet, eſſe in ſua declamatione reſpondit: alter percontanti,* Theodoreus *ne, an* Appollodoreus *eſſet* : Ego, *inquit, pernullarius ſum. Sed quis eſt adeò non ab eruditione modo, ſed communi ſenſu remotus, ut fabricandi, texendi, & è luto uaſa ducendi, artem aliquam eſſe putet, ſermonem autem, quo nihil eſt ſecundum rationem præſtantius, arte ac præceptis nihil egere?* Non *dißimulandum tamen, quoſdam contrà ſentire, quotidianis*

nis

nis ſcilicet familiariſsimisq́; epiſtolis nullum adhiben dum artificium rhetoricum eſſe, ſed conſtare illas na turali quodam ſenſu, communi oratione: fruſtraq́; ad artem confugere eum, qui epiſtolam ad amicum de re inopinata ex tempore ſcribere uoluerit, oblato ſcili cet argumento, non quæſito: præſenti enim conſilio utendum eſſe, quo nihil eſt in ſtylo magis præcipuum, quia uariè & ad rerum momenta uertitur. Expedit *enim interdum mutare ex conſtituto & tradito ordi ne aliqua, & nonnunquam decet, ut in ſtatutis ac pi ctuis uidemus uariari habitus, uultus, ſtatus, pro re na ta.* Idcirco *utilitas quibuſcunque præceptis & magi ſtrorum autoritatibus præferenda eſt: ſed ita tamen, ut artis ipſius ratio & frequentior ſit & potior.* Quo *magis ridiculi ſunt, qui omnes epiſtolas in ſalu tationem, exordium, narrationem & concluſionem partiuntur, inq́; ijs putant totam artem cõſiſtere.* Neq; *enim ijs ſimul omnibus ſemper, ſed nec frequenter ad modum opus eſt: atque ut in orationibus pleraque mu tantur cauſsis, temporibus, neceſsitate, occaſione: ita in epiſtolis maxime, quæ & uario conſtant argu mento, & ad diuerſi cùm generis, tũ ordinis, tum inge nij homines ſcribuntur, nec uno tempore, nec loco. Prudentia itaque opus eſt, artis ipſius uel ſocia, uel pa rente.* Qui *enim ex uno præſcripto loqui omnia uel ſcribere conantur, uirium parum habeant neceſſe eſt.* Qui *uerò nunquam præcepta ſequuntur, & quo ſe cunque rapit impetus ſequuntur, percurruntq́; uelut effuſis habenis, ſoluti & fluentes, multa licenter effun ditant, ſcilicet ſine delectu.* Quare *utrique rei adhi*

bendus eſt modus. Quanquam uerò confitendum il/lud, doctrinam detrahere aliquid ſtylo, ut limam rudibus, & cotes hebetibus, & uino uetuſtatem: uicia tamen detrahit, atq; eo ſolo minus eſt quod literæ propolierunt, quo melius eſt, ut Fabius inquit. Nec audiendi illi, qui maiorem uim habere credunt ea, quæ non habent artem, ut effringere quam aperire, rumpere quã ſoluere, trahere quam ducere putent eſſe robuſtius, ut Quintilianus ſcribit. Videntur quidem indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia, & nulla lege cohibentur, ſed ſoluti & exleges impetum ſequuntur, quum doctis electio ſit et modus. Non ergo illa eſt uis, ſed uiolentia: nempe eorum, qui ſine labore, ſine ratione, ſine diſciplina diſertos ſeſe uideri uolunt.

DE TRIBVS GENERIbus cauſarum.

CVm ergo tria ſint cauſarum genera, quibus orator utitur, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale, ut Cicero. & Quintil. placet: ad hæc tria epiſtolarum ſpecies omnes eſſe reducendas, facilè is intelliget, qui latentem in ueterum epiſtolis artem excutere aliquando tentauerit: quiq; faſtidito triuiali iſto ſcribendi ac loquendi genere, legem ſequi certamq; rationem maluerit, quàm paßim ac ſine delectu tumultuari, quod infra latius explicabitur.

DEMONSTRATI/
uum genus.

DEmonſtratiuum genus conſtat laude & uitupera
tione, quod quidem primò ad oſtentationem fuit
compoſitum, mox etiam à Romanis negocijs ciuilibus
adhibitus: funebres enim orationes ex publico pen
dent interdum officio, atque ex ſenatuſconſulto ſæpè
magiſtratibus mandantur. Hominis uerò laus, ex ani
mo & corpore & extra poſitis peti debet: ut &
Ariſtoteli & Quintiliano placuit. Ad hoc itaque
genus referendæ ſunt epiſtolæ, quæ uel laudant, uel
uituperant, ea ratione quæ ſupra poſita eſt. Eius ge
neris eſt epiſtola Plinij, cuius principium eſt: Si quan
do urbs noſtra, &c. primò Ephratem philoſophum
Plinius ab animi bonis, eximijs'que uirtutibus, ut hu
manitate & eloquentia: deinde à bonis corporis &
à corporis proceritate, decora facie, demiſſo capil
lo, ingenti & cana barba: poſtremò ab externis,
quanquam leuiter & obiter, ut cùm eum dicit, Iulia
ni Pompeij clariſſimi iuriſconſulti & conſulis gene/
rum fuiſſe. Eius generis eſt epiſtola ad eundem: Pe
tis ut fratris tui filiæ, &c. laudat enim Minutium ab
honeſtate morum, clara patria, clarisq; parentibus,
& ab ea maximè uerecundia qua magiſtratus pluri/
mos geſſerat, deinde à facie liberali ingenuaq;, à totius
corporis pulchritudine, et quodam ſenatorio decore:
deniq; ab amplis facultatibus & maximo ſenſu maio
rum. Inueniuntur aliæ & apud alios & apud ipſum
epiſtolæ ſimili artificio compoſitæ, ex quibus unicuiq;

promptum eſt, ſuæ epiſtolæ artem & rationem deſumere. Totidem uerò modis uituperatur quis, quibus laudatur: quare ſuperuacaneum uidetur hoc adijcere. Ad hoc genus pertinent non modo hominum, ſed urbium, uillarum, montium & locorum deſcriptiones, quæ plerunque & orationibus & epiſtolis neceſſariò incidunt. Cuiuſmodi eſt apud Ciceronem Siciliæ deſcriptio. In ijs autem poſtremis, ſpeciem intuemur & utilitatem: ſpeciem in maritimis, planis, amœnis: utilitatem in ſalubribus, fertilibus. Addendum illud: nullum eſſe genus cui plus ornamenti liceat adhiberi, aut in quo indulgere ſibi plus poßit orator. Nam & poëticè euagatur nonnunquam, & ſeſe uelut extra præſcriptos cancellos agit, uti in panegiricis fieri uidemus. Sed epiſtolæ ſuus eſt modus. In deſcriptionibus huiuſmodi utendum uerbis, quàm maximè proprijs & ornatis. Et interdum lætius agendum, nec hiſtoricè modò, ſed poëticè etiam. Poëtice quid? ut cùm amœnißimam uillam deſcribentes, eandem Muſarum Nympharumq́; contubernium eſſe dicimus: quale eſt Vergilianum illud in deſcriptione portus Carthaginẽſis, cùm inquit, Intus aquæ dulces, uiuoq́; ſedilia ſaxo, Nympharumq́; domus. Etenim ſi id in oratione non negatur, cur idem in epiſtola non liceat, quæ & familiaris eſt, & plerunq; ab ocioſis ſcribitur, non expectato etiam argumento? Etenim ut ars epiſtolis adhibenda, ſolutius tamen eſt & liberius totum hoc ſcriptionis genus. Orationum enim, ut inquit Fabius libro nono, quædam iuncta eſt atque contexta ſeu perpetua:

tua: ſoluta alia, qualis eſt in ſermone & epiſtolis: niſi cum aliquid ſupra naturam ſuam tractat, ut de philoſophia, republica, & ſimilibus rebus arduis. Porrò *ut quiſq; optimè rem aliquam deſcripſit, ita nobis ſtudio ſe imitandus. In locorum quidem deſcriptionibus Liuius, interdum et Salluſtius: ſicuti in alijs Plinius, præſertim ubi uel regionis, uel beluæ alicuius ac feræ, piſcis, arboris, herbæ, floris, folij, radicis formam depingit, ac ueluti penicillo deformat. Plurimum enim in hoc genere ualuit Plinius: nec ſatis eſt unum eius autoris exemplum inſpexiſſe: legenda enim omnia, quo ad eius fieri poteſt, ac deligenda ſunt optima quæq;, ut non modo copioſi, ſed etiam uarij ac multiplices fiamus.*

DELIBERATIVVM *genus.*

N*Vnc ad deliberatiuum genus tranſeundum, quod multas ſpecies complectitur epiſtolarum.* Nam *& ſuaſoriæ ſunt epiſtolæ, & diſſuaſoriæ, hortatoriæ, & dehortatoriæ, petitoriæ, monitoriæ, amatoriæ, de quibus poſtea ſuo ordine dicetur.* In *primis uerò notãdum, deliberatiuum genus, quod ſuaſoriũ dici poteſt, utilitate ac honeſtate definiri: quanquam cùm utile dicimus, honeſtum quoq; uolumus intelligi: quum nihil utile dici poteſt, quod idem honeſtum non ſit. Quare in hoc genere ſpectãda maximè eſt ea utilitas, quæ honeſtati coniuncta ſit, neq; ſuadere, perſuadere, diſſuadere, hortari, dehortari, petere, mouere, poſſumus, niſi ad ſupradictum ſcopum omnes, ut ita dixerim, ſtyli ſagittas collimauerimus.* Huius *tamen potius generis*

partes ſunt, honeſtũ, utile, δυνατὸν, quod noſtri poßibi
le nominant: quæ ut dura uidetur appellatio, tamen ſo
la eſt, ut Quintilianus ait. Quas partes non omnes in
omnem cadere quæſtionẽ manifeſtius eſt, quàm ut do
cendum ſit: & ſi plerique numerum augent, à quibus
ponuntur ut partes, quæ ſpecies ſunt partium. Nam
fas, iuſtum, æquum, pium, manſuetum, ſiet qua adhuc
adijcere quis eiuſdem generis uelit, ſubijci poſſunt ho
neſtati, autore eodem Fabio. Iucundum uerò, quod uſ/
que adeo etiam ad perſuadendum ualet, ut in quibuſ/
dam caußis de ſola iucunditate ſit deliberatio. Sed tum
demum maxime id ualet, cum honeſtatis ſpeciem per
ſe fert aliquam, aut potius cum honeſtum etiam eſt
ac laudabile: nemo eſt enim adeo luxu ſolutus, ut ni/
hil in cauſſa ſuadenda ſequatur præter uoluptatem:
quare ut honeſtum iucundo condiendum, ita iucun/
dum honeſto muniendum & adiuuandum. Sæpe etiã
utilitatem deſpiciendam eſſe dicimus, ut honeſta facia
mus: ut Opiterginis damus conſilium, ne ſe hoſtibus
dedant: quanquam perituri ſint, niſi fecerint. Et uti/
lia honeſtis præferimus: ut cùm ſuademus, ut bello Pu
nico ſerui armentur, cum ſerui tamen pœna capitali
à re militari arcerentur, autore Martiano Iuriſcon/
ſulto. Sed tamen nec hic planè concedendum eſt, eſſe
id inhoneſtum: liberos enim Fabius ait, natura omnes
homines, & eiuſdem conſtare elementis, & fortaſſe
etiam antiquis nobilibus ortos dici poteſt, & quan/
quam ſerui, homines tamẽ, ut Seneca inquit. Commen
daticia quoq; epiſtola à quibuſdam ſub deliberatiuo
genere comprehenditur: nam commendãtes aliquem

alicui, factum noſtrum probare nitimur honeſtum, facile, atq; utile eſſe. Nam laudãtes eum quem commendamus, honeſtam commendationem noſtram oſtendimus. Ac primum quidem in hoc genere utimur principio aliquo, uelut captantes beneuolentiam à modeſtia noſtra: ut cùm dicimus nos timide ad id officium deſcendiſſe, nec niſi precibus aliorum coactus, ac eorum quos commendamus. Deinde deſcribendo eorum ſtudia & mores, dignos monſtrantes uel amicitia uel familiaritate, uel beneficio aliquo ac munere eius ad quem ſcribimus: laudamuſq; interdum eos à generis claritate, aut à patria: ſed multo efficacius ab ingenij doctrinæq; dotibus, ut à modeſtia, fide, diligentia, dicendi facultate, aut alia quapiam inſigni eruditione. Efficaciſſima tamen illa ratio eſt commendandi, cum gratos illos & memores beneficiorum eſſe dicimus, quum ingratis hominibus quicquid confertur perire quodammodo exiſtimetur. De facultate autem neceſſe eſt oſtendere, poſſe ab illo ad quem ſcribimus, hũc noſtrum iuuari aut ornari: quod etiã interdum per alios fieri poteſt, nempe amicos eius ad quem ſcribimus. Huius generis exempla multa ſunt apud Ciceronem & Plinium: ſed una epiſtola Pliniana ſufficere poteſt, cuius in ſecundo libro principium eſt: Et tu occaſiones obligandi me, &c. & Horatiana illa breuis ad Claudium Neronem: nam & hoc uerſu fieri poteſt, quo illi Septimum amicum ſuum magnopere commendat. Vtiq; illud ſpectandum in primis, ne quos commendemus indignos. Nam eiuſmodi commendationis ferè comes eſt pœnitentia, quod & recte in epiſtolis

præcepit Horatius,*ita ſcribens: Quem cui commen/ des,etiam atq; etiam aſpice,ne mox incutiant aliena ti bi peccata pudorē.* Monitoriæ *quoq; epiſtolæ & hor tatoriæ: &, quando contrariorum eadem diſciplina eſt,dehortatoriæ,eadem propemodū ars & ratio eſt. Sed ubiq; præſenti utendum eſt cōſilio, quod artis ma ximam partem continet:atq; adeo ualet, ut præcepta omnia ab eo ſumpſiſſe originem uideantur.* Petendi *quoq; ratio eiſdem fere locis conſtat: ſed huic generi adhibenda eſt remunerationis ſpecies aliqua. Quale illud eſt* Virgilianum,*in* Aeoli *ad* Iunonē *oratione pe/ titoria,quæ & ipſa incredibili conſtat artificio: Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ, Quarū, &c. Quare ut res tota breui pomœrio circumſcriba tur,honeſtum,utile,facile ſeu poßibile,ad deliberati/ ui generis ſubſtantiam in uniuerſum pertinet.*

IVDICIALE GENVS.

NVnc *ad iudiciale ueniendum eſt.* Iudiciale *genus: quod multiplex eſt & uariū, officijs potißimum conſtat duobus,intentionis ac depulſionis.* Intentio/ *nem nunc dicimus accuſationē,cùm crimen reo inten ditur:depulſionem,cùm reus obiectum crimen defen/ dit,& à ſeſe procul amolitur.* Itaq; *accuſatoriam epi/ ſtolam,obiurgatoriam ſeu criminatoriam,inuectiuam ſeu uituperatiuam, in hoc genere reponimus: quan/ quam & hoc, ut ſunt mixta inter ſe tria illa genera, ſub demōſtratiuo comprehendi poßit:* Excuſatoriam *uerò,ſeu culpæ deprecatoriam, prædictis annumera/ mus: in quibus omnibus argumentis pugnacißimis ac rationibus utendū eſt.* Adiecerūt *quidem mutuam ac/*

cuſa/

cuſationem,quæ Græcis ἀντικατηγορία, Latinis recri/minatio dici poteſt, cuius duo genera Fabius facit: alterum,quo litigationes,hoc eſt, idem crimen inuicem intentant:alterum,quo aliud & aliud. Difficile eſt autem in tanta cauſarum & argumentorum uarietate, huius generis uniuerſum præcepta colligere. Primū illud ſine controuerſia aduertendum, augere per amplificationem quæ accuſamus in alio, ſicuti quæ obiecta ſunt elidere,aut repellere, aut minuere: qua in re ita inardeſcit nonnunquam oratio,ut totos affectus effundat. Nam interdū in hoc genere optamus, abominamur,rogamus, ac ſolicitudinem quandam uel accuſationis noſtræ uel defenſionis oſtendimus,cuiuſmodi ſunt hæc: Vtinam nunc reuiuiſcat parens tuus, & item:Dij prohibete & mala. Te nunc ô Iupiter optime maximeq́; rogo, &c. & infinita alia: quæ quanquam orationi magis conueniunt quàm epiſtolæ, tamen aliquādo omnes affectus recipit. In his igitur frequenter utendum breui exordio, quo ad cauſam totam arte atque aſtu irrepimus, ut cum uel accuſantes aliquem,uel culpam deprecantes, infirmos nos eſſe dicimus,& impares contra agentes, ne nimia elati confidentia, minimam iuſtitiæ ac probitatis noſtræ fidem faciamus:cuiuſmodi procemijs uſum Meſſalam, autor eſt Fabius. Apta enim ſunt eiuſmodi exordia ad fauorem emerendum: quando natura ijs libēter fauemus, quos laborantes uidemus & anxios, nec ſibi plus nimio fidentes:inde illa ueterum circa occultandam eloquentiā ſimulatio,& procul ab omni faſtu poſita,ſimplexq́; ac ſubmiſſa. Vitandum etiam,ne contumelioſi, maligni,

maligni, ſuperbi, maledici in quenquam hominem or dinemúe eſſe uideamur, cuius generis exemplum hoc eſſe poteſt. Non ſum neſcius, quàm difficilè ſit ſuam innocentiam tueri, aduerſum te tam receptæ autoritatis uirum, cuiusq́; tanta dicendi uis, ut nihil non perſuadere poßit: tam fauorabili apud omnes ordines nomine, ut uel tacens ipſe, communi omnium conſenſu, ab eo abſolui crimine poßit, quod mihi nuper abs te obiectū iuſtißime in te torqueatur. Sentio quàm duras partes ſuſtineam: quanquam difficile munus, ſed neceſſariū tamen ſubierim, reſpondendi tibi, tam exigua, tam nulla eloquētia noſtra, cui etiam ſi quid erat antehac uigoris, totum id excuſationis huius anxietas ademerit. Illud notandum, ætatem multum in hac parte iuuari procemio, ut cum iuuenes nos dicimus, aduerſarios ueteranos ac emeritos, qui uel ſolo rerum uſu, quantumlibet uel doctrinam, uel innocentiam noſtram euincere poſſunt. Aut cōtra, cùm ſenectam noſtram, quam quietam & placidam eſſe oportuerat, ab iis turbari dicimus, qui ætatis noſtræ reuerentia timidiores eſſe debuerant, ac uerecundiores.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE